

Series II. - «ANALECTA OSBM» - Sectio I.  
Серія II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Секція I.

---

MELETIUS M. WOJNAR OSBM

DE  
PROTOARCHIMANDRITA  
BASILIANORUM

(1617 - 1804)

ROMAE 1958

---

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA MADONNA DEI MONTI, 3

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO I

Series II. - «ANALECTA OSBM» - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Серія II.

*Sectio I*

# OPERA

Vol. IX.

M. M. WOJNAR OSBM

*DE REGIMINE BASILIANORUM RUTHENORUM*  
A  
*METROPOLITA JOSEPHO VELAMIN RUTSKYJ*  
*INSTAURATORUM*

Vol. 3.

*DE PROTOARCHIMANDRITA BASILIANORUM*

R o m a e

Series II. - «ANALECTA OSBM» - Sectio I.  
Серія II. - «ЗАПИСКИ ЧСВВ» - Секція I.

---

MELETIUS M. WOJNAR OSBM

DE  
PROTOARCHIMANDRITA  
BASILIANORUM

(1617 - 1804)

ROMAE 1958

---

SUMPTIBUS PP. BASILIANORUM - PIAZZA MADONNA DEI MONTI, 3

**IMPRIMI POTEST**

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 11.I.1958.

**P. PAULUS P. MYSKIV**

*Protoarchimandrita - Superior Generalis*

**IMPRIMATUR**

Romae, e Vicariatu Urbis, die 13.II.1958.

**✠ ALOYSIUS TRAGLIA**

*Archiep.us Caesarien. Vicesgerens*

ILLUSTRISSIMO · AC · REVERENDISSIMO  
P. PAULO · PETRO · MYŚKIW · OSBM  
BASILIANORUM · RECENTIORUM · PROTOARCHIMANDRITAE

GRATO · EX · ANIMO

DEDICAT

AUCTOR



# INDEX

<i>Praefatio</i> . . . . .	XI
<i>Fontes et Bibliographia</i> . . . . .	XV
I. Fontes . . . . .	XV
A. Fontes editi . . . . .	XV
B. Fontes archivales . . . . .	XVII
II. Bibliographia . . . . .	XX
<i>Abbreviationes</i> . . . . .	XXVII

## PARS I.

### DE PROTOARCHIMANDRITA

#### Praenotanda

Art. 1. - Notio et divisio Superiorum religiosorum in iure posttridentino . . . . .	3
Art. 2. - Notio et divisio Superiorum in Ordine Basiliano . . . . .	6
Art. 3. - Notio et divisio Protoarchimandritarum . . . . .	7
Art. 4. - De Protoarchimandritae constitutione, qualitatibus et officii ab eo assumptione . . . . .	12

#### Caput. I.

##### De potestate Protoarchimandritae

###### Prima Período:

Art. 1. - Potestas Protoarchimandritae quoad cetera regiminis instituta . . . . .	22
I. Quoad Capitulum generale . . . . .	22
II. Quoad Curiam generalem . . . . .	23
III. Quoad monasteriorum Praesides . . . . .	25
Art. 2. - Potestas Protoarchimandritae quoad totam Congregationem et monasteria . . . . .	29
Art. 3. - Potestas Protoarchimandritae quoad singulos monachos . . . . .	30

###### Secunda Período:

Art. 1. - Potestas Protoarchimandritae quoad cetera regiminis instituta . . . . .	38
I. Quoad capitula . . . . .	38
II. Quoad Officiales generales . . . . .	39
III. Quoad Officiales provinciales . . . . .	40
IV. Quoad monasteriorum Praesides . . . . .	49
Art. 2. - Potestas Protoarchimandritae quoad totum Ordinem, provin- cias et monasteria . . . . .	56
Art. 3. - Potestas Protoarchimandritae quoad singulos monachos . . . . .	58



## Caput II.

## De iuribus Protoarchimandritae

Art. 1. - Iura Protoarchimandritae intra Ordinem Basilianum . . . . .	67
A. Prima Periodo . . . . .	67
B. Secunda Periodo . . . . .	72
Art. 2. - Iura Protoarchimandritae extra Ordinem Basilianum . . . . .	78
I. Unus « Protoarchimandrita totius Russiae » . . . . .	78
II. Participatio in Synodis: oecumenica et provinciali . . . . .	78
III. Participatio in electione Metropolitae . . . . .	80
IV. Participatio in promovendis Episcopis . . . . .	85
V. Participatio in Congressibus hierarchicis . . . . .	86
VI. Participatio in regendis monialibus . . . . .	88

## Caput III.

## De obligationibus Protoarchimandritae

## Prima Periodo:

I. Erga Romanum Pontificem . . . . .	92
II. Erga Metropolitam et Episcopos . . . . .	94
III. Erga Capitulum generale . . . . .	95
IV. Erga Consultores generales . . . . .	96
V. Erga Superiores locales . . . . .	98
VI. Erga totam Congregationem et monasteria . . . . .	98
A. Erga totam Congregationem . . . . .	98
B. Erga singula monasteria . . . . .	105
VII. Erga singulos monachos . . . . .	106

## Secunda Periodo:

I. Erga Romanum Pontificem . . . . .	107
II. Erga Metropolitam et Episcopos . . . . .	108
III. Erga Capitula . . . . .	109
A. Erga Capitulum generale . . . . .	109
B. Erga Capitula provincialia . . . . .	110
IV. Erga Consultores generales et Secretarios . . . . .	111
V. Erga Provinciales eorumque Consultoria . . . . .	117
VI. Erga totum Ordinem, provincias et monasteria . . . . .	118
VII. Erga singulos Religiosos . . . . .	129

## Caput IV.

**De officii Protoarchimandritae tempore in eoque successione**

Art. 1. - De officii Protoarchimandritae tempore . . . . .	135
Prima Período :	
I. Ad vitam . . . . .	135
II. Ad quadriennium . . . . .	136
Secunda Período :	
I. Ad quadriennium . . . . .	137
II. Ad octennium . . . . .	139
Art. 2. - De in officio Protoarchimandritae successione . . . . .	140
I. De successionis conceptu . . . . .	140
II. De causis successionis . . . . .	140
III. De Successoribus . . . . .	142

## PARS II.

**DE CURIA PROTOARCHIMANDRITALI****Praenotanda**

Normae communes omnium Officialium Curiae protoarchimandritalis.

Art. 1. - Normae communes in eorum officio vigente . . . . .	147
Art. 2. - Normae communes in eorum officio sufficiendo . . . . .	149
A. De constitutione consultoriali Substitutoris . . . . .	149
I. Causae cessationis ab officio . . . . .	149
II. Modus constitutionis consultoralis Substitutoris . . . . .	155
B. De constitutione capitulari Substitutoris . . . . .	157

## Caput I.

**De Consultoribus generalibus**

Art. 1. - Numerus Consultorum generalium . . . . .	161
Art. 2. - Officium Consultorum generalium . . . . .	165
Prima Período . . . . .	165
Secunda Período . . . . .	168

	PAG.
Art. 3. - Iura Consultorum generalium . . . . .	173
Art. 4. - De officii Consultorum gen.lium tempore in eoq̄ue successione	181
Prima Periodo . . . . .	181
Secunda Periodo . . . . .	185
Art. 5. - De Protoconsultore . . . . .	186
Art. 6. - De Vicario Generali Protoarchimandritae-Metropolitae . . .	189

### Caput II.

#### De Secretario relative Secretariis generalibus

Art. 1. - Numerus Secretariorum generalium . . . . .	199
Art. 2. - Officium Secretariorum generalium . . . . .	200
Prima Periodo . . . . .	200
Secunda Periodo . . . . .	202
Art. 3. - Iura Secretariorum generalium . . . . .	204
Art. 4. - De officii Secretariorum gen.lium tempore in eoq̄ue successione	206
Prima Periodo . . . . .	206
Secunda Periodo . . . . .	206

### Caput III.

#### De Procuratore in Urbe

A. Historia Procuraturae Basilianorum in Urbe . . . . .	211
B. Figura iuridica Procuratoris in Urbe . . . . .	224
Art. 1. - Cuiusnam fuerit Procurator? . . . . .	225
Art. 2. - De Procuratoris generalis constitutione . . . . .	230
Art. 3. - De Procuratoris generalis officio . . . . .	232
Prima Periodo . . . . .	232
Secunda Periodo . . . . .	233
Art. 4. - De iuribus Procuratoris generalis . . . . .	237
Art. 5. - Tempus et successio in officio Procuratoris in Urbe . . . .	243
Art. 6. - De Socio Procuratoris in Urbe . . . . .	244
Art. 7. - De Procuratore generali tribunalitio . . . . .	246

### APPENDIX

I. Notae biographicae Protoarchimandritarum . . . . .	251
II. Elenchus Protoarchimandritarum . . . . .	297

## P R A E F A T I O

*Titulus Protoarchimandritae inde iam a tribus saeculis proprius est unice Superiori Generali Ordinis Basiliani et quidem unius tantum eius rami, qui recenti tempore in honorem coelestis sui Patroni nomen sibi assumpsit "Sti Josaphat". Ideoque inscriptio praesentis voluminis praecisore determinatione non indiget, planum enim est, de quibusnam Basilianis hic agi.*

*Volumen autem hoc iam tertium est nostrae indagationis de structura iuridica dicti Ordinis saeculis XVII et XVIII, scil. inde a reorganisatione monachatus Ecclesiae Ruthenae facta a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj a. 1617 — usque ad plenam eiusdem destructionem in Imperio Rossiaco simul cum suppressione ibidem S. Unionis a. 1839.*

*Duo tamen illa saecula Unionis et Ordinis Basiliani pro semper remanebunt uti exemplar organisationis propriae, cum caractere proprio et applicatione eiusdem ad conditiones illius temporis seu exigentias, quas imponebant vicissitudines Metropoliae Kioviensis.*

*Monachatus huius Metropoliae e sua forma orientali antiqua transformatus in formam recentiorem, novis circumstantiis et exigentiis correspondentem, cuius expressio apprime officium Protoarchimandritae considerari potest. Figura iuridica Protoarchimandritae proprium characterem accepit, applicando se ad particularem compositionem Ordinis tam in suis institutis internis, quam in externa sua relatione. Haec ultima peculiaris erat praesertim in ordine ad instituta regiminis dictae Ecclesiae seu ad Hierarchiam et specificè ad Metropolitam Kioviensem. Nam Protoarchimandrita etiam in tota Ecclesia Ruthena peculiarem exercuit activitatem, auctoritate metropolitanae fere simili; inde etiam planum est, cur primi Metropolitae pro hoc officio obtinendo tam strenue contenderent. Sub potestate enim Protoarchimandritae potior pars Cleri Ecclesiae Ruthenae inveniebatur, i. e. Religiosi in unum adunati corpus. Ex altera parte iidem Religiosi, quorum plures Romae aliisque Collegiis Pontificiis per Europam occidentalem exculi sunt, Religionem occidentales imitando ad suam plenam independentiam seu exemptionem etiam a potestate metropolitana tendebant et post longas controversias in compositione seu Nexu cum Metropolita obtinuerunt quidem, quod officium Proto-*

archimandritae ad ipsos transiret, quod tamen ex advitali in quadriennale mutatum est.

Hoc obtento, ulterius processum est nempe ad uniendos in una Congregatione, sub uno Protoarchimandrita, omnes monachos, illos etiam, qui in quibusdam eparchiis adhuc erant sub potestate Episcoporum, formam antiquam observando. Post Synodum nempe Zamostianam (a. 1720), quae horum unionem praecepit, imprimis ex hisce monachis nova Congregatio (Protectionis B. V. Mariae seu Ruthena in oppositione ad Lithuanam) a. 1739 constituta est, sed uti talis a S. Sede non est approbata; Benedictus PP. XIV praecepit, ut omnes tunc per Bielorusiam et Ucrainam Religiosi unam Congregationem constituerent, quod peractum est in Capitulo generali Dubnensi a. 1743, quo nova periodus dicti Ordinis Basiliani incoepit.

Abinde Protoarchimandrita, uti Superior Generalis, initio super duabus, dein vero super quatuor provinciis constitutus est, dum simul decretis S. Sedis cautum sit, ne quis episcopali dignitate insignitus ad officium Protoarchimandritae contendat et Metropolitae tantum concessum est, ut uti Delegatus Ap. electioni illius praesideat.

Obtenta hac externa auctoritate ad independentiam, iam ad internae organisationis instituta officio Protoarchimandritae magis subiicienda progressum est. Unicum institutum, quod characterem antiquae formae adhuc repraesentabat, erat institutum Archimandritarum, qui per totam primam periodum fere independentes a Protoarchimandrita et Metropolitae immediate subiiciebantur; hi, secunda periodo, a Benedicto PP. XIV Protoarchimandritae subiecti sunt.

Alia instituta interna, etsi quodammodo ad exemplum disciplinae Latinae constituta erant, uti advitalitas Consultorum Generalium, dum Protoarchimandrita solum ad quatuor annos constituebatur, huius auctoritatem obfuscabant; ideoque secunda hac periodo omnino Protoarchimandritam sequuntur et tantum uti adiutores eiusdem in Constitutionibus manifestantur. Idem dicendum de Secretario, relative Secretariis generalibus. Maiore quadam inter hos auctoritate, uti generatim tunc in disciplina Latina, gaudebat Procurator generalis in Urbe.

Tractatus hic de Protoarchimandrita duabus constat partibus, quarum prima delineatur figura iuridica officii ipsius Protoarchimandritae, secunda vero eadem figura eiusdem adiutorum seu Curiae protoarchimandritalis. Id tamen necessarium videbatur, ut instituta particularia cuiusque officii separatim in prima (1617-1743) et secunda (1743-1804) periodo repraesententur ob omnino diversas condiciones seu determinationes eorundem in dictis periodis.

*Methodum autem, quam sequor, correspondendo characteri dictionum institutorum, dicerem comparatam, semper prae oculis habendo disciplinam contemporaneam.*

*Fontes huius voluminis, sicut et praecedentium, praecipui sunt archiviales, e quibus fere totaliter materiam pro hac indagatione hauriebamus. At interim quidam eorum typis editi iam sunt; ideoque citationes fontium archivalium pro commodo lectorum citationibus harum editionum complevi.*

*Non manet ergo, nisi ut gratias debitas agam pro adiutorio diversis in formis mihi dato: imprimis meis Superioribus; dein meis olim Magistris, Rev.mo P. Aemilio Herman S.J., tunc Rectori Pont. Inst. Orient. Studiorum et Rev.mo P. Raymundo Bidagor S.J., Decano Facultatis J.C. in Pont. Universitate Gregoriana; tum s. m. Ill.mo et Rev.mo Domino Angelo Mercati, tunc Archivi Secr. Vaticani Praefecto et Ill.mo et Rev.mo Domino Josepho Monticone, Tabularii S. Congr. de Propaganda Fide Archivistae; denique cum peculiari affectu easdem repeto confratri meo Rev.do P. Athanasio Welykyj OSBM, Vice-Rectori Pont. Collegii Sti Josaphat et editori Analectorum OSBM.*

Washington, D.C., die 1. januarii, 1958, die festo Sti Basilii M.



## FONTES ET BIBLIOGRAPHIA

### I. FONTES

#### A. Fontes ad usum publicum editi

*Acta Apostolicae Sedis.*

*Acta et decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae habitae Leopoli anno 1891, Romae 1896.*

*Acta Leonis XIII Pontificis Maximi, v. III, Romae 1884.*

*Akty izdavajemyje Vilenskoju Kommissijeju dla razbora drevnich aktov, t. XXIII; Akty Cholmskaho Hradskaho Suda, Vilnae 1896.*

*Analecta Ordinis Sancti Basilii Magni, Series II, Sectio III:*

ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM, *Acta S. C. de Propaganda Fide:*

v. I: 1622-1667, Romae 1953.

v. II: 1667-1710, Romae 1954.

v. III: 1710-1740, Romae 1954.

v. IV: 1740-1769, Romae 1955.

v. V: 1769-1862, Romae 1955.

ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM, *Congregationes Particulares Ecclesiam cath. Ucrainae et Bielarusjae spectantes, v. I, 1622-1728, Romae 1956.*

ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM, *Documenta Pontificum Romanorum:*

v. I: 1075-1700, Romae 1953.

v. II: 1700-1953, Romae 1954.

TH. T. HALUŠČYNSKYJ - A. G. WELYKYJ, OSBM, *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj, Metropolitae Kioviensis catholici (1613-1637), Romae 1956*

ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM, *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium cath. Raphaelis Korsak, Antonii Sielava, Gabrielis Kolenda, (1637-1674), Romae 1956.*

ATHANASIUS G. WELYKYJ, OSBM, *Litterae S. C. de Propaganda Fide Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantes:*

v. I: 1622-1670, Romae 1954.

v. II: 1670-1710, Romae 1955.

v. III: 1710-1730, Romae 1956.

v. IV: 1730-1758, Romae 1957.

*Archeografičeskij Sbornik dokumentov odnosjaščychsja k istorii sjeverozapadnoj Rusy izdatemyj pry upravlenii Vilenskaho učebnaho okruha:*

t. IX: *Kronika Lavry Supraslskiej - Letopys Supraslskoj Lavry, Vilnae 1870.*

t. X: *Dokumenty Svjato-Troitskaho Monastyrja 1609-1839, Vilnae 1874.*

t. XII: *Capitulorum volumen polonicum. Post praefationem ac bullas pontificias cum decreto S-ae Congregationis de propaganda fide*



praemissas, continent: 1-mo: Ipsa capitula desinentia anno 1709; 2-do: Latinas constitutiones monachorum capitulares saepe memoratas; 3-to: Observanda circa electionem protoarchimandritae et circa capitula; 4-to: Descriptionem status, quo res monasticae sub pluribus Metropolitanis olim fuerunt; 5-to: Anticapitula duo; 6-to: Regulas episcoporum a Velamino collectas et indicem, Vilnae 1900.

- BIENIECKI A., *Synodus Ruthenorum Provincialis, quam Iosephus Velaminus Rudzki D. G. Archiepiscopus Kioviensis ac Metropolita totius Russiae, una cum aliis Archiepiscopis et Episcopis Metropoliae Kioviensi subiectis, A. MDCXXVI, die IV Septembris in civitate Kobrynensi celebravit*, Poczajow, typis PP. Basilian, 1753.
- Bullae et brevia Summorum Pontificum Sacrarum Congregationum decreta nec non Serenissimorum Poloniae Regum diplomata Congregationem Ruthenorum OSBM concernentia vel eidem opportuna, iussu Generalis Consultationis cum interventu Provincialium Officiorum sub annum 1764 celebratae*, Typis Poczajoviensibus edita A. 1767.
- Bullarium Romanum*, Augustae Taurinorum.
- Bullarii Romani continuatio*, Prati.
- Canones et decreta Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini*, Romae 1874.
- Codex Constitutionum Ordinis S. Basilii M. ex Sanctis antiquiorum Capitulum Congregationis Ruthenorum et Decretorum Sanctae Sedis collectarum, ad textum Regulae S. Patris nostri exactus et conformatus*, Typis S. Reg. M. Monasterii Poczajovien. OSBM, 1791 Anno.
- Codex Iuris Canonici*.
- Codex Iuris Canonici pro Ecclesia Orientali* (De Personis, 1957; De Religiosis, de bonis Ecclesiae temporalibus, de verborum significatione, 1952; De disciplina sacramenti matrimonii, 1949; De iudiciis 1950).
- Collectanea S. Congregationis de Propaganda Fide seu decreta, instructiones, rescripta pro Apostolicis Missionibus*:  
v. I: 1622-1866, nn. 1-1299;  
v. II: 1867-1906, nn. 1300-2317, Romae 1907.
- Constitutiones Capituli Basiliani Generalis Brestae A. D. 1772 diebus Februarii celebrati*, Vilnae 1772.
- Constitutiones examinandae et seligendae in futuris Capitulis Provincialibus, tum denique Generali Ord. S.B.M. Patribus et Fratribus ejusdem Ordinis ad meliorem usum prius lecturis et suum votum, quod in Domino cuique visum fuerit, propriis locis pro addendo vel minuendo quo proposituris exhibitae*, Typis S. ae R. M. Poczajoviae 1772 A.
- Corpus Iuris Canonici Gregorii PP. XIII*, Romae 1584.
- DE MARTINIS, *Iuris Pontificii de Propaganda Fide Pars prima complectens bullas, brevia, acta S. Sedis*, v. I-VII, Romae 1888.
- GARNIER J., *Basilii Opera omnia*, t. I, II, Parisiis 1721; t. III, Garnier-Maran, Parisiis 1839.
- FRIEDBERG AEMILIUS, *Corpus Iuris Canonici*, t. I: Decretum Magistri Gratiani, Lipsiae 1879; t. II: Decretalium Collectiones, Lipsiae 1891.
- Indulgentiae, brevia, decreta Summorum Pontificum et SS. Congregationum nec non sancita Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Regnante*

- Serenissimo Stanislao Augusto Poloniarum Rege Magnoque Duce Lithuaniae lata Clerum saecularem et regularem utriusque ritus Latini et Graeci concernentia, compendio collecta*, Typis Poczaioviensibus edita 1788.
- MANSI J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*, tt. I-XIII, Florentiae 1759-1767; tt. XIV-XXXI, Venetiis 1769-1798.
- MIGNE, *Patrologia Graeca*, t. 31, 35, 36.
- Opisanije dokumentov archiva zapadnorusskich unijatskich mytropolitov*, t. I, II, 1470-1700, Sanktpeterburg 1897.
- PITRA J. B. SRE. CARD., *Iuris Ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, II, Romae, 1864, 1868.
- Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperii*, Sanktpeterburg 1830.
- Drugoe Polnoje Sobranije Zakonov Rossijskoj Imperii*, Sanktpeterburg 1830-40.
- Prawa y wolności Obywatelom Korony Polskiej y W. X. Lit. Religii Greckiej orientalney wyznawcom służące z Przywilejów, Konstytucuj Seymowych, Statutu W. X. Lit., a dwoma szczególnie razy y w Historyków ale domowych Polskich y wyznania Rzymskiego Kościoła, będących, a tym od parcyalności bardzo dalekich, do tegoż y godnościami znacznemi w Duchownym abo Swieckim Stanie ozdobionych zebrane i dla wszystkich do druku podane*, Roku Panskiego 1767.
- SACRA CONGREGAZIONE ORIENTALE, *Codificazione Canonica Orientale*, Fonti: S. I, Fascicolo XI: HOLOWECKYJ D. OSBM, *Ius Particulare Ruthenorum*, T. Vaticana 1933;
- S. II, Fascicolo X: DE MEESTER P., OSB, *De monachico Statu iuxta disciplinam Byzantinam*, T. P. Vaticanis 1942.
- Summariusz reguł Sw. Oyca naszego Bazylego W. z reguł obszerniejszych i krótszych, z konstytucuj mniskich i nauk jego zakonnych wkrótce zebrany*, wydrukowany cum permissu Superiorum w Typografij K. M. Poczaiowskiej 1741 r.
- Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae*, Romae 1883, alia ed. in *Collectio Lacensis*, t. II, p. 1-74.
- THEINER A., *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, Romae 1863, t. IV, Romae 1864.

## B. Fontes archivales

### I. ARCHIVUM S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE.

#### a. - *Congregazioni Particolari*:

- 1) v. 29 - Congregazioni particolari dall'anno 1680 al 1697.
- 2) v. 64 - Congregazioni particolari dall'anno 1720 al 1722.
- 3) v. 74 - Congregazioni particolari dei Ruteni dell'anno 1728.
- 4) v. 91 - Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1742.
- 5) v. 92 - Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1744.
- 6) v. 114 - Congregazioni particolari dei Ruteni dall'anno 1749-1752.
- 7) v. 120 - Congregazione particolare dei Ruteni dell'anno 1755.

- b. - *Acta S. Congregationis de Propaganda Fide* (Congregazioni generali):
- 1) v. 3, a. 1622-1625.
  - 2) v. 7, a. 1630-1631.
  - 3) v. 15, a. 1642-1643.
  - 4) v. 36, a. 1667.
  - 5) v. 44, a. 1674.
  - 6) v. 46, a. 1676.
  - 7) v. 63, a. 1693.
  - 8) v. 75, a. 1705.
  - 9) v. 76, a. 1706.
  - 10) v. 77, a. 1707.
  - 11) v. 127, a. 1757.
  - 12) v. 145, a. 1775.
  - 13) v. 150, a. 1780.
  - 14) v. 155, a. 1785.
  - 15) v. 156, a. 1786.
  - 16) v. 158, a. 1788.
- c. - *Scritture originali riferite nelle Congregazioni Generali:*
- 1) v. 800, a. 1763.
  - 2) v. 842, a. 1775.
  - 3) v. 855, a. 1780.
  - 4) v. 885, a. 1790.
- d. - *Decreta S. Congregationis de Propaganda Fide:*
- 1) a. 1719-1740.
  - 2) a. 1741-1767.
  - 3) a. 1768-1778.
  - 4) a. 1779-1789.
  - 5) a. 1800-1819.
- e. - *Lettere della S. Congregazione de Propaganda Fide:*
- 1) a. 1705.
  - 2) a. 1750.
  - 3) a. 1785.
  - 4) a. 1786.
  - 5) a. 1788.
  - 6) a. 1790.
  - 7) a. 1791.
- f. - *Lettere di Mons. Segretario:*  
v. 82, a. 1693.
- g. - *Lettere antiche:*  
v. 338.
- h. - *Memoriali:*  
v. 384, a. 1623-1624.
- j. - *Archivio Settentrionale:*  
v. 32.

k. - *Scritture riferite nei Congressi:**Ospizio dei Ruteni - Pascolo:*

- 1) v. 1: dall'anno 1639 al 1800.
- 2) v. 2: dall'anno 1801 al 1825.
- 3) v. 3: dall'anno 1826 al 1892.

l. - *Visite e Collegi:*

v. 12.

## II. ARCHIVUM SECRETUM VATICANUM.

a. - *Archivio della Nunziatura di Varsavia:*

- 1) v. 108: Ordini Regolari, t. II, Basiliani parte I.
- 2) v. 109: Ordini Regolari, t. III, Basiliani parte II.
- 3) v. 110: Ordini Regolari, t. IV, Basiliani parte III.
- 4) v. 133: Ordini Regolari, t. II, Basiliani, Benedittini, Cisterciensi.

b. - *Fondo Garampi:*

n. 20.

## III. ARCHIVUM COLLEGII GRAECORUM.

a. - *Cronica di tutti i scolari*, vol. I.b. - vol. 10: *Historia Collegii Graecorum de Urbe.*

## c. - vol. 14.

## IV. ARCHIVUM COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE.

*Registro dei nomi, cognomi, ecc. ecc. degli Alunni di Propaganda Fide raccolti dal Rettore Bonvicini, ordinato poi il tutto da L. X. Figari S. J., vol. I e II.*

## V. ACTA CAPITULORUM.

a. - *Acta Capitulorum. generalium periodi primae.*

- 1) Ab a. 1617 ad a. 1709 inveniuntur typis edita in AS. t. XII (*Archeografičeskij sbornik dokumentov odnosjaščychsja k istorii sjevero-zapadnoj Rusy izdavajemyj pry upravlenii Vilenskaho učebnaho okruha*, t. XII, Vilnae 1900).
- 2) « Summarium Capituli Chelmensis et Novogrodensis 1719 celebratorum »; APF, CP. v. 64 a. 1720-1722, ff. 117-118.
- 3) Leopoliense 1739; APF, CP. v. 91, a. 1742, ff. 283-288.

b. - *Acta Capitulorum generalium et provincialium periodi secundae:*

- 1) Dubnense generale et provincialia 1743; APF, CP. v. 92, a. 1744, ff. 302-320.
- 2) Berestense gen. et prov. 1747; APF, CP. v. 114, a. 1750-1752, ff. 396-417.
- 3) Berestense gen. et prov. 1751; APF, CP. v. 114, a. 1750-1752, ff. 300-308.
- 4) Berestense gen. et prov. 1759; APF, Scr. CG. v. 800, a. 1763, ff. 173-179.

- 5) Berestense gen. et prov. 1772; APF, Scr. CG. v. 842, a. 1775, ff. 417-433.
- 6) Zydyčynense gen. et prov. 1788; APF, Scr. CG. v. 885, a. 1790, ff. 280-297
- 7) Poczajoviense prov. Ruthenae 1755; ASV, Arch. Nunz. Vars. v. 108, f. 32.
- 8) Bytheniense prov. Lithuanae 1755; ASV, Arch. Nunz. Vars. v. 108, f. 29.

## II. BIBLIOGRAPHIA

- AMMAN A., *Storia della Chiesa Russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948.
- ANDRÉ-WAGNER, *Dictionnaire de droit canonique*, Paris 1894.
- ANGELUS A SS. CORDE JESU, *Manuale iuris communis regularium et specialis Carmelitarum Discalceatorum*, Gandae 1899.
- ANTONIUS DE SPIRITU S. O. CARM., *Directorium spirituale* (De Privilegiis, obligatione, regimine Regularium), Lugduni 1661.
- ARCHIMANDRIT NIKOLAJ (DALMATOV), *Supraslskij Blagoviščenskij Monastyr*, Sanktpeterburg 1892.
- BARAN A., *Obligatio Synodi Zamostianae in Ucraina Carpatica saec. XVIII*, in *Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. II, fasc. 3-4, p. 525.
- BLAZEJOWSKYJ D., *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943.
- BONIECKI A., WOLYNIAK, *Spis klasztorów unickich Bazylijanów w woj. Wołyńskiem*, Kraków 1905.
- BOUDOU S. J., *Le Saint Siège et la Russie*, 1922.
- BOUIX D., *De iure Regularium*, 2 vol., Parisiis 1876.
- CHOTKOWSKI W. ks., *Redukcje monasterów Bazylijskich w Galicji*, in *Polska Akadem, Umiejętności*. Wydział Historyczno-Filozoficzny, Rozprawy, Ser. II, t. 38 (63), Kraków 1922.
- CHOTKOWSKI W. ks., *Historja polityczna Kościoła w Galicji za rządów Marji Teresy*, Kraków 1909.
- COUSSA A., *Epitome Praelectionum de iure ecclesiastico orientali*:  
vol. I: *Introductio, Cryptoferratae* 1948.  
vol. II: *De monachis et de aliis religiosis, Venetiis* 1941.
- CREUSEN J. S. J., *Religieux et Religieuses*, Desclée de Brouwer 1957.
- CZERNECKI J., *Mały król na Rusi i jego stolica Krystynopol*, Kraków 1939.  
*Dictionnaire de droit canonique* (R. Naz).
- Encyklopedyja Powszechna* (Orgelbrand, Samuel), Varsaviae 1859-1868.
- ERNST A., *De iure Praelatorum saecularium et regularium*, Moguntiae 1732.
- FERRARIS L. F., *Bibliotheca canonica iuridica, moralis, theologica*, Romae 1890.
- GUÉPIN DOM ALPHONSE, *Un Apotre de l'Union des Eglises au XVII s. Saint Josaphat et l'Eglise greco-slave en Pologne et en Russie*, Paris-Poitiers t. I, 1897, t. II 1898.
- HALUŠČYNSKYJ TH., OSBM, *Mytropolyt Josyf Joan Velamyn Rutskyj*, in *Dobryj Pastyr*, Stanyslaviv 1937.
- HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.
- HERMAN AE. S. J., *Ricerche sulle istituzioni monastiche bizantine*. Typiktetorika, caristicari e monasteri liberi, OCP. v. VI, N. 3-4, 1940.
- HOFMANN G. S. J., *Ruthenica; Orientalia Christiana*, v. III (1925), N. 12.

- HOLOWECKYJ D., OSBM, *Fontes iuris canonici Ecclesiae Ruthenae*, T. P. Vaticanis 1932.
- IWANOWICZ J., *Ueber die historische Bedeutung des Basilianerordens in Galizien und seine gegenwärtigen Verhältnisse*, Leipzig 1885.
- JOCHER A., *Obraz Bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Polsce od wprowadzenia do niej druku po rok 1830 wtącznie*, Wilno t. II, 1842, t. III, 1857.
- KAROVEC M., OSBM, *Velyka Reforma Čyna sv. Vasylija Velykoho*, Žovkva t. I-II 1933, t. III 1936, t. IV 1938.
- KHRUŠČEVYČ G., *Istorija Zamojskaho Sobora 1720 goda*, Vilnae 1880.
- KISZKA L., a) *De Sacramentis* (ucrainice), Polotsk 1697.  
 b) *Morze łask, o cudach Najświętszej Panny Boruńskiej r. 1714 swiatu ogłoszone*.  
 c) *Kazania i Homelie Męża Bożego nieśmiertelnej sławy i pamięci Hipacyjusza Pocięja metropolity Kijowskiego*, Suprasliae 1714; ed. 2 sub titulo: *Obrońca wiary św. katolickiej*, Suprasliae 1768.  
 d) *Instructio pro parochis cum cathechismo pro populo* (ucrainice), Suprasliae.  
 e) *Capitulorum volumen polonicum*, editum a N. Kračkovskij in AS. t. XII, Vilnae 1900 (cfr. supra).
- KŁADOCZNY J., a) *Dzieje prowincji bazylijskiej w Królestwie Polskim, 1810-1864*, in *Sprawozdania Tow. Naukowego we Lwowie*, XVI (1936), pp. 301-308, Lwów 1937.  
 b) *Ostatnie chwile prowincji bazylijskiej w Królestwie Polskim*, in *Collectanea Theologica*, A. XV, p. 93-103, Lwów 1934.
- KOIALOVYČ M., *Istorija Basilianskaho Ordena*, in *Chrystijanskoje Čtenije*, Sankt-peterburg 1864, januar. p. 11-75; april. p. 419-464.
- KOSSAK M., *Śematyzm provintsii sv. Spasytela C.S.V.V. i korotkyj pohlad na monašestvo ruske ot zavedenija na Rusy viry Chrystovoj až po nyjnišnoje vremja*, Leopoli 1867.
- KRAČKOVSKIJ N., *Očerki uniatskoj Tserkvy*, in *Čtenija v imperatorskom obščestvi istorii i drevnostej Rossijskich pry Moskovskom universyteti*, Mosquae 1871, liber 1, 2; 1876, liber 3, 4.
- KREUSA-RZEWUSKI L., *Obrona Jedności Cerkiewnej albo dowody któremi się pokazuje, iż Grecka Cerkiew z łacinską ma być ziednoczona*, podane do druku za rozkazaniem Przewielebnego w Bogu Oyca J. M. Oyca Josefa Wielamina Rutskiego Archiepiskopa Metropolity Kiiowskiego, Halickiego y wszystkiej Rusi, w Wilnie przez Oyca Leona Kreusa Archimandrytę Wilenskigo R. 1617 w Wilnie w Drukarni Leona Mamonicza.
- KULCZYNSKI I., a) *Specimen Ecclesiae Ruthenae*, ed. 3, Parisiis 1859.  
 b) *Menologium Bazyljanskie*, Vilnae 1771.
- KYNACH H., OSBM, *Vel. Rutscii: Regulae pro Monachis OSBM*, in *Analecta OSBM*, Ser. I, t. I, Zovkva 1924, p. 56-72.
- LAEMMER H., *In decreta concilii Ruthenorum Zamosciensis animadversiones theologico-canonicae*, Freiburg 1865.

- LIKOWSKI E., a) *Historia Unii Kościoła Ruskiego z Kościołem Rzymskim*, Poznań 1875.  
 b) *Unia Brzeska* (r. 1596), Poznań 1896.  
 c) *Dzieje Kościoła Unickiego na Litwie i Rusi w XVIII i XIX wieku*, Warszawa t. I, II, 1906.
- LUEHR G., *Die Matrikel des paestlichen Seminars zu Braunsberg 1578-1798*, Braunsberg 1925, et translatio eiusdem in *Analecta OSBM*, Ser. I, t. III, fasc. 1-2, p. 247-8.
- LUŻNYTSKYJ G., *Ukrainsjka Tserkva miż schodom i zachodom*, Philadelphia 1954.
- MAKARIJ MYTROPOLIT (BULGAKOV), *Istoriia Russkoj Tserkvy*, Petropoli.
- MALINOWSKI M., *Die Kirchen-und Staats-Satzungen bezueglich des griechisch katholischen Ritus der Ruthenen in Galizien*, Lemberg 1861.
- MICHELETTI, *De Superiore communitatum religiosarum*, Romae 1911.
- MIRANDA L., O.F.M., *Directorium seu Manuale Praelatorum Regularium*, Romae 1612.
- OHILEWYCZ P., *Ecphonemata liturgii greckiej, albo wykład tego wszystkiego co przy liturgii to jest mszy świętej kaptan i chór w głos spiewają*, Vilnae 1671, ed. 2 Cracoviae 1685, ed. 3 Poczajoviae 1708.
- ORANSKI WOYNA P., *Zwierciadło albo Zastona naprzeciw Perspektywie X. Kassjana Sakowicza*, w Wilnie w Druk. XX. Bazylianów, 1643.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, Wien, t. I, 1878, t. II, 1880.
- PETROV N., *Očerki istorii Basilianskaho Ordena v byvszej Polšce*, in TKDA, Kyiv 1870, t. II, p. 428; t. III, p. 373; t. IV, p. 343; 1871, t. I, p. 295; t. II, p. 225; t. III, p. 11; 1872, t. I, p. 3, 161.
- PETROV-SULŻYNSKIJ, *Kratkija izviestija o položenii Basilianskaho Ordena i raznych premienach v jeho upravlenii ot 1772-1811*, in TKDA, Kyiv, 1868, t. III, p. 147; t. IV, p. 100 et 245.
- PETRUŠEVYČ A., *Kratkoje izviestije o Cholmskoj eparchii i svjatyteljach jeja so vremen vvedenija Christijanstva do 1866 goda*, in *Nukovyj Sbornyk izdavaemyj literaturnym Obščestvom Halycko-Russkoj Matycy*, Leopoli 1866.
- PEYRINIS L. O. MINIM., *Religiosus Subditus et Praelatus*, Venetiis 1648.  
 b) *Formularium Praelatorum Regularium*, Venetiis 1648.
- PIATO-MONTESI F., OMCAP., *Praelectiones Juris Regularis*, vol. I, II, Parisiis-Lipsiae-Tornaci 1906.
- PRASZKO I., *De Ecclesia Ruthena catholica sede metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944.
- PRUEMMER D. M., OP., *Manuale iuris ecclesiastici*, t. II: *Ius Regularium speciale*, Friburgi 1907.
- RAES A.S.J., *Le liturgicon ruthéne depuis l'Union de Brest*, in OCP, v. VIII (1942), p. 95-143.
- ROTARIUS M. FR. O. BARN., *Theologia moralis Regularium*, Bononiae 1720-22.
- ROUET DE JOURNAL M.J.S.J., *Nonciatures de Russie d'après les documents authentiques; Nonciature d'Arezzo 1802-1806*, P. I, Rome 1922; P. II, Rome 1927.

- RUTSKYJ J. V., *Jos. Welam. Rutskiego, Wzywianie do iedności Katholickiey Narodu Ruskiego*, w Krakowie 1629 (Kat. Elek. Sask.).
- RUTSKI JOSEPHUS VELAMIN METROPOLITA KIJOWIENSIS, *Testamentum sive Protestatio*, Cracoviae ex Offic. Fr. Caesarii 1637.
- SAKOWYCZ CASSIANUS, *Epanorthosis seu Perspectiva et declaratio errorum, haeresium ac superstitionum, quae in Graeco-Ruthena Ecclesia Disunita cum in articulis Fidei tum in administratione Sacramentorum ac in aliis Ritibus et Caeremoniis reperiuntur*, Cracoviae 1642 (versio latina in SCPF).
- SAPUNOV A., *Istoričeskija sudjby Polotskoj Eparchii s drevniejšych vremen do poloviny XIX vjeka*, Vitebsci 1889.
- ŠČERBYTSKYJ O. W., *Vilenskij Svjato-Troitskij Monastyr*, Vilnae 1885.
- SCHAEFER T., OFMCAp., *De Religiosis*, ed. 3, Romae, T. P. Vaticanis 1940.
- SCHNEEMANN, *Basilianer*, in *Kirchenlexikon Wetzer und Welte*.
- SIELAVA A., *Antelenchus to iest Odpis na skrypt uszczypliwy Zakonników Cerkwie S. Duchy Elenchus nazwany*. Napisany przez Oyca Anastazego Sielawę Przełożonego Monastyra Wilenskigo S. Troyce Zakonu S. Bazylego, w Wilnie R.P. 1622.
- SKRUTEN J. OSBM., a) *Vitae Basilianorum* (manuscriptum Metropolitanae Leonis Kiszka) in *Analecta OSBM*, Ser. I, Zovkva, t. I (1924), p. 105-130, 284-291; t. II (1926) p. 123-138, 376-401; t. III (1929-1930) p. 496-520; t. IV (1931) p. 219-236.
- b) *Biliński Jerzy Hipacy*, in *Polski słownik Biograficzny*, t. II, 1, Kraków 1936, p. 96.
- SOLOVIJ M., OSBM, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskij*, Romae 1950.
- STEBELSKI I., a) *Dwa wielkie światła*, Vilnae 1781.
- b) *Chronologia*, Vilnae 1782.
- c) *Przydatek do chronologii*, Vilnae 1783.
- d) *Ostatnie prace*, in *Scriptores rerum Polonicarum*, t. IV, Kraków 1878.
- SUSZA J., a) *Cursus vitae et certamen martyrii B. Iosaphat Kuncevicii*, Romae 1665.
- b) *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine Beati Iosaphat transformatus sive Meletius Smotriscius Archiepiscopus Hieropolitanus Archimandrita Dermanensis Ord. S. Basilii M.*, per Jacobum Susza Episcopum Chelmsensem et Belzensem cum S.R.E. Unitum eiusdem Ord., ex tenebris in lucem prolatus, Romae ex typ. Paresii MDCLXVI; alia ed. cura J. Martinov, S.J., Bruxellis 1864.
- c) *Phoenix redivivus sive imago longe vetustissima Virginis Matris Chelmsensis*, Zamostiae 1646, Leopoli 1653; Zamostiae 1684; 1689; et polonice Zamostiae 1684.
- d) *De laboribus Unitorum, promotione, propagatione et protectione Divina Unionis ab initio eius usque ad haec tempora*; apud HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 298-349.



- TAMBURINI A., O. VALLUMB., *De iure Abbatum et aliorum Praelatorum*, Lugduni 1640.
- TANCZUK D., *Quaestio patriarchatus Kioviensis tempore conaminum Unionis Ruthenorum (1582-1632)*, in *Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 128-144.
- THEINER A., *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beiden Ritus in Poland und Russland seit Katerina II bis auf unsere Tage*, Ausburg 1941; versio italica: per un sacerdote dell'Oratorio, Vicende della Chiesa cattolica di ambedue riti nella Polonia e nella Russia da Caterina II sino a' nostri dì, Lugano 1843.
- VERMEERSCH A. S. J., *De religiosis institutis et personis*, Brugis, t. I, 1902, t. II, 1904.
- VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, Mechliniae, Romae, t. I, ed. 6, 1937, t. II, 1931.
- WAŻYŃSKI P., a) *Kazanie na uroczystość B. Jozafata Kuncewicza Arcybisk. Połockiego Biskupa Witebskiego...* miane w Katedrze Połockiey R. MDCCCLXII przez X. Porfirego Ważynskiego Z. S. Bazylego W. Filozofii na ten czas Professora, w Wilnie w Druk. XX. Bazyljanów.  
b) *Orationum seu exercitationum oratoriarum pars 2-da*, Vilnae 1773.
- WELYKYJ A. G., OSBM, a) *Joannes Velamin Rutskyj in "exitu viarum" (1603-1608)*, in *Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. I, fasc. 1, p. 9-38.  
b) *Catalogus OSBM*, an. 1949.
- WERNZ F. X. S. J., *Ius Decretalium*, t. III, Romae 1908.
- WERNZ-VIDAL, *Ius Canonicum*, t. III: De Religiosis, Romae 1933.
- WOJNAR M., OSBM, a) *De Regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutskyj instauratorum*, ed. 2, Romae 1949.  
b) *De Capitulis Basilianorum*, Romae 1954.  
c) *De approbatione pontificia Constitutionum Ordinis Basiliani Sti Josaphat*, in *Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. II, fasc. 1-2, p. 229-241.
- WOŁYŃIAK, a) *Z przeszłości Zakonu Bazyliańskiego na Litwie i Rusi*, in *Przewodnik Naukowy i Literacki*, r. 32 (1904) Lwów.  
b) *Bazyliiańskie klasztory unickie w obrębie prowincji białoruskiej*, ibidem r. 35 (1907).  
c) *Bazylianie w Owruczu*, ibidem r. 38 (1910).  
d) *Bazylianie we Włodzimierzu i Trychórach*, Kraków 1912.
- WUERZFELD D., *De iure Regularium*, Parisiis 1857.
- ZANKIEWICZ D., *Theatrum seu Katafalk zakonny godnych i zacnych mężów, pralatów i zakonników reguły św. Bazylego W. od roku Pańskiego 1680*, Poczajoviae.
- ZOCHOWSKI C., a) *Colloquium Lubeskie między zgodą y niezgodą Bracią Narodu Ruskiego Vigore Constitucyey Warszawskiey, na dzień 24 Stycznia An. 1680 złożone*. Lubo stało się Mutum, podaie jednak, tę sprawę Bożą, dobywszy głosu całej Jedności Świętej X. Cyprian Zochow-

ski, z Bożey y Stolicy S. Apostolskiey łaski Metropolita Kiiowski, Halicki y wszytkiey Rusi, Archiepiscop Połocki, Witebski, Mscisławski, Orszański y Mohilowski, Archimandryta Dermański y S. Krzyża do uwagi wiekom, informacyey Rzeczypospolitey, Decyziey J.K.M.P.N. Mil. przypisuiąc, w Druk. Coll. S. J. Leopoli, 1680.

b) *Acta Colloquii a Praesulibus Ruthenis, S. Sedi Apostolicae Romanae Unitis, cum iis qui ab Unione dissident, A. MDCLXXX, die XXIV Januarii in Civitate Lublinensi instituti*, Vilnae 1732 typ. Acad.

c) *Leyturgikon si jest Slużebnyk* s načala typom wydan w Drukar. Sw. Troycy w Wylni a.x.c.w. (1692).

ZYRAWSKYJ P., *Ustawy Sw. Oyca naszego Bazylego W. wkrótce zebrane*, w konwencie Poczajowskim Zakonu tegoż, 1740.



## ABBREVIATIONES

- APF — Archivum (S. Congregationis de) Propaganda Fide.
- AS — Archeografičeskij Sbornik.
- ASV — Archivum Secretum Vaticanum.
- AVAK — *Akty (izdavajemyje) Vilenskoju Archeografičeskoju Kommissijeju.*
- Bullae et brevia — *Bullae et brevia SS. Pontificum, S. Congregationum decreta, nec non Serenissimorum Poloniae Regum diplomata, Congregationem Ruthenorum OSBM concernentia, Poczajoviae 1767.*
- Codex — *Codex Constitutionum Ordinis S. Basilii M., Poczajoviae 1791.*
- CE — *Constitutiones Examinandae seu Hoscenses, Poczajoviae 1772.*
- CG — Congregatio Generalis (S. Congregationis de Propaganda Fide).
- CP — Congregatio Particularis (eiusdem).
- CR — *Constitutiones Recognitae a. 1686.*
- Indulgentiae — *Indulgentiae, brevia, decreta SS. Pontificum et SS. Congregationum, nec non sancita Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, Poczajoviae 1788.*
- Observanda — *Observanda circa electionem Protoarchimandritae ipsumque capitulum eiusdem generale electivum, a. 1686.*
- OCP — *Orientalia Christiana Periodica.*
- Opisanije dokumentov — *Opisanije dokumentov archiva zapadnorusskich mitropolitov, t. I, II, 1470-1700, Sanktpeterburg 1897.*
- SCPF — Sacra Congregatio de Propaganda Fide.
- Scr.CG — Scritture (riferite nelle) Congregazioni Generali (eiusdem).
- Vol. I — WOJNAR M., OSBM, *De Regimine Basilianorum Ruthenorum a Josepho Velamin Ruskij instauratorum, Romae 1949.*
- Vol. II — WOJNAR M., OSBM, *De Capitulis Basilianorum, Romae 1954.*
- TKDA — *Trudy Kijevskoj Duchovnoj Akademii.*



**PARS I.**

**DE PROTOARCHIMANDRITA**



## PRAENOTANDA

### Art. 1

#### Notio et divisio Superiorum religiosorum in iure posttridentino (1)

Hierarchia Religiosorum interna iure posttridentino determinabatur et constabat duabus classibus institutorum regiminis i.e.:

- 1) institutis collegialibus seu Capitulis,
- 2) institutis singularibus seu Superioribus<sup>2</sup>.

Conceptu vero Superioris comprehendebantur:

- 1) tum Superiores, qui sola potestate dominativa in regendis religiosis gaudebant<sup>3</sup>,

<sup>1</sup> Bibliographia selecta iuris posttridentini:

ANGELUS A SS. CORDE JESU, O. CARM., *Manuale iuris communis et specialis Carmelitarum discalceatorum*, Gandae 1899.

ANTONIUS DE SPIRITU S. O. CARM., *Directorium spirituale* (de Privilegiis, obligatione, regimine Regularium), Lugduni 1661.

D. BOUXX, *De iure Regularium*, 2 vol., Parisiis 1876.

A. ERNST, *De iure Praelatorum saecularium et regularium*, Moguntiae 1732.

L. MIRANDA, OFM, *Directorium seu Manuale Praelatorum Regularium*, Romae 1612.

L. PEYRINIS, O. MINIM., *Religiosus subditus et Praelatus*, Venetiis 1648.

*Formularium Praelatorum Regularium*, Venetiis 1648.

D. M. PRÜMMER, O.P., *Manuale iuris ecclesiastici*, t. II, Ius Regularium speciale, Friburgi. 1907.

F. PIATO MONTESI, OMCAP., *Praelectiones Juris Regularis*, vol. I, II, Parisiis-Lipsiae-Tornaci 1906.

FR. M. ROTARIUS, O. BARN., *Theologia moralis Regularium*, Bononiae 1720-22.

A. TAMBURINI, O. VALLUMB., *De iure Abbatum et aliorum Praelatorum*, Lugduni 1640.

A. VERMEERSCH, S.J., *Ius decretalium*, vol. III, pars II, (ed. 2), Romae 1908.

D. WUERZFELD, *De iure Regularium*, Parisiis 1857.

<sup>2</sup> « In omnibus Institutis potestas est cum collegialis tum singularis. Quare ad mixtum genus referri potest res publica omnium Religiosorum, cum unus, ampla potestate, praesit instar regis, cui adest senatus quidam consiliariorum tanquam optimatum, summa tamen rerum sit penes capitulum generale: quo fit ut voluntati universitatis servetur et electio capitis et praecipuarum rerum definitio ». VERMEERSCH, o. c., t. I, p. 239, n. 400.

<sup>3</sup> « Superiores sunt proprie quotquot, ex munere commisso, dominativa saltem potestate regunt personas »; VERMEERSCH, *ib.*, p. 244, n. 411.



2) tum Praelati seu qui etiam aliquo gradu vel forma iurisdictionem habebant in utroque foro <sup>4</sup>.

Sed cum hanc ultimam Romanus Pontifex communicabat solis Institutis clericalibus exemptis, ideoque Instituta non exempta Praelatis carebant.

Quaestio tantum iure posttridentino erat, utrum etiam Superiores locales in Institutis clericalibus exemptis uti Praelati considerandi essent <sup>5</sup>; communis tamen sententia id affirmabat <sup>6</sup>. Immo idem tenebatur etiam de Vicariis, qui Praelatis deficientibus interim succedebant in regimine, non autem de Vicariis qui a Praelatis pendebant eisque in adiutorum dabantur <sup>7</sup>.

A conceptu Superioris distinguendus erat conceptus officialium. At in hoc non stabilis erat terminologia, uti notabat Vermeersch: « Officiales sunt omnes qui aliquo titulo regunt personas vel res. Interdum vox de iis tantum intelligitur qui ex officio praesunt personis, i.e. de Superioribus; interdum vero est nomen quo ii designantur qui non sunt Superiores, sed aliquam sibi commissam habent administrationem » <sup>8</sup>. Sensu peculiari erant officiales, qui Superioribus adiungebantur sive uti Deffinitores, Assistentes vel Consultores; sive uti Vicarii-Superiores vel Ministri; sive uti Procuratores <sup>9</sup>.

<sup>4</sup> « Praelati proprie dicuntur, qui ordinariam habent iurisdictionem in utroque foro, interno scilicet et externo »; PIATO MONTESI, o. c., t. I, p. 529, Q. 622.

« Praelati proprie sunt ii qui vario nomine ac gradu iurisdictionem habent in utroque foro. Quare Praelatis carent Instituta non exempta »; VERMEERSCH, o. c., p. 244, n. 411.

<sup>5</sup> « De Superioribus localibus est a quibusdam dubitatum utrum necne essent Praelati proprie tales fruentes iurisdictione quasi-episcopali. Verum, cur inter istos Praelatos distinguas, ratio in legibus nulla est; communis autem, cum Suarez, est affirmantium sententia. Argumentum sumi praeterea ex C. S. Pii V Romani Pontificis, qui Priori conventuali similem Episcopi tribuit facultatem absolvendi. Cfr. etiam dicta in causa Eremit. S. Augustini, apud Bizzarri p. 776 et nota »; VERMEERSCH, o. c., p. 245, n. 412.

<sup>6</sup> « An vere Praelati dicendi sint Guardiani? Communis sententia affirmat: quia ordinariam in personas conventus habent iurisdictionem in utroque foro »; PIATO MONTESI, o. c., p. 530, Q. 623, 3.

<sup>7</sup> « Idem (ac n. 3) communiter dicunt auctores de Vicario, qui in loco Praelati defuncti vel amoti constituitur; secus vero de Vicario qui a Praelato pendet, eique in adiutorium datur, etiamsi absentes sint Guardiani »; *ib.*, n. 5.

<sup>8</sup> VERMEERSCH, o. c., p. 244, n. 411, 3.

<sup>9</sup> « Officiales qui Superioribus adjunguntur.

1. Praelatis seu Superioribus dantur consiliarii, qui, cum agitur de Superiore generali, vel etiam quandoque de provinciali, dicuntur Deffinitores seu Assistentes.

2. Praelato vel Superiori locali saepe adjungitur Vicarius, qui auxilio sit praesenti, vices suppleat absentis, diciturque Superior, Minister, etc. Hic non est vere Praelatus, nec saltem praesente Praelato, praecipere valet in virtute obedientiae; in partem tamen venire solet potestatis dominativae, ita ut Superioribus referri possit. Conferendae praeterea sunt propriae Constitutiones.

3. Ad negotia Instituti apud S. Sedem agenda, deputatur Procurator generalis.

4. Res familiaris domorum vel provinciae gerenda committitur Procuratori-bus seu Praefectis oeconomiae »; VERMEERSCH, o. c., p. 245, n. 413.

**Divisio Superiorum.**

1) In Religionibus centralisatis plerumque divisio Superiorum erat in triplicem gradum hierarchicum scilicet generales, provinciales et locales<sup>10</sup> qui omnes immediatam et ordinariam potestatem habebant in subditos<sup>11</sup>, etsi non cum eadem iurisdictionis amplitudine<sup>12</sup>.

2) Superiores omnes, etiamsi non Praelati, poterant esse perpetui vel temporales, sed in nullo Instituto Superior erat perpetuus praeter supremum i.e. perpetuitas superioratus, si ita ferebant constitutiones, possibilis erat in solo Superiore supremo<sup>13</sup>.

3) Dein iidem Superiores poterant esse ordinarii vel extraordinarii, prout fungebantur munere stabili vel mandatum tantum peculiare exsequiebantur; ita plerumque visitatores<sup>14</sup>.

4) Denique quod solos Praelatos spectat, poterant esse infulati vel non infulati; illi erant Abbates perpetui qui ritu sollemni benedicebantur<sup>15</sup>.

<sup>10</sup> Exceptionem constituebant canonici Lateranenses, qui provinciales Superiores non habebant.

<sup>11</sup> « Hinc praedicti Praelati in hoc conveniunt, quod singuli eorum habent iurisdictionem immediatam et ordinariam in subditos; tam enim Generalis in toto Ordine, quam Provincialis in sua Provincia, et Superior localis in suo monasterio possunt cuilibet subdito praecipere, immediate ipsum compellere ad obediendum, cognoscere ejus crimen, punire tamquam Judices, et corrigere tamquam Patres; unde non comparantur ad invicem, tamquam Episcopus, Archiepiscopus, et Patriarcha; solus enim Episcopus habet immediatam iurisdictionem in suos subditos; Archiepiscopus et Patriarcha solum habent illam in casu appellationis aut visitationis»; ANGELUS A SS. CORDE, *Manuale juris communis Regularium et specialis Carmelitarum Discalceatorum*, t. II, p. 8, Q. 699.2.

<sup>12</sup> « Quae autem praelaturae, sicut in uno respectu inter se conveniunt, ita sub alio respectu inter se differunt. In primis principaliter differunt in amplitudine iurisdictionis; nam praelatura generalis habet generalem amplitudinem, et iurisdictionem ad omnes, qui sunt in corpore totius Religionis; Provincialis autem, ad eos tantum, qui sunt in Provincia; denique localis, ad eos, qui sunt in monasterio. Ex hac vero differentia oritur et alia differentia nempe finis: nam Praelatus Generalis respicit et intendit bonum commune totius Religionis; Provincialis, bonum totius Provinciae; et localis, bonum particulare sui monasterii. Praelatus supremus intra Religionem ab alio non dependet; medius dependet a supremo; et infimus dependet a supremo et medio. Hinc Praelatus supremus potest limitare et coarctare potestatem et iurisdictionem Praelati medii et infimi; et Praelatus medius potest coarctare iurisdictionem Praelati infimi»; *ib.*, n. 3.

<sup>13</sup> « Praelati sunt perpetui vel temporales: quae divisio quadrat in Superiores. Agendum, in nullo Instituto est perpetua praelatura praeter supremam. Quod ad caput Ordinis: a) Apud Regulares, abbates monachorum et Praepositus Generalis S.J. eliguntur in perpetuum: ceteri in definitum tempus: sex, duodecim annos. b) Monialium abbatissae est perpetua institutio. c) In Institutis votorum simplicium raro est perpetuum munus Superioris vel Superiorissae generalis. Plerumque in sex annos eliguntur, facultate plus vel minus ample facta, eundem rursus semel saltem eligendi. Apud Sorores a Sacratissimo Corde deputatio Generalissae est perpetua»; VERMEESCH, o. c., p. 244, n. 412.

<sup>14</sup> *ib.*, p. 245.

<sup>15</sup> *IBIDEM*.

## Art. 2

## Notio et divisio Superiorum in Ordine Basiliano

Supposita nuper exposita disciplina Religiosorum communi in iure post-tridentino, secundum quam in genere etiam regimen Basilianorum saec. XVII et XVIII compositum erat, quaedam tantum peculiaritates tum quoad ipsam organisationem, tum praesertim quoad terminologiam constitutionum eorundem notandae sunt.

Itaque, etiamsi sine dubio ad normam dictae disciplinae communis, omnes Superiores Basilianorum Praelati erant, attamen in constitutionibus eorundem termino « *Praelaturarum* » et « *Praelatorum* » illi soli, qui dignitate aliqua ecclesiastica insigniti erant, designabantur; i.e.:

1) Metropolitana et Episcopi (Praelati maiores), qui etiam in regimine interno Ordinis aliquam saltem participationem habebant<sup>16</sup>.

2) Archimandritae (Praelati minores), dignitate ecclesiastico-monastica homonima insigniti ad vitam alicui monasterio, quod per hoc, si nondum erat, in archimandriam evehebatur, praeerant. Inter alia sua privilegia iidem facultate, quae in iure latino aliquomodo privilegio abbatum « pontificalibus uti » correspondebat, gaudebant<sup>17</sup>.

Dein sicut in iure communi, uti vidimus, aliquando, ita in constitutionibus Basilianorum semper termino « *Officialium* » vel comprehensive « *Officiorum* », quod duplex erat, scilicet « *Officium Ordinis* » et « *Officium Provinciae* », designabantur constituentes respectivam curiam, incluso Protoarchimandrita, si de « *Officio Ordinis* » agebatur<sup>18</sup>.

Dum vero termino « *Superiorum* » sine ullo adiecto communiter Superiores locales simplices monachi, i.e. non Archimandritae, designabantur.

Componebatur autem regimen Basilianorum triplici Superiorum gradu; i.e.:

1) Protoarchimandrita seu Superiore Generali cum respectiva curia

<sup>16</sup> Eligebantur enim aliquando in Protoarchimandritam et capitulo generali participabant.

<sup>17</sup> WOJNAR M., OSBM, *De approbatione Pontificia constitutionum Ordinis Basiliani S. ti Josaphat*, in *Analecta OSBM*, Series II, Sectio II, t. VIII, p. 234.

<sup>18</sup> Uti e.g. in const. 13 Cap. Dubnensis 1743: « Omnia officia antiquorum Officialium scilicet Protoarchimandritae, Provincialium, Consultorum et Secretariorum deponantur et reponantur immediate ante electionem novi Protoarchimandritae et aliorum Officialium ».

protoarchimandritali (Consultoribus, Secretariis, Procuratore Romano et in casu necessitatis Vicario Generali).

2) Provinciali cum respectiva curia provinciali (Consultoribus, Secretario, et Procuratore provinciali). Sed hoc nonnisi ab initio secundae periodi i.e. ab a. 1743.

3) Superioribus localibus, qui erant duplicis speciei:

- a) Archimandritae, Praelati proprie dicti seu infulati, perpetui;
- b) Superiores temporales simplices monachi.

Ex quo ergo patet, omnes divisiones Superiorum, quae tunc iure communi sub considerationem veniebant, etiam in disciplina Basilianorum applicationem habuisse i.e. habebantur Superiores:

- 1) generales, provinciales et locales,
- 2) perpetui et temporales <sup>19</sup>,
- 3) ordinarii et extraordinarii <sup>20</sup>,
- 4) infulati et non infulati <sup>12</sup>.

### Art. 3

#### Notio et divisio Protoarchimandritarum

Figura iuridica Protoarchimandritae in constitutionibus Basilianorum, quibus solis haec denominatio propria est, efformata est secundum communem conceptum Superioris Generalis in disciplina latina posttridentina et speciatim in pluribus dependenter a constitutionibus Societatis Jesu <sup>22</sup>.

Verumquidem etymologice spectatum officium Protoarchimandritae videretur significare primum inter Archimandritas (*ὁ πρῶτος ἀρχιμανδριτης*), attamen in conceptu Metropolitae J. Velamin Rutskyj illud nunquam significabat primum inter Archimandritas seu officium Protoarchimandritae nul-

<sup>19</sup> Perpetui non solum erant Archimandritae, verum etiam secundum constitutiones primitivas ipse Protoarchimandrita, uti simplex monachus, etsi de facto tales erant soli Protoarchimandritae-Metropolitae.

<sup>20</sup> Aliquando extraordinarius Praepositus monasteriorum in territorio longe a principali Congregationis corpore sito, qui etiam Vice-Provincialis vocabatur, designabatur. Cfr. cap. Bythen. 1698, s. 5, n. 3, AS, t. XII, p. 139; cap. Bilense 1709, s. 10, n. 3; *ib.*, p. 168.

<sup>21</sup> Hi erant soli Archimandritae, nam si Metropolitae vel Episcopi officium Protoarchimandritae obtinebant, tunc per hoc factum illud non deveniebat tamquam officium Praelati infulati.

<sup>22</sup> Videtis vol. I, p. 130.

lomodo ab existentia Archimandritarum pendebat, tamquam tunc solum sensum haberet, usquequo Archimandritae existerent. Quod maxime elucet e duobus factis :

1) Imprimis ex eo, quod secundum constitutiones primitivas Protoarchimandrita debuit esse simplex monachus et non in dignitate aliqua constitutus i.e. neque Episcopus, quod explicite in constitutionibus signatum erat, sed neque Archimandrita, prout in praxi interpretabatur <sup>23</sup>.

2) Dein idem patet ex alia circumstantia, nempe quod dictus Metropolita officium Archimandritarum in Ordine reorganisato omnino suppressere voluit, hinc Protoarchimandritam non uti primum inter Archimandritas intellexit, si hos suppressendos voluit, etiamsi spectata disciplina illius temporis, maxime vero ob iura patronatus regis Poloniae aliorumve magnatum suppressio dicti officii impossibilis visa est <sup>24</sup>.

Sed denominatio illa tali processu orta esse videtur, quod dictus Metropolita titulum hunc formabat imprimis e communi conceptu Superioris monasterii tunc in Ecclesia Ruthena recepto, qui Archimandrita vocabatur, attamen eidem adiunxit notam superioratus generalis, quae in disciplina orientali veniebat sub nomine « Protos » seu Superioris communis plurium monasteriorum in confoederationes diversae speciei unitorum totumque pondus significationis positum erat in illa nota superioratus generalis, non vero in superioratu locali, uti illa duo facta allata indicant.

Erectum est autem officium Protoarchimandritae in primo capitulo sub Metropolita Rutskyj Novogrodovicensi celebrato a. 1617 quodque totam reorganisationem monachatus Ecclesiae Ruthenae a Metropolita illo peractam exprimebat tamquam centralisationis peractae summus apex: « *unum tamen de medio nostrum omnino habere volumus... cui superiori nomen erit protoarchimandrita* » <sup>25</sup>.

Eundem supremum in Ordine Superiorem continuo eligere sinebat SCPF in decreto novam Congregationem: « *SS. Trinitatis Vilmensis* » confirmante a. 1624: « *eisdem facultatem concessit eligendi sibi perpetuis futuris temporibus unum Generalem seu Protoarchimandritam totius Russiae* » <sup>26</sup>.

Quibus generalibus verbis nondum est determinata eiusdem officii accurata figura iuridica, quae determinanda relinquitur ipsi Ordini, cui simul cum illa facultate concessa est etiam alia, nempe in capitulis generalibus ipsas « *constitutiones conficiendi* ». Erat ergo capitulorum generalium hanc figuram determinandi, sed prout tota disciplina Ordinis evolvebatur per diversas periodos et phases, ita etiam figura iuridica officii Protoarchimandritae.

<sup>23</sup> Videsis vol. II, p. 113, nota 13.

<sup>24</sup> M. WOJNAR, *art. c.*, p. 234.

<sup>25</sup> Cap. Novogrodovicen. 1617, const. 3, videsis vol. I. p. 140.

<sup>26</sup> Vol. I. p. 67.

Secundum ergo has periodos et phases ipsam historicam divisionem Protoarchimandritarum determinamus:

## I. PROTOARCHIMANDRITAE PRIMAE PERIODI

### 1) PROTOARCHIMANDRITAE-METROPOLITAE AD VITAM CONSTITUTI

(1617-1675)

Verumquidem primus Protoarchimandrita novae Congregationis SS. Trinitatis erectae electus est capitulo primo ipse eiusdem Congregationis Instaurator Metropolita Iosephus Velamin Rutskyj, qui tamen nonnisi per transennam hoc munus gerebat, cum secundum eius ideam Protoarchimandrita, qui in apice constitutus toto monachatu Ecclesiae Ruthenae unito praeesset, e monachis simplicibus, non Episcopis, ad vitam electus esse debisset. Quam vero ideam dictus Metropolita, quamprimum Institutum illud a S. Sede approbatum est, in praxim introducere conatus est eo, quod statim capitulo quarto (Lavrysiensi a. 1626) simplicem monachum Raphaellem Korsak in Protoarchimandritam ad vitam eligere curavit et revera in historia Protoarchimandritarum hic Protoarchimandrita summam huiusmodi idealis repraesentat, nam nunquam postea idea illa, ut simplex monachus ad vitam Protoarchimandrita constitueretur, in praxim deducta est. Iam enim hic ipse Protoarchimandrita Raphaël Korsak paucis annis postea hoc munere, ut simplex monachus, fungens, Episcopus, imprimis Metropolitae Coadiutor et Haliciensis titularis, dein vero Pinscensis Ordinarius, denique post mortem Rutskyj ipse Metropolita factus, simul, etsi renuntiare voluit, sed a capitulo rogatus et confirmatus, usque ad mortem suam (Romae 1640) etiam officium Protoarchimandritae Ordinis retinuit.

Sequentes duo Metropolitae iam non ex voluntate Basilianorum, sed immo hisce invitis munus etiam Protoarchimandritae obtinuerunt et ad mortem retinuerunt (Antonius Sielava inter aa. 1642-1655; Gabriel Kolenda inter aa. 1667-1674).

Officium enim Protoarchimandritae tempore illo ad summam potestatis in Ecclesia Ruthena ab una persona obtinendam inserviebat, dum scilicet tum omnes Episcopi et clerus saecularis uti Metropolitae, tum clerus regularis uti Protoarchimandritae eidem subiecti erant.

Sub quinto tamen Metropolita Cipriano Zochowskyj deventum est ad separationem inter utrumque officium, Metropolitae scil. et Protoarchimandritae, at idea primitiva Metropolitae Rutskyj ad effectum deducta non est, ut nempe simplex monachus ad vitam in regendo toto Ordine sit constitutus, nam munus Protoarchimandritae transiit quidem ad simplices monachos, sed

ex perpetuo constitutionaliter in quadriennale mutatum est in capitulo Zyrovicensi a. 1675, quo electus est talis Protoarchimandrita primus Pachomius Ohilewycz. Ratio autem huius mutationis in eo ponenda est, quod noluit Hierarchia, ut simplex monachus, uti Protoarchimandrita advitalis — regens potioem partem cleri, i.e. regularem, auctoritatem in Ecclesia Ruthena fere metropolitanae aequalem habaret.

2) PROTOARCHIMANDRITAE SIMPLICES MONACHI AD QUADRIENNIUM CONSTITUTI.

(1675-1743)

a) *In Congregatione SS. Trinitatis.*

Protoarchimandritae quadriennales, monachi simplices, non Episcopi, inde ab anno 1675 retinentur usque ad finem huius periodi. Eliguntur communiter e gremio ceterorum Officialium Ordinis (i.e. Consultorum et Secretarii, quorum constitutio ad vitam ulterius est retenta) et communiter una tantum vice munere Protoarchimandritae funguntur. Verum tamen in quo speciales qualitates ad regendum manifestae erant, hic pluries idem munus gerebat, uti e.g. Protoarchimandrita Leo Kiszka inter aa. 1703-1708 et 1709-1714, qui postea Episcopus Volodymiriensis nominatus, brevi etiam Metropolita totius Ecclesiae Ruthenae electus est et eius ductu clarissimum opus in legislatione eiusdem Ecclesiae peractum est nempe synodus Zamostiana a. 1720 celebrata. Similiter duplici vice in Protoarchimandritam electi sunt Stephanus Martyszkiewycz-Busynskij inter aa. 1679-1683 et 1683-1686 atque Simeon Ohurcewycz inter aa. 1690-1694 et 1694-1698.

Eligebantur ad quadriennium et ita communiter perdurabant, nisi morte aut ascensu ad Episcopatum impediabantur, uti praedicti Ohurcewycz et Kiszka atque Cornelius Lebeckyj electus a. 1727 in Protoarchimandritam et a. 1729 Episcopus Volodymyriensis nominatus.

Verumquidem neque inter ipsos Protoarchimandritas deerat aliquando subiectum hoc munere indignum (uti Witrynskyj Maximianus a. 1717 electus et a. 1719 depositus), in genere tamen Protoarchimandritae Ordinis Basiliani apicem totius cleri Ecclesiae Ruthenae repraesentabant. Inter eos enim, ut vidimus, prima serie erant ipsi Metropolitae (quidam Episcopus, ut clarissimus suo tempore Jacobus Susza Ep. Cholmensis, Protoarchimandrita inter aa. 1661-1665). Sed et ex secunda serie, scil. monachorum simplicium, candidati ad respectivas cathedras episcopales digni inventi sunt, omnes vero sub respectu praesertim culturali et disciplinari elitam cleri constiuebant.

b) *In Congregatione Protectionis B. V. Mariae.*

In electione tamen praedictorum Protoarchimandritarum vocem nec activam, nec passivam obtinebant monachi eiusdem Ecclesiae Ruthenae catholicae, qui tamen in Congregatione SS. Trinitatis coagmentati non erant, sed formam monachatus orientalis pristinam retinebant. Hi ultimi vi synodi Zamostianae in fine huius periodi primae similem Congregationem alteram Protectionis B. V. Mariae constituerunt et sibi alterum etiam Protoarchimandritam item quadriennem elegerunt in capitulo Leopoliensi a. 1739, videlicet Patricium Zyrawskyj, qui de facto de Congregatione antiqua SS. Trinitatis procedebat atque duobus annis post suam electionem in ordine ad unionem duarum Congregationum in unam obtinendam officio Protoarchimandritae renuntiavit.

## II. PROTOARCHIMANDRITAE SECUNDAE PERIODI

1) AD QUADRIENNIUM CONSTITUTI INTER AA. 1743-1751.

2) AD OCTENNIUM CONSTITUTI INTER AA. 1751-1804.

Duabus Congregationibus praedictis in unam seu Ordinem Basilianum unitis Protoarchimandritae Ordinis e simplicibus monachis, exclusis iam de iure ab hoc officio Episcopis, immo initio etiam Archimandritis, eligebantur. Alternativa electionis stricte observata (vi cuius altera vice ex una, altera vero ex secunda provincia Protoarchimandrita eligendus erat) multum profuit ad adaequandam aestimationem assimilandamque disciplinam vitae religiosae hucusque non parae conditionis inter utramque provinciam, quarum prima s.d. Lithuana praxi saeculari edocta plura monumenta eruditionis et disciplinae contulit optima.

Protoarchimandritae Ordinis in munere suo omnem potestatem super Ordine supremam internam comprehendentes (eliminata nempe hac periodo super Ordine potestate non solum Episcoporum sicut periodo prima, verum etiam ipsius Metropolitanae) auctoritatem in Ecclesia Ruthena sibi compararunt ipsi metropolitanae vix non parem, data tunc Ordinis Basiliani summa evolutione extensioneque. Cui auctoritati consonum Romanus Pontifex existimavit, dignum esse, ut ornaret hosce Protoarchimandritas durante eorum officio insignibus archimandritilibus (seu privilegio simili, quod in ritu latino sonat « pontificalibus uti »).

Inter individua Protoarchimandritarum hac periodo habebantur, qui non solum in Ordine Basiliano Ecclesiaeque Ruthenae, sed immo apud ipsam S.



Sedem optimam famam summamque auctoritatem ob suam doctrinam artemque regendi et pietatem erga S. Sedem sibi conciliarunt, quorum omnium clarissimus erat Porphyrius Skarbek-Wazynskyj e provincia Lithuana duplici vice in Protoarchimandritam electus, scilicet inter aa. 1772-1780 et 1788-1790 et postea Episcopus Cholmensis nominatus. Eidem similis erat Heraclius Lisanskyj inter aa. 1751-1759, postea Archiepiscopus Smolenscensis, qui erat etiam e provincia Lithuana. Sed etiam e provincia Ruthena seu Haliciensis duplici vice in Protoarchimandritam electus est Hypatius Bilynskyj inter aa. 1747-1751 et 1759-1771. Ceteri tres huius periodi Protoarchimandritae, scilicet primus in capitulo primo huius periodi Dubnensi a. 1743 electus e provincia Lithuana Polycarpus Mihuniewycz mox officio suo functus Archiepiscopus Smolenscensis nominatus est a. 1747. Alter vero Iosephus Morgulec e provincia Ruthena electus a. 1780 (capitulo scilicet, quo totus Ordo in quatuor provincias divisus est) terminum officii sui non est adeptus, morte praematura praeventus a. 1787. Ultimus denique in serie Protoarchimandritarum illius periodi Justus Husakowskyj a. 1802 electus in imperio Rossiaco ab huius Senatu approbatus non erat sed immo vi decreti imperialis a. 1804 editi ipsum officium Protoarchimandritae Basilianorum in Imperio Rossiaco pro semper suppressum est, quo pacto ipsa etiam series Protoarchimandritarum Basilianorum extincta est.

Duo denique Vicarii Generales hac periodo, vacante officio Protoarchimandritae, hoc titulo a S. Sede decorati sunt, scil. Maximilianus Wilczynskyj Vicarius Generalis ab a. 1790 ad mortem suam a. 1793 et post eius mortem Athanasius Falkowskyj, Vic. Gen. inter aa. 1793-1802.

#### **Art. 4**

##### **De Protoarchimandritae constitutione, qualitibus et officii ab eo assumptione**

Etiamsi hae quaestiones iam ad figuram iuridicam Protoarchimandritae determinandam pertinent, attamen propterea quod de eis iam alibi ex parte actum est et hic solum quaedam sunt complenda, hoc loco ponuntur.

1) Protoarchimandrita tam prima quam secunda periodo legitima electione in capitulo generali peragenda constituendus erat, uti hoc requirebant constitutiones primitivae capituli primi Novogrodovicensis a. 1617<sup>27</sup>, de-

<sup>27</sup> AS, t. XII, p. 11, n. 12.

cretum SCPF a. 1624<sup>28</sup> et consequenter *Constitutiones Recognitae* a. 1686<sup>29</sup> pro prima periodo; decretum vero SCPF a. 1742<sup>30</sup> omnesque constitutiones capitulares<sup>31</sup> pro altera periodo. Quomodo haec electio legitime peragenda esset volumine II *De Capitulis Basilianorum*, dum scil. de parte electiva capituli generalis agitur, determinatur.

2) Ibidem, dum specificè de eligendis agatur, conditiones ad validam electionem huiusmodi in candidato requisitae enumeratae sunt, ita ut hic solum qualitates, quae idealem candidati figuram delineabant et secundum quas dignior quis reputabatur, indicandae sint.

Utraque periodo similes qualitates huiusmodi supponuntur, eo tamen discrimine, quod prima periodo in constitutionibus, quae in vigore erant, delineabantur, dum periodo secunda in constitutionibus paratis tantum descriptae sunt, etiamsi praxi tunc receptae correspondentes, mentem patrum capitularium Protoarchimandritae electorum sine dubio reddebant.

Prima periodo huiusmodi qualitates nonnisi in « *Observanda* » in unum collectae sunt capite primo: « De iis, quae ad electionem Protoarchimandritae spectant »<sup>32</sup>; secunda periodo easdem referunt tum « *Constitutiones examinandae* » ex a. 1772<sup>33</sup>, tum « *Codex constitutionum* » ex a. 1791 occasione informationum ante electionem Protoarchimandritae ab electoribus capiendarum<sup>34</sup>. Examine earundem instituto facile ad duas classes contrahi possunt, scil. internas et externas.

a) Internae: unio cum Deo, libertas ab inordinatis animi passioni-

<sup>28</sup> *Bullae*, P. I, p. 50.

<sup>29</sup> CR, cap. IV; *Observanda*, cap. 2.

<sup>30</sup> *Bullae*, P. I, p. 73, n. 2.

<sup>31</sup> *Omnia capitula const.* 1.

<sup>32</sup> Quod caput fere totum videsis vol. I, p. 130, additis hic sequentibus:

« Hic secundum breve Urbani VIII ad quadriennium tantum erit, et quia in eo totum religionis bonum situm sit, necesse est ut experientia polleat rerum et bene perspectum habeat unumquemque in religione, obtineatque apud eos, nec non apud saeculares suam auctoritatem et honorem.

Ad hoc munus eligi debet is, de quo scitur eum esse bene qualificatum intus et exterius: intus mortificatione passionum, itemque singulari et stricto vinculo cum Deo per contemplationem; exterius autem, ut sermo et conversatio ipsius eiusmodi sit, quae aedificare possit unumquemque, tam in religione, quam in saecularibus ».

<sup>33</sup> CE, p. 216.

<sup>34</sup> *Codex*, p. 196, n. 36: « ... num praxi notitiaeque rerum Congregationis nostrae sit instructus? num in Congregationem suam conservandam, eiusque bonum, ac praesertim spiritum promovendum studio feratur? quomodo diligat ritum suum? num ab inordinatis animi passionibus sit liber? et in agendis negotiis solers, ac strenuus? an prudentia polleat, quae viros decet summa Religionis administraturos? qua praeditus sit doctrina, ac praesertim rerum spiritualium cognitione? Qua morum honestate? Et caetera, quae par est habere eos, qui occasione sui numeris magna agere et cum hominibus varii status, ac conditionis versari tenentur ».

bus, experientia in regendo, notitia rerum Ordinis, boni Ordinis amor et studium, ritui seu Ecclesiae Ruthenae addictio<sup>35</sup>.

b) Externae: opportuna aetas, valetudo, immo etiam statura, in doctrina et prudentia fundata auctoritas, ei necessaria tum respectu religiosorum sibi subiectorum, tum respectu virorum varii status et conditionis, cum quibus durante officio tractandum erat, hinc etiam quantum fieri potuit, clarum genus seu « nobilitas » commendabatur.

3) Protoarchimandrita legitime electus statim ius in re obtinebat statimque administrationem Ordinis suscipere valebat, neque confirmatione in suo officio indigebat.

Prima periodo ad finem electionis descriptae posita est constitutio hanc rem plane explicans: « Novus protoarchimandrita collato sermone cum metropolitano iuxta nexum negotia muneris sui ordinetur, superiores et officiales per monasteria constituet, item fratres, ubi quis mansurus sit, disponet, et quidquid aliud necessarium censuerit esse, peraget »<sup>36</sup> seu statim post electionem officium suum exercendi validatur.

Secunda periodo idem patet ex eo, quod: a) antiqui (i.e. descendentes) Officiales immediate ante electionem novi Protoarchimandritae officia sua deponere tenebantur, inter eos etiam Protoarchimandrita<sup>37</sup>; b) novus Protoarchimandrita statim post sui electionem et perdurante adhuc capitulo generali, praesidere debuit sessionibus provincialibus et electioni Officialium provincialium<sup>38</sup>; c) Benedictus PP. XIV aegre exprobravit provinciae Ruthenae, quae, unione peracta cum alia provincia seu Lithuana, praestare noluit immediatam obedientiam novo communi Protoarchimandritae, sed tantum eandem promist conditionatam, si nempe Romanus Pontifex constitutiones capitulares approbet et nonnisi post huiusmodi approbationem<sup>39</sup>.

Verumquidem hac secunda periodo fere omnes electiones Protoarchimandritarum a S. Sede expresse postea approbatae sunt, attamen id erat, ut et alibi iudicavimus<sup>40</sup> non ratione sui, sed ea ratione, quod post omne capitulum generale ad S. Sedem mittebantur constitutiones fundamentales Ordinis in capitulis componendae, quae necessaria indigebant approbatione, et cum eis etiam omnia acta capitularia simul cum relatione de electionibus peractis mittebantur.

<sup>35</sup> Hoc facile explicari potest, spectato frequenti transitu ad ritum latinum et influxu, quem Protoarchimandrita in Ecclesia Ruthena exercuit.

<sup>36</sup> AS. t. XII, p. 179, n. XX.

<sup>37</sup> Cap. aa. 1743, 1747, 1751 const. 15; cap. 1759 const. 18; cap. 1772 const. 37.

<sup>38</sup> Cfr. omnia cap. gen., sessiones provinciales.

<sup>39</sup> « *Inter plures* », § 31. DE MARTINIS, *Ius Pont.*, P. I, vol. III, p. 150; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontif. Rom.*, vol. II, p. 99.

<sup>40</sup> Cfr. vol. II, p. 100.

Si vero insistemus in eo, quod iure communi posttridentino plures Ordines nonnisi per privilegium huiusmodi confirmatione Generalis electi non indigebant<sup>41</sup>, tunc Ordo Basilianus facultatis huiusmodi implicitam concessionem per hoc accepisse dicendus est, quod constitutiones Ordinis in quibus, ut vidimus, immediatum post electionem officii protoarchimandritalis exercitium supponebatur, a S. Sede expresse confirmatae sunt.

Sed nonne ab ipso saltem Metropolita huiusmodi confirmatio requirenda esset? Minime tenus. Secunda enim periodo hoc sane planum est, nam tunc Ordo exemptus erat omnino ad normam Religiosorum latinorum iuxta decretum SCPF ex a. 1742<sup>42</sup>. Prima autem periodo principium generale de subiectione monachorum Basilianorum iurisdictioni Metropolitae in concreto determinatum est contractu synallagmatico inter utramque partem, in quo tamen nullum ius huiusmodi Metropolitae consideratum est.

Hinc Protoarchimandrita, utraque periodo, legitime electus immediate ad exercitium suae potestatis transire valebat, cuius natura et ambitus in sequentibus videnda sunt.

---

<sup>41</sup> « Jure communi, neque Praelati regulares administrationem ante confirmationem suscipere possunt, alias eo ipso privantur jure per electionem ipsis quaesito et ibi ineligibiles declarantur. — Plerumque tamen Religiones privilegium obtinuerunt, vi cuius eo ipso quo Generalis est electus, a R. Pontifice censetur confirmatus; adeoque statim administrationem suscipere valet. Ita pro Ordine FF. Praedicatorum concessum est, item pro Soc. Jesu, necnon pro Ordine FF. Minorum »; PIATO, o. c., t. I, Q. 706, n. 5, 6.

<sup>42</sup> *Bullae*, P. I, p. 74, n. 6.



## CAPUT I.

### **DE POTESTATE PROTOARCHIMANDRITAE**

#### PRIMA PERIODO

- Art. 1. - QUOAD CETERA REGIMINIS INSTITUTA.
- Art. 2. - QUOAD TOTAM CONGREGATIONEM ET MONASTERIA.
- Art. 3. - QUOAD SINGULOS MONACHOS.

#### SECUNDA PERIODO

- Art. 1. - QUOAD CETERA REGIMINIS INSTITUTA.
- Art. 2. - QUOAD TOTUM ORDINEM, PROVINCIAS ET MONASTERIA.
- Art. 3. - QUOAD SINGULOS MONACHOS.



## CAPUT I.

### DE POTESTATE PROTOARCHIMANDRITAE

#### Prima Período

Ordo Basilianus Ruthenus tam prima, quam secunda período erat Religio clericalis et exemptione quadam semper gaudens — hinc potestas Superiorum in eodem erat tum dominativa tum iurisdictionis seu ordinis privati et publici.

« Potestas ordinis privati est simpliciter domestica, quae habetur ad regendam domum et familiam ibi contentam, et competit capiti domus quantum necesse est ad ordinem domesticum tutandum. Haec ampliatur usque ad quamdam generalem mancipationem personae sive ex huius infirmitate, ut in filios non adultos, sive ex conditione servili, ut antiquitus in servos proprie tales, sive ex voluntaria deditioe, ut in Religiosos.

Hi post novitiatum, firmant votis, praecique voto obedientiae, subiectionem in rebus quae pertinent ad religiosam disciplinam. Haec est potestas dominativa, quae vi voti possidetur cum agitur de Religiosis.

Potestas publica est iurisdictionis. Fontem habet divinam missionem collatam Petro et Apostolis ad regendam ipsam Ecclesiam »<sup>1</sup>. Quae « hac ratione in Praelatos regulares defluxit: quum Regularium exemptio ab Episcopi iurisdictione statuta fuerit et sic solius R. Pontificis iurisdictioni immediate subjecti fuerint, necessarium fuit, ut eorum Superiores in illos iurisdictionem haberent, tam quoad forum internum, quam quoad forum externum; non enim convenienter poterant per solum R. Pontificem immediate gubernari »<sup>2</sup>.

« Quomodo discriminetur potestas iurisdictionis a potestate dominativa? »

R. 1<sup>o</sup> Ratione originis. Iurdictio, utpote potestas spiritualis ad claves Ecclesiae pertinens, procedit a Summo Pontifice, ultimatim vero ab ipso Christo.

Potestatem autem dominativam oriri dicunt alii ex voto obedientiae alii vero rectius ex iure naturali hypothetico, supposita nempe institutione legitima Congregationis religiosae, tum deditioe peracta eorum qui Institutum ingrediuntur.

<sup>1</sup> VERMEERSCH-CREUSEN, o. c., t. I, n. 619, p. 432.

<sup>2</sup> PIATO, o. c., t. I, Q. 735, p. 598.



2° Ratione communicationis. Jurisdictio in illis tantum invenitur Congregationibus virorum qui sacro Presbyteratus ordine insigniuntur. Quodsi huiusmodi Religiosi plenam obtinuerint exemptionem, jurisdictio illa ordinaria erit, et qui illa potiuntur vere Praelati nominandi sunt. Si vero exemptio illa non obtinet, jurisdictio, si quae data sit, delegata erit.

Potestas autem dominativa nequit non existere statim ac duae conditiones supra R. 1° memoratae verificantur nempe: Congregatio legitime approbata et traditio Religiosorum peracta; ideoque illa potestate gaudent omnes omnino Superiores etiam Superiorissae Monialium votorum sive simplicium sive solemniium. Superiores ergo jurisdictionem habentes duplici potestate uti possunt ad gubernandum subditos.

2° Ratione ambitus. Communiter docent auctores jurisdictionem ordinariam esse quasi episcopalem, id est tantam, quantum in subditos habent Episcopi. Jurisdictione autem delegata utendum est inter limites in ipsa delegatione definitos. Potestatem vero dominativam exercent Superiores ea ratione quae postulatur, ut finem unicuique Congregationi praefinitum assequi valeant. Ideo varie sese extendet in variis Congregationibus. In genere tamen dicere debemus, eo patere illam potestatem quo diximus obligare ipsum votum paupertatis (sic! puta obedientiae) utpote corroborans virtute religionis subjectionem subditorum erga Superiores »<sup>3</sup>.

Ambitus potestatis Superiorum.

« 1. Vi potestatis domesticae possunt Superiores ea imperare quae ordinem domus servandum et firmandum spectant. Sed, cum agitur de religiosis subditis, potestas ista velut sorbetur potestate dominativa. 2° Vi potestatis dominativae omnes Superiores proprie tales possunt:

a) executionem Constitutionum urgere etiam per ordinationem quae communitatem ex religione obligant;

b) precipere in virtute oboedientiae quaecumque ad religiosas spectant observantias;

c) in foro quodam domestico recipere denuntiationem quae canonica dicitur et bonum domus vel Instituti persequitur;

d) bona administrare conventus et temporales eius rationes curare;

e) propter bonum Instituti, votum quodpiam peregrinationis, ieiunii cum subditis emittere de re quam praecipere possint. Voto tamen Religiosi non tenebuntur nisi qui illud fecerint.

Vi potestatis iurisdictionis Praelati religiosi leges quidem condere plerumque non possunt, ne Generales quidem, si Praepositum Generalem Societatis Jesu quadantenus excipias, qui ordinationes perpetuas promulgare potest;

b) habent potestatem iudiciariam quam inter suos Religiosos definiunt Constitutiones. Nisi Constitutiones aliud statuerint iudex primae instantiae inter Religiosos eiusdem Religionis est Superior provincialis vel Abbas sui iuris...

<sup>3</sup> PIATO, o. c., t. I, Q. 737.

c) Habent potestatem coërcitivam, qua praecepta sua poenis et censuris munire possunt et delinquentibus poenas canonicas infligere secundum Constitutiones.

d) Habent potestatem dispensandi... »<sup>4</sup>.

Explicata natura et ambitu potestatis Superiorum in genere in Religionibus clericalibus exemptis, iam ad accuratam determinationem potestatis Protoarchimandritae secundum constitutiones Basilianorum venimus. Prout iam praevidere possumus norma ambitus huiusmodi potestatis non semper erat eadem, data continua regiminis evolutione. Hinc imprimis distingui debet prima periodus ab altera.

Prima periodo potestas Protoarchimandritae sicut in genere constitutiones Ordinis fere exclusive a capitulo generali determinabantur et legislatio S. Sedis erat paucissima.

Cum autem tota Congregatio SS. Trinitatis una tantum constitueretur provincia, Protoarchimandrita simul officium Superioris Generalis et Provincialis coniungebat<sup>4 a</sup>.

In Constitutionibus primi capituli officium Protoarchimandritae concipitur praecipue tanquam administratoris et visitoris Ordinis ad intra, eo quod ipse Metropolitae supremus Moderator Ordinis esse debuit: « *Quamvis autem metropolitae supremus sit futurus religionis nostrae moderator, unum tamen de medio nostrum omnino habere volumus, qui bonum internum religionis nostrae administret et curet nullo alio amplicatus munere, nisi hoc uno, ut omnia monasteria nostra visitando obeat attendatque ad bonum ordinem tam in praesidibus, quam in aliis fratribus, tum in proventibus monasteriorum, omnibus demum iis invigilet, quae conservando atque augendo bono religionis nostrae inserviunt. Huic administro nomen erit protoarchimandrita* »<sup>5</sup>.

Hinc et potestas Protoarchimandritae hoc capitulo determinata ad monasteriorum praesertim visitationem et administrationem refertur. Huiusmodi enim visitationis mentio fit tum in constitutione supra relata, tum alia, quae, dum asseruerit Protoarchimandritam debere esse Superiorem alicuius monasterii praestantioris, statim casum considerat eiusdem ob visitationem absentiae; tum denique in alia constitutione, quae per se de huiusmodi visitatione ab illo peragenda tractat<sup>6</sup>.

<sup>4</sup> VERMEERSCH-CREUSEN, o. c., t. I, n. 620, p. 443.

<sup>4a</sup> Id iam e *Regulis Particularibus...* Metropolitae Rutskyj elucet: « Cum in Congregatione nostra locum Provincialis obtineat Proto-Archimandrita »... T. HALUSCYNKYJ - A. WELYKYJ OSBM, *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj*, p. 345: *Regulae Provincialis*, n. 1.

<sup>5</sup> AS, t. XII, p. 10, n. 10.

<sup>6</sup> « Alimenta nempe Protoarchimandritae dum visitationis gratia vel in negotiis totius Ordinis ad certa loca profecturus sit, providere debent omnia

Quo pacto Metropolita Rutskyj imprimis et prae omnibus decreto Concilii Tridentini satisfacere conatus est, quod pro omnibus monasteriis Visitatores regulares requirebat, quem ad scopum, si hi deerant, sese in congregationes redigere illis praecepit<sup>7</sup>; quod decretum postea synodus ipsa Zamostiana suum assumet<sup>8</sup>.

Postea tamen officium Protoarchimandritae decreto SCPF tamquam veri Superioris Generalis sine dubio ad normam iuris communis consideratum, agnitum et approbatum, etiam constitutionibus capitularibus, uti tale, ulterius evolvitur eo vel magis quod officio hoc ipsi Metropolitae fungi coeperunt, quo pacto omni praeoccupationi ademptus est locus hoc officio evoluti potestatem metropolitanam offuscata iri. Ex hac tamen circumstantia alia difficultas ortum duxit, nempe pro accurata determinatione ambitus potestatis eiusdem officii, eo, quod in quibusdam haud facile dignosci potest, qua potestate usi sint Metropolitae-Protoarchimandritae, metropolitana scilicet aut protoarchimandritali. Omnino clara evolutio eiusdem officii in genere et eius potestatis in specie incipit nonnisi a momento, quo in Protoarchimandritam simplices monachi eligi coeperunt.

Supposita huiusmodi evolutione, potestatem Protoarchimandritae prima periodo ad sequentia sese extendisse constat. Consideramus eam imprimis in ordine: 1) ad cetera regiminis instituta, 2) dein comprehensive ad totam Congregationem, 3) et denique ad singulos monachos.

## Art. 1

### Potestas Protoarchimandritae quod cetera regiminis instituta

#### I. QUOAD CAPITULUM GENERALE

Potestates Protoarchimandritae quoad capitula electiva et ordinaria descripta, vol. II: *De Capitulis Bas.*, hic reassumuntur.

1) Imprimis secundum constitutiones primitivas ad solum Protoarchimandritam pertinebat capituli ordinarii convocatio. Postea *Nexu* concluso

monasteria secundum proprios proventus, de quo in capitulo generali futuro accuratior constitutio ferri debet. Si vero pecuniae opus esset licitum erit Protoarchimandritae a quocumque monasterio eam desumere vel si eam in nullo monasterio inveniret, mutuo sumere, quam postea, ipso requirente, omnia monasteria eo mediante reddere debebunt»; *IBIDEM*, n. 17 et 18.

<sup>7</sup> Trident. sessio 25, c. 8 de Reg.

<sup>8</sup> S. 3, t. XI, p. 107.

anno 1686 sive in electivo sive in ordinario capitulo a se quidem convocando consulere debuit Metropolitam.

2) In capitulis, quibus abfuerat Metropolita, ad illum pertinebat praesidentia.

3) In omnibus vero capitulis Protoarchimandrita statim post Metropolitam procedebat, quod imprimis expresse praxi, dein etiam constitutionibus confirmatur<sup>9</sup>.

4) Potestatem tamen legislativam, quae privative competebat capitulo generali, non habebat.

## II. QUOAD CURIAM GENERALEM

A. In potestate Protoarchimandritae erat per totam primam periodum in casu obitus alicuius Consultoris generalis ad vitam constituti ad tempus donec capitulum quodcumque convocetur simul cum ceteris Consultoribus in locum illius alium eligere: « *Si vero aliquis eorum mortuus sit, tunc Protoarchimandrita ipse (scil. sine capitulo) cum illis tribus reliquis debet eligere sibi quartum, usque ad tempus ordinariae congregationis omnium Superiorum et legatorum monasteriorum. Congregatio autem patrum aut illum confirmabit aut alium eliget* »<sup>10</sup>. Eodem omnino modo constitutum est hac in re in *Constitutionibus Rocognitis* anno 1686<sup>11</sup>.

Idem dicendum de aliis casibus cessationis ab officio Consultoris generalis, uti in casu ascensus eiusdem ad dignitatem Episcopalem, in casu eiusdem renuntiationis aut suspensionis ab eodem officio usque ad proximum capitulum.

Quod spectat vero casum depositionis, videtur non fuisse in potestate Protoarchimandritae (praesertim ad quadriennium constituti) Consultorem generalem ad vitam in capitulo electum deponere. Constitutiones nullibi hunc casum considerant. At ex rei natura Protoarchimandritae cum ceteris Consultoribus potestatem competisse videtur in casu scandali, imbecillitatis aut debilitatis Consultoris generalis eundem saltem ad proximum capitulum generale in officio suspendere eique alium in officio sufficere. De quo tamen fusius infra<sup>12</sup>.

<sup>9</sup> « Ordo quo considerare debeant fratres capitulares in congregationibus generalibus. Post Protoarchimandritam et consultores generales considebunt praesides... »; CR, const. XXVI; *ib.*, p. 174.

<sup>10</sup> Novogrodov. 1617, *ib.*, p. 11, n. 15.; item cfr. R. P., cap. 2, n. 1; A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutzkyj*, Romae 1956, p. 335.

<sup>11</sup> CR, const. VI, *ib.*, p. 172.

<sup>12</sup> Pag. 149, 184 sq.

B. Id quod de Consultoribus dictum est, etiam quoad Secretarium generalem, qui in constitutionibus primitivis non consideratur, sed eius officium posterius erectum est, applicari debet.

C. Item Procuratorem Romanum Protoarchimandrita in casibus similibus suspendere aliove substituere potuit, etsi ipsum ius eundem designandi ad capitulum generale pertinebat<sup>13</sup>.

Procurator autem « regesta proventuum et expensarum quotannis ad Reverendissimum (scil. Protoarchimandritam) admittere » tenebatur<sup>14</sup>.

D. Quoad Vicarios Generales. Duplex erat species Vicarii Generalis: 1<sup>o</sup>, vivente Protoarchimandrita, 2<sup>o</sup>, demortuo Protoarchimandrita.

1<sup>o</sup>. Primae speciei Vicarii Generalis in constitutionibus primi capituli non fit mentio. Hic enim nonnisi tempore, quo Metropolitae erant etiam Protoarchimandritae, in considerationem veniebat vocabatur etiam Provincialis. Hic quidem a capitulo eligebatur, sed in omnibus a Protoarchimandrita dependebat eiusque vices supplebat. Ordinarie Vicarius Generalis rationem Protoarchimandritae reddere debebat visitationum<sup>15</sup>, similemque rationem quotannis reddere debebat litterarum oboedientialium pro transferendis monachis e monasterio ad monasterium editarum<sup>16</sup>; in genere in omnibus rebus maioris momenti Protoarchimandritam consulere debebant<sup>17</sup> omnibusque monachis, praesertim in poenis a Vicario sibi allatis ad Protoarchimandritam recursus patebat<sup>18</sup>.

Item tempore, quo Protoarchimandritae erant simplices monachi quadriennales, munus analogum ad praedictum Vicarium Generalem erat Vice-Provincialis, pro monasteriis longe a corpore Congregationis dissitis, visitandis et regendis. Qui vero Vice-Provincialis « accuratam Protoarchimandritae rationem reddere » tenebatur<sup>19</sup>.

2<sup>o</sup>. E constitutionibus primitivis videtur concludendum esse, Protoarchimandritam potestatem habuisse designandi Vicarium Generalem, qui, illo demortuo Ordinem regeret. Respectiva enim constitutione statutum est: « Post mortem Protoarchimandritae eius confessarius Vicarius Generalis et Rector totius Ordinis esse debet »<sup>20</sup>.

Causam hypotheseos dat imprimis mentio Confessarii, qui libere a Protoarchimandrita assumi praesumitur. Quodque praeterea ea vel cum maiori

<sup>13</sup> Vide infra p. 230 sq.

<sup>14</sup> Bilense 1709, s. 9; *ib.*, p. 166.

<sup>15</sup> Vilnense 1650, s. 6, n. 2; *ib.*, p. 47.

<sup>16</sup> Novogrodense 1671, s. 5; *ib.*, p. 105.

<sup>17</sup> Vilnense 1650, s. 6, n. 2; *ib.*, p. 47.

<sup>18</sup> Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 1; *ib.*, p. 76.

<sup>19</sup> Byteniense 1698, s. 5, n. 3; *ib.*, p. 139.

<sup>20</sup> Novogrodovicen. 1617, s. 4, n. 20; *ib.*, p. 12.

probabilitate asseri potest, spectata analogia constitutionum primitivarum in genere cum constitutionibus Societatis Jesu, ubi etiam Superioris Generalis futurum Vicarium Generalem designat.

Quaestio solum remanet de Confessarii huiusmodi designatione. Designaretne illum ipse Protoarchimandrita, quod rationabilius videtur aut constitutiones eum intelligunt, unum e Consultoribus, qui secundum aliam constitutionem semper cum Protoarchimandrita habitare debuit, dum ceteri tres etiam in aliis monasteriis habitare potuissent. Admissa hac ultima suppositione constitutio illa paulum differret ab illa *Constitutionum Recognitarum*: « *Ab obitu Protoarchimandritae primus consultor, conscio Metropolita, Vicarium generalem moderatoremque totius Religionis aget* »<sup>21</sup>.

### III. QUOAD MONASTERIORUM PRAESIDES

A. QUOAD ARCHIMANDRITAS. Propterea quod secundum mentem Metropolitanae Rutskyj institutum Archimandritarum supprimendum erat<sup>22</sup>, in constitutionibus sub considerationem non venit, neque eius relatio ad Protoarchimandritam. Potea tamen in praxi, suppressione non secuta, orta est quaestio eorum dependentiae iam tempore Metropolitanae Rutskyj, qui in ultimo capitulo, cui aderat, declarare coactus est: « *Et quod attinet minores praelaturas (puta Archimandritas, qui loco citato opponuntur praelaturis maioribus i.e. Episcopis) religiosas, perpetuas, hae eidem protoarchimandritae et eodem iure subesse debent sicut et temporales (Superiores)* »<sup>23</sup>.

Quaestio haec longo tempore, quo Metropolitanae erant simul Protoarchimandritae, in praxi applicationem non habuit. Interim tamen, praesertim vacante per decem annos metropolia et protoarchimandria, independentia Archimandritarum a Superioribus Ordinis ita invaluit, ut capitulum Zyrovicen. 1658 constituere debuerit: « *Agnita est interim jurisdictio reverend. pat. provincialis supra archimandritas respectu regiminis personarum sub iisdem degentibus. Quod tamen attinet individua archimandritarum, hi suis debent gaudere immunitatibus et privilegiis, salva tantum autoritate reveren. patris provincialis* »<sup>24</sup>.

Vera relatio Protoarchimandritae ad Archimandritas ordinari atque praecise determinari incipit nonnisi cum momento, quo officium eius ab illo Metropolitanae separatum est i.e. anno 1675. Ab hoc ergo tempore praesertim post

<sup>21</sup> CR, Const. X; IB., p. 172.

<sup>22</sup> Lavrysziven. 1621; IB., p. 23.

<sup>23</sup> Vilnen. 1636, s. 16; ib., p. 45: « *przelozenstwa* » (polonice) hic interpretari debent per Praelaturas, dum « *starsi klasztorów* » per Superiores monasteriorum.

<sup>24</sup> S. 5; IB., p. 58.

*Nexum* anno 1686 conclusum hac potestates Protoarchimandritae super Archimandritas competebant:

a) Quoad eorundem institutionem. Iam capitulo, quo simplices monachi in Protoarchimandritam eligi incipiunt, scil. Zyrovicen, 1675, facta est conventio inter Ordinem et Metropolitam inter alia: « *ne ad quaecumque officia assumat (Metropolita) personas sine consilio Protoarchimandritae...* »<sup>25</sup>. Quod vero officia hic intelliguntur praesertim dignitates, patet ex Congregatione generali SCPF, cui pro approbatione hoc capitulum missum est<sup>26</sup>.

Approbatio huius capituli obtenta est decreto SCPF anno 1676<sup>27</sup>.

Dein de eiusdem consilio in institutione Archimandritarum a Metropolita petendo norma pro semper statuta est in *Nexu* ex anno 1686: « *Metropolita promovendos ad Episcopatus et alias dignitates advitales praesenturos Sacrae Regiae Maiestati vel Collatoribus, super qualitatibus promovendorum conferet cum Protoarchimandrita et consultoribus* »<sup>28</sup>.

Denique in fine periodi primae, scil. anno 1728 Benedictus XIII constituit et declaravit: « *ad officia et dignitates monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso superioris generalis seu protoarchimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, archimandrias aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus* »<sup>29</sup>.

b) Quoad visitationem archimandriarum etiam episcopalium, non tamen ipsorum Archimandritarum: « *Protoarchimandrita visitabit sive per se sive per alium omnia Monasteria incorporata nostrae Congregationi: pro qua Visitatione accipiet a Metropolitanano expeditionem ad Dominos Episcopos titulo Archimandritarum gaudentes* »<sup>30</sup>.

Sed persaepe etiam ad visitandas personas simplicium Archimandritarum Protoarchimandrita delegationem a Metropolita obtinebat<sup>31</sup>.

c) Quoad eorundem depositionem. « *Depositiones Superiorum temporalium penes Protoarchimandritam erunt: advitalium autem penes Metropolitam et Protoarchimandritam* »<sup>32</sup>.

<sup>25</sup> S. 3, n. 3; *ib.*, p. 110.

<sup>26</sup> « 3<sup>o</sup>. Che il Metropolita non promova alcuno alle dignità senza il consiglio del Protoarchimandrita e questo senza il parere delli Consultori con quel più che l'E.mo Protettore stimerà degno da riferirsi... Rescriptum. Arbitrio E.mi Protectoris, facto verbo cum SS.mo »; APF-CG 1676, v. 46, f. 65, n. 27; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta S.C.P.F.*, Romae 1954, p. 57.

<sup>27</sup> AS, t. XII, p. 113.

<sup>28</sup> *Nexus*, a. 1686, n. 11.

<sup>29</sup> Breve « *Cum sicut* », 16.XII.1728; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411. A. G. WELYKYJ, *Docum. Pont.*, vol. II, p. 58.

<sup>30</sup> *Nexus*, n. 6.

<sup>31</sup> Cfr. e. g. Instrumentum subdelegationis Protoarchimandritae ad visitandum Abbatem Zydzyczynensem 1730, 13.IX; APF-CP, 1755, v. 120, f. 236. Ex eodem fonte notae sunt delegationes factae anno 1722, 1727, 1737, 1738.

<sup>32</sup> *Nexus*, n. 13.

d) Praeterea Archimandritae uti Superiores monasteriorum in pluribus a Protoarchimandrita dependebant uti:

1<sup>o</sup>. Superiores quicumque etiam Archimandritae quotannis rationem scriptam reddere debebant Protoarchimandritae, praesertim visitatione omisa, de statu rerum monasteriorum sibi subiectorum<sup>33</sup>.

2<sup>o</sup>. Ad eundem recurrere debent in fratribus laicis ad studia admitendis<sup>34</sup>.

3<sup>o</sup>. In recipiendis vagis et excessivis ad Protoarchimandritam recurrere debent<sup>35</sup>.

4<sup>o</sup>. Usque ad adventum Protoarchimandritae tenere debent eos, qui debita contraxerunt sine licentia Superioris<sup>36</sup>.

5<sup>o</sup>. In summis alienandis<sup>37</sup>, in aedificiis extruendis<sup>38</sup>, in alienandis et pignorandis bonis<sup>39</sup> ad Protoarchimandritam recurrere debent.

6<sup>o</sup>. In genere in rebus gravioribus consulere debent Protoarchimandritam<sup>40</sup>.

7<sup>o</sup>. Sine licentia Protoarchimandritae e monasterio discendere non possunt<sup>41</sup>.

B. QUOAD SUPERIORES TEMPORALES. Primo capitulo de hisce constitutum est:

a) « Superiores pro omni monasterio eligere et designare debet Protoarchimandrita consultis de hoc Consultoribus generalibus »<sup>41 a</sup>

b) « Idem Protoarchimandrita quemcumque Superiorem mutare potest, si id ei in Domino Deo visum erit, consultis de hoc quatuor supra nominatis »;

c) « Communiter autem per quatuor annos quisque erit, nisi ob necessitatem quampiam aliter videbitur in Domino Deo superiori (puta Protoarchimandritae), tunc ad ulterius tempus poterit illum relinquere »<sup>42</sup>.

<sup>33</sup> CR, cc. XXII et XXVIII; AS, t. XII, p. 174.

<sup>34</sup> CR, cc. XIII; IB., p. 173; 1617; IB., p. 14, n. 26.

<sup>35</sup> Vilnen. 1650, s. 6. n. 1; IB., p. 47.

<sup>36</sup> Lavrysziven, 1621; IB., p. 22.

<sup>37</sup> Zyrovicen. 1679 s. 5; IB., p. 117.

<sup>38</sup> CR, c. XXXIV; IB., p. 175.

<sup>39</sup> Zyrovicen. 1661, s. 8; IB., p. 72; s. 9, p. 74.

<sup>40</sup> CR, c. XVII; IB., p. 173.

<sup>41</sup> Ita in cap. Vilnensi 1667, s. 5, n. 48; IB., p. 99: « Nemo Superiorum, in quacumque dignitate constitutus esset, (hic fit expressa allusio ad Archimandritas) a monasterio discedere audeat sine speciali licentia Protoarchimandritae ».

<sup>41a</sup> Idem Metropolita Rutzkyj in suis *Regulis Particularibus...* statuit: « Praesides per omnia Monasteria ipse constituet mutabitque pro suo optimo visu, quod quidem oportune in Capitulo Religionis fieri potest »; R. P., cap. 2, n. 5; A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutzkyj...*, Romae 1956, p. 335.

<sup>42</sup> S. 4, n. 16; IB., p. 11.



In praxi posteriori nullum indicium habetur quod contrarium huic constitutioni probaret.

Immo etiam in *Constitutionibus Recognitis* ex anno 1686 fere ad verbum constitutio supra allata repetita est addito uno verbo, nempe: « *servato nexu* »<sup>43</sup>.

Hinc post annum 1686 potestas Protoarchimandritae super Superioribus primo capitulo determinata, limitata est puncto nono *Nexus*, propter quod, ut alibi retulimus<sup>44</sup>, ipsum *Nexum* monachi nonnisi « *volentes nolentes* » subscripserunt. Praedicto anim *Nexus* puncto quorundam et quidem pinguiorum superioratum collatio reservata est Metropolitae<sup>45</sup>.

Sicut autem designare et mutare, ita etiam deponere Superiores temporales potuit Protoarchimandrita cum Consultoribus, uti expresse in *Nexu*: « *Depositiones superiorum temporalium penes Protoarchimandritam erunt* »<sup>46</sup>. Eum spectabant etiam potestates circa ea, respectu Superiorum, quae de Archimandritis sub *d*) sunt indicatae.

C. PRAETEREA ad Protoarchimandritam etiam pertinebat in singulis monasteriis designare Vicarios domus, Consultores domus et in quibusdam monasteriis etiam Sacristanos iuratos, ceterosve Officiales principales<sup>46 a</sup>.

In capitulo Novogrodensi 1671 designatio Vicariorum domus et Sacristarum iuratorum refertur ad Protoarchimandritam; « *iuxta antiquas congregationes* »<sup>47</sup>. Capitulum Novogrodense vero 1686 imprimis ad Protoarchimandritam remittit designationem Consultorum domus in singulis monasteriis consultis Episcopis in horum monasteriis<sup>48</sup>; dein determinat quorumnam monasteriorum Sacristae debeant esse iurati, nempe Zyrovicen., Vilnen., Polocen., et Minscen.<sup>49</sup>

Denique « *Observanda* » generalem posuerunt normam, quosnam in monasteriis Officiales designare debeat Protoarchimandrita nempe: « *Officia*

<sup>43</sup> CR, c. VI; *ib.*, p. 172.

<sup>44</sup> V. I, p. 71.

<sup>45</sup> « Protoarchimandrita conferet, iuxta Leges suas, omnes Superioratus, exceptis Polocensi Cathedralis Ecclesiae et Cassutensi, item Archimandrijs et alijs Hegumenatibus advitalibus, quos conferet Metropolitae, consulto Protoarchimandrita et Consultoribus. Monasteria autem a Protoarchimandrita conferenda haec sunt: Zyrovicenses, Bythenenses, Novogrodenses, Berezwezcenses, Vitebscenses, Vilnenses, Czerlonenses, Chelmenses, Brestenses, Rozanenses, Lyskovienses et si quae per novas fundationes Congregationi nostrae accesserint »; *Nexus* 1686, n. 9. APF-CP, v. 29, f. 297.

<sup>46</sup> *Nexus*, n. 13, *IBIDEM*.

<sup>46 a</sup> « Ipse quoque constituet Confessarios Fratribus nostris. Patres vero Consultores et Confessarios pro saecularibus ac Magistros in scholis »; R. P., cap. 2, n. 5.

<sup>47</sup> AS, t. XII; p. 104, s. 4.

<sup>48</sup> *ib.*, p. 124, n. 8.

<sup>49</sup> *ib.*, p. 125, n. 16.

*principaliora per omnia monasteria ipse assignabit ut vicarium, zelatorem, confessorium, concionatorem, oeconomum, ecclesiarcham et patres capitulares (puta Consultores)»<sup>50</sup>. Quae tamen enumeratio non est taxativa.*

## Art. 2

### Potestas Protoarchimandritae quoad totam Congregationem et Monasteria

1. - In genere in competentia Protoarchimandritae erat superintenduntia super tota Congregatione atque attentio « *ad bonum ordinem tam in praesidibus, quam in aliis fratribus, tum in proventibus monasteriorum* »<sup>51</sup>.

2. - Hinc ad eum pertinebat visitatio annualis totius Congregationis, quam per se vel per alium peragere debebat<sup>52</sup>.

3. - Ad eundem pertinebat visitatio ecclesiarum parochialium, curae Basilianorum subiectarum<sup>53</sup>.

4. - Ad eundem pertinebat ratio studiorum disponenda per totam Congregationem, de qua iam capitulum primum<sup>54</sup>.

5. - Ad eundem pertinebat dispositio ordinis diei in diversis monasteriis praescribenda. De hoc iam in capitulo secundo<sup>55</sup>, ubi tamen illa committitur Vicario Generali, ob eam rationem, quod Metropolitae Rutskyj, simul Protoarchimandrita nimis erat occupatus, uti ex alibi constat<sup>56</sup>.

In *Constitutionibus Recognitis* illa iam expresse Protoarchimandritae praescribenda committitur: « *Praescribetur certa temporis distributio in quolibet monasterio a Protoarchimandrita, iuxta quam omnes fratres vivent suae actiones peragent* »<sup>57</sup>.

<sup>50</sup> C. 3: *Qua potestate pollebit Protoarchimandrita*, n. VI; *IB.*, p. 179.

<sup>51</sup> Novogrodovicense 1617, s. 2, n. 10; *IB.*, p. 10 et CR, c. II; *IB.*, p. 171.

<sup>52</sup> Lavrysziv. 1626, n. 8; *IB.*, p. 32; Zyrov. 1661, s. 10, n. 1; *IB.*, p. 76; Byten. 1698, s. 5, n. 3; *IB.*, p. 139.

<sup>53</sup> *Nexus*, n. 8. Sed hoc non nisi ad Synodum Zamostianam; cfr. v. I, p. 186.

<sup>54</sup> « Ratio studiorum i. e. quid legi et doceri debeat in qualibet schola, admittatur a Protoarchimandrita; qua in re id observandum erit, ut modus docendi noster ubique idem sit secundum regulas peculiare, quae in futura, dabit Deus, congregatione dabuntur »; S. 8, n. 35n; *IB.*, p. 15.

<sup>55</sup> « In illo statutum est: « De temporis distributione. Distributio certa fiat in omnibus monasteriis a reverendo vicario generali, secundum quam omnes fratres vivant et actiones suas peragent, exceptis monasteriis novitatus et studiorum, in quibus alia dispositio necessarie esse debet. Addimus tamen, ut in monasterio Vilenensi post primam campanarum ad matutinum pulsationem, in ecclesia omnes fratres ad meditationi vacandum conveniant, qua finita, nedum nocturnum incipere debet »; Lavrysziv. 1621; *IB.*, p. 19.

<sup>56</sup> I, p. 149.

<sup>57</sup> CR. c. XVI, *IB.*, p. 173.

6. - Tributa pro adiuvando monasterio pauperiori imponere potuit monasterio divitiori, ordinarie quidem non nisi cum toto consultorio, in casu autem urgentiori etiam ipse solus<sup>58</sup>.

7. - Protoarchimandrita clavem unam ad arcam seu scrinium, quo monumenta et privilegia omnium monasteriorum in monasterio Vilnensi conservabantur, tenebat, dum alteram Superior dicti monasterii tenebat<sup>59</sup>.

8. - Libros typis edere sine licentia Protoarchimandritae non licebat, quam autem potestatem Protoarchimandrita-Metropolita suo Vicario Generali aliquando delegabat, uti in cap. Novogroden. 1675<sup>60</sup>.

9. - Sine eius licentia non licebat libros e monasterio ad monasterium asportare sub poena ex communicationis ipsi reservata. Quae constitutio imprimis in capitulo Vilnen. 1636 est lata<sup>61</sup> et postea ad verbum in *Constitutionibus Recognitis* repetita<sup>62</sup>.

10. - Attamen in potestate Protoarchimandritae non erat novas fundationes monasteriorum recipere, quod ei constitutiones expresse prohibent<sup>63</sup>.

### Art. 3

#### Potestas Protoarchimandritae quoad singulos monachos

I. - Protoarchimandrita ADMITTIT AD NOVITIATUM. Cum enim Congregatione SS. Trinitatis constituta novitiatus amplius in singulis monasteriis non perageretur, sicut ante instaurationem Ordinis, sed in uno tantum monasterio pro tota Congregatione peragi debuerit, quodque periodo prima

<sup>58</sup> Lavrysziv. 1626, n. 5; *IB.*, p. 31.

<sup>59</sup> Lavrysziv. 1621; *IB.*, p. 21.

<sup>60</sup> « Typis impressio continuetur Vilnae; quodcumque tamen typis edendum a domino patre Ohilewicz (puta Vicario Generali) videndum est ». *IBIDEM*, p. 104, n. 20.

<sup>61</sup> S. 14, *IB.*, p. 43.

<sup>62</sup> « Statutum est, ut sub poena excommunicationis quicumque citra scitum Protoarchimandritae nostri retineret librum quempiam alicuius monasterii, eum restituat monasterio, ad quod spectat utque quicumque fratrum audeat librum quempiam inscio Protoarchimandrita e monasterio quopiam extrahere, ipso facto incidat in excommunicationem a qua eum nemo absolvere possit, nisi ipse Protoarchimandrita ». *CR. c. XXXII; IB.*, p. 175.

<sup>63</sup> « Acceptare novas fundationes absque congregatione generali nostra non debet. Item vendere aut quocumque modo alienare, quidquid fundatum fuerit ad aliquod monasterium aut commutare non poterit ». « *Observanda* », c. 3, n. IV; *IB.*, p. 179.

semper erat monasterium Byteniense<sup>64</sup>, pro maiori parte Congregationis, salva tamen aliquando temporanea facultate aperiendi novitiatum etiam in quibusdam aliis monasteriis, uti Cholm, Volodymyr et Vilna<sup>65</sup> aut Cholm, Vilna et Zyrovyci<sup>66</sup>, ad novitiatum, adinstar Ordinum latinorum<sup>67</sup>, admittere debebat Protoarchimandrita, propterea, quod officium Provincialis tunc in Ordine Basiliano non existebat<sup>68</sup>.

Idem dicendum est de dimissione e novitiatu quod quidem iam Metropolita Rutskyj in suis *Regulis Particularibus signavit*<sup>68 a</sup>.

2. - Idem ADMITTIT AD PROFESSIONEM religiosam, quae erat unica tantum et solemnitas atque immediate post novitiatum emittenda, qui pro clericis per annum et sex hebdomadas<sup>69</sup>, pro laicis vero per duos annos durabat<sup>70</sup>:

3. - Ad eundem etiam eiusdem PROFESSIONIS RECEPTIO pertinet. In capitulo enim Vilnen. 1667 inter puncta Metropolitae (Kolenda) habetur: "*Prae-lati* (scil. Episcopi) *nullo modo sese in dioecesim alterius intromittant, neque audeant professionem dare (recipere) religiosis antequam D. Metropolitam certio-rem reddant*"<sup>71</sup>. Cum vero hic Metropolita simul Protoarchimandrita esset, sensus puncti erat formaliter de Protoarchimandrita intelligendus.

4. - Idem a RELIGIONE POST VOTA EMISSA EICIT. Quae potestas Protoarchimandritae competens nonnisi post annum 1686 espresse notata habetur: "*Item dimittere a Religione nemo absque eo poterit*"<sup>72</sup>.

<sup>64</sup> Torokanen. 1661, s. 6; *IB.*, p. 63; Vilnen. 1667, s. 1; *IB.*, p. 93; Novogroden. 1671, s. 3; *IB.*; p. 104; Novogroden. 1703, s. 4, n. 8, *IB.*, p. 148.

<sup>65</sup> Novogroden. 1703, s. 4, n. 8; *IB.*, p. 147.

<sup>66</sup> Zyrovicen. 1667, s. 9, *IB.*, p. 75.

<sup>67</sup> Sixtus V, Const. *Ad Romanum spectat*, 7; Gregorius XIV. Const. *Circumspecta* 5; Clemens VIII, Const. *In suprema*, 4; VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. 2, P. II, n. 25, 26, 27.

<sup>68</sup> Quod expresse constitutum est iam capitulo secundo: «Iuvenes, qui ad Ordinem contendunt, non recipientur, nisi apud Protoarchimandritam» A. S. t. XII, p. 20. Quae constitutio fere ad verbum repetita est a *Constitutionibus Recognitis* c. XXI, *IB.*, p. 173 et «*Observanda*» eodem sensu statuerunt: «Caput 3: Qua potestate pollebit Protoarchimandrita: 1. Recipiet ingredientes ad Religionem, quos aptos ei visum fuerit»; *IB.*, p. 179.

<sup>68 a</sup> «Dimittere a Religione eos, qui necdum vota Deo religiosa nuncuparunt Proto-Archimandritae intererit, qua in re non erit praecox, donec tentet experiaturque omnia ea, quae bene disponendo aptiusque retinendo in Religione tyronico non ferant»; Cap. 3, n. 3; A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, Romae 1956, p. 336.

<sup>69</sup> Synodus Zamost. s. 3, t. VI, p. 93; Bilense 1709, s. 6, n. 2; *IB.* p. 161.

<sup>70</sup> Lavrysziv. 1621; *IB.*, p. 19. «Id etiam constituimus, ut omnia vota solemnitas sine scitu et consensu Protoarchimandritae a fratribus nostris emissa et in posterum emittenda invalida et nulla habeantur»; *IBIDEM*, p. 24. Idem in capitulo Novogrodensi 1671 repetitur: «lecta est constitutio secundae congregationis, quod professio sine licentia Protoarchimandritae invalida»; s. 6, *IB.*, p. 105. Denique post annum 1686 in «*Observanda*»: «Item ad emittenda vota» i. e. admittit; c. 3, n. I, *IB.*, p. 179.

<sup>71</sup> S. 5, n. 30; *IB.*, p. 99.

<sup>72</sup> *Observanda*, c. 3, n. I; *IB.*, p. 179.

Ad rectam tamen huius potestatis expositionem, imprimis ius commune illius temporis in mentem revocari debet et constitutiones capitulares respectivae referendae.

Secundum ius commune, quod ordinabatur praesertim duobus decretis scilicet: «*Sacra Congregatio*» 1624 (21.IX)<sup>73</sup> et «*Instantibus*» 1694 (24.VII)<sup>74</sup>, Religiosus e Religione egredi potuit aut libere aut coacte. Libere ordinarie egredi potuit aut per dispensationem Romani Pontificis a votis, aut per saecularisationem perpetuam vel temporaneam. Coacte vero ordinarie egredi debuit per dimissionem vel eiectionem. Dimissio proprie referebatur ad egressum coactum post vota simplicia, dum post vota solemnia aliquis potuerit nonnisi eici. Eicere autem, quod nostrum maxime interest, potuit secundum decretum «*Sacra Congregatio*» nonnisi Superior Generalis (post «*Instantibus*» etiam Provincialis) «de consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis vel Congregationibus generalibus»<sup>75</sup>, votis tamen eiciendi non solutis.

In constitutionibus vero Basilianorum duae habentur constitutiones huiusmodi respectivae, alia ante aliave post annum 1624 lata.

In constitutionibus primitivis in capitulo Novogrodovicensi 1617 latis illa sonabat: «De incorrigibilibus vel sunt constitutiones praescriptae, qua de causa hac constitutione partim constitutiones praescriptas explicamus, partim eas restringimus. Quicumque vult exire petitque dimitti e Religione aut discolus suis moribus ex destinato protervum se reddit Religioni, ut ab ea pellatur, talis non est dimittendus, illum autem cui corrigendo omnia media juxta regulas nostras adhibita sunt, nec tamen emendatur ingenti omnium scandalo ac infamia religionis dimittere eum ex ordine nostro permittimus cui tamen Superiores proponere debent eum non esse solum a vinculo trium votorum, nisi cum aliquo moderamine paupertatis eo modo, quod potest sibi procurare victum et vestitum, quo tamen non tamquam proprio utendo. Castitatem in omnibus perfecte servare debebit. Oboedientiam Episcopo. in cuius dioecesi residere tenebitur. Si vero eiciendus posse nocere gloriae Dei in genere vel Ordini in specie per apostasiam a fide vel aliud scandalum praevideatur, tenendus erit in carcere donec capitulo generali videbitur, quam ob causam in monasteriis nostris principalioribus, immo, si potest, in omnibus carcer pro delinquentibus, omnibus notus, esse debet»<sup>76</sup>.

Etiamsi hac constitutione accurate non determinatur, quinam sit, cui potestas eiciendi competat, praeter casum ultimo memoratum, quo ipsum capitulum huiusmodi eiectionem sibi reservat, tamen, saltem ab anno 1624 ratione decreti illius «*Sacra Congregatio*» intelligendus est Protoarchimandrita. Nam secundum aliud decretum SCPF saepe citatum ex eodem anno constitutiones capitulares Basilianorum ad normam constitutionum Apostolicarum ferendae et intelligendae erant. Revera postea in *Constitutionibus Recognitis* eadem constitutio expresse decretum illud advocat: «Quicumque vult exire petitque dimitti e Religione aut discolus suis moribus ex destinato protervum se reddit Religioni, ut ab ea pellatur, talis non est dimittendus, illum autem,

<sup>73</sup> VERMEERSCH, *Religiosis*, t. 2, P. II, n. 44, p. 318.

<sup>74</sup> IBIDEM, n. 126, p. 444.

<sup>75</sup> IBIDEM, n. 44, § 6, p. 319.

<sup>76</sup> Novogrodovicense 1617, s. 5, n. 25; AS, t. XII, p. 13.

cui corrigendo omnia media juxta regulas nostras adhibita sunt, nec tamen emendatur ingenti omnium scandalo ac infamia Religionis, juxta regulam s. patris nostri Basilii Magni et recentia decreta Sacrae Congregationis de regularibus apostatis et ejectis, Romae 21 Septembris anno 1624 edita, dimittendi erunt, tamen proponunt ipsi Superiores eum non esse solutum a vinculo trium votorum »<sup>77</sup>.

Unde « *Observanda* », uti constitutionum complementum expresse hanc potestatem Protoarchimandritae reservant, ut supra, etiamsi utantur termino dimittere, qui potius termino tecnico eicere est substituendus, propterea, quo apud Basilianos nonnisi professio solemnitas habebantur.

5. - Ad eundem pertinebat fratres AD STUDIA MITTERE, hac sola conditione « *ne ullum e fratribus studentibus ante professionem ad studia mittat* »<sup>78</sup>.

#### 6. - ADMITTIT AD ORDINES.

Prima mentio huiusmodi admissionis fit in cap. Lavrysziven. 1626: « *Nemo fratrum nostrorum sine testimonio et commendatione sui Superioris ordinari aut ad superiores ordines admitti potest* »<sup>79</sup>. Hic videtur in sensu tantum affirmativo requiri testimonium Superioris localis respectivi et non exclusivo. Nam statim capitulo Vilnen. 1637 Metropolita Rutzkyj admonebat: « *Ad ordines ecclesiasticos ne promoveantur sine scitu Protoarchimandritae* »<sup>80</sup>. Idem repetitur in capitulo Novogrodensi 1671: « *DD. Patres Episcopi discolos ne recipiant, neque ad ordines eos promoveant et immo neque probos sine licentia D. Patris Metropolitae, Protoarchimandritae Ordinis ad sacros ordines promoveant; promoti autem suspendentur eo ipso* »<sup>81</sup>.

*Constitutiones Recognitae* nonnisi constitutionem illam capituli Lavryszivensis 1626 repetunt; « *Nemo fratrum absque testimonio commendationeque sui Praesidis admittetur ad ordines* »<sup>82</sup>. Sed capitulum Bytenien. 1698 licentiam etiam Protoarchimandritae requirit, uti constitutiones praecedentium capitulorum: « *Ut ii qui absque licentia sacros ordines recipiunt et inscio Protoarchimandrita, severe puniantur* »<sup>83</sup>. Hinc patet, requisitum fuisse tum testimonium proprii Superioris localis, tum licentiam Protoarchimandritae.

Synodus Zamostiana hac in re nonnisi accurate decretum Clementinum<sup>84</sup> applicavit<sup>85</sup>. Cum vero iure communi determinatum non esset, in cuiusnam Superioris potestate esset Regulares ad ordines admittere, sed constitutionibus particularibus cuiusque Ordinis id praescriberetur, ideoque etiam Synodus praedicta eodem sensu constituit atque intelligenda est.

<sup>77</sup> *IBID.*, p. 172 (CR, c. XII).

<sup>78</sup> « *Observanda* » c. 3, n. 11, *IB.*, p. 179; Lavrysziven. 1621, *IB.*, p. 26.

<sup>79</sup> N. 8, Punctum, 12; *IB.*, p. 33.

<sup>80</sup> S. 1; *IB.*, p. 38. Item idem Metropolita in suis *Regulis Particularibus* urgebat: « *Citra eius (scil. Protoarchimandritae) nemo Fratrum ullus ascendat Sacrorum Ordinum gradum, etsi sit idoneus* »; cap. 4, n. 8; cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutzkyj*, 1956, p. 337.

<sup>81</sup> S. 7; *IB.*, p. 105.

<sup>82</sup> CR, c. XXX; *IB.*, p. 174.

<sup>83</sup> S. 5, n. 5; *IB.*, p. 140.

<sup>84</sup> Cfr. VERMEERSCH, *Religiosis*, t. 2, P. II, n. 237, n. 5, p. 647.

<sup>85</sup> Cfr. v. I, p. 184.

7. - DISPONIT RELIGIOSOS per monasteria, litterasque oboedientiales extradit. Translatio Religiosorum e monasterio ad monasterium iam primo capitulo sub considerationem venit et praevisa est. Inter puncta hoc capitulo deliberanda erat: « *Unde sumptus pro expensis ad fratres ex uno ad aliud monasterium vel ad aliud locum transferendos* » (provenire debeant)<sup>86</sup> et postea constitutum est: « *Quavis congregatione generali computatio inter monasteria atque fratrum e monasterio ad monasterium translatio fieri debet, (illa autem) tam sub respectu vestitus ipsis debiti, quam pecuniae usualis* »<sup>87</sup>.

Protoarchimandrita autem quocumque tempore quemcumque transferre potuit, quod iam capitulo Zyrovicensi 1629 supponitur: « *Frater, si ex uno ad alterum monasterium transmittatur cum scitu Domini Patris Protoarchimandritae, Dominus Pater Protoarchimandrita informare debet Superiorem illius loci de inclinationibus eius* »<sup>88</sup>. Data hac competentia Protoarchimandritae, recte Vicarius Generalis quotannis rationem illi reddere debuit de litteris oboedientialibus a se extraditis<sup>89</sup>.

Post annum 1686 « *Observanda* » inter protestates Protoarchimandritae enumerant: « *Mittere fratres de loco ad locum, quem eorum alicui loco idoneum esse intelligeret* »<sup>90</sup>. In capitulo denique Novogrodensi 1703 Superiores locales praesertim monentur: « *Ut nemo oboediantiam a Protoarchimandrita editam retineat, neque sine oboedientia quemcumque recipiat* »<sup>91</sup>.

#### 8. - DISPONIT DE REBUS Religiosorum.

a) Nemo sine eius licentia pecuniam aliquam tenere potest<sup>92</sup>:

b) Libri dono accepti vel acquisiti teneri non possunt sine licentia Protoarchimandritae<sup>93</sup>:

c) Disponit de spolio post obitum Religiosi<sup>94</sup>.

9. - Praeter has potestates ordinis praeceptivi Protoarchimandrita GAUDEBAT ETIAM POTESTATE IUDICIALI ET COERCITIVA. Ad ipsum pertinebat excessivos et incorrigibiles iudicare et punire, quod iam ex supra indicata

<sup>86</sup> Novogrodovicen. 1617; AS, t. XII, p. 9, quaest. 17.

<sup>87</sup> S. 6, n. 27; IB., p. 14; et cfr. etiam R. P., cap. 7, n. 8; in editione romana A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, pag. 340.

<sup>88</sup> IB., p. 34, n. 10.

<sup>89</sup> Novogroden, 1671, s. 5; IB., p. 105.

<sup>90</sup> S. 3, n. II; IB., p. 179.

<sup>91</sup> S. 11, 3<sup>o</sup>; IB., p. 152.

<sup>92</sup> « Pecuniam, si quis patrum vel fratrum ad peculiare suas necessitates vel expensas sine licentia Protoarchimandritae tenere audeat; item sub peccato mortali obligatur ad illam restituendam pro bono publico per manus Ill.mi Patris Protoarchimandritae intra duodecim hebdomadas »; Vilnen. 1636, s. 14, n. 4; IB., p. 43.

<sup>93</sup> « Ti vero libri, qui acquirunt a fratribus nostris per donationes aut pecunia monasterii, aut pecunia donata, retineri non possunt absque facultate scituque Protoarchimandritae »; CR, c. XXXII; IB., p. 175.

<sup>94</sup> Vilnen. 1667, s. 5, n. 51; IB., p. 100.

potestate circa Religiosorum eiectionem patet. Quae vero potestas exercenda aliquando a capitulis urgetur, uti in capitulo Vilnen. 1650<sup>95</sup>.

In « *Observanda* » autem principium generale statuitur; « *Potissimum insolitae poenae pro culpis maioribus ejus erunt in potestate, quas adhibebit pro ratione personarum et considerato ad gloriam Dei bonumque commune* »<sup>96</sup>.

10. - Idem etiam RECURSUS RELIGIOSORUM ab eorum respectivis Superioribus recipit: « *Consensu omnium decisum est, ut quisque Religiosus in omnibus Superiori obediat et poenitentias impositas impleat, etiamsi essent iniustae; sed postea licitum ei erit coram Protoarchimandrita vel Vicario generali de illis conquiri* »<sup>97</sup>.

11. - Potestatem habuit et exercuit quosdam CASUS ET CENSURAS SIBI RESERVANDI aut haec eidem a capitulo erant reservata.

a) Factum casuum reservationis a Protoarchimandrita constat a capitulo Vilnen. 1667: « *Casus reservati. Casus conscientiae lingua slava conscribendi sunt atque a Protoarchimandrita subscripti loco patenti appendendi. Casus conscientiae componentur tam Religiosorum, quam Praelatorum. Unde confessarii claustrales, casu reservato apprehenso, statim mittent ad Reverendum Vicarium generalem vel ad ipsum Protoarchimandritam. Compositio vero huiusmodi casuum Patri Vicario commissa est* »<sup>98</sup>.

b) Singulae autem censurae et casus Protoarchimandritae reservati in capitulorum actis notantur:

1° « *Si quis Religiosorum nostrorum manus iniicere in Reverendos Patres Superiores ausus esset, uti excommunicatus, a nemine absolvatur, excepto casu summae necessitatis, nisi ab ipso Domino Patre Protoarchimandrita, etiamsi quis alius praeter dominum licentiam a Sede Apostolica absolvendi haberet, si vero manus non iniiceret, sed tantum inoboediens et arrogans esset, ieiunio, separatione aliaque poenitentia puniri debet* »<sup>99</sup>.

Uti reassumptio et complementum huius constitutionis habetur constitutio capituli Zyrovicen. 1679: « *De percussoribus reassumuntur constitutiones congregationum praeteritarum, addito et hoc puncto, ut percussor a nemine absolvatur, sed ut pedibus proficiscatur ad ipsum Protoarchimandritam, etiamsi hic longissime distet, pro absoluteione* »<sup>100</sup>.

2° Excommunicatio Protoarchimandritae reservata erat, si quis, ut supra, librum ex uno ad aliud monasterium asportaret. Quae poena aliquando in particularibus urgetur: « *Ex punctis Bytanniensibus haec quoque statuta:*

<sup>95</sup> « *Ut praesentes excessivi et incorrigibiles puniantur absentes vero Visitator ab Ill.mo Domino Patre Protoarchimandrita missus debet iudicare et punire, in rebus tamen maioris momenti cum Ill.mo Protoarchimandrita conferendo* »; Vilnen. 1650, s. 6, n. 2; *IB.*, p. 47.

<sup>96</sup> C. 3, n. VII; *IB.*, p. 179.

<sup>97</sup> Novogroden. 1671, s. 5; *IB.*, p. 105.

<sup>98</sup> S. 5, n. 8; *IB.*, p. 97.

<sup>99</sup> Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 10; *IB.*, p. 77.

<sup>100</sup> S. 6; *IB.*, p. 119.



« Ut quicumque haberet libros Bythenienses sub poena excommunicationis Protoarchimandritae reservata monasterio Bytheniensi restituat »<sup>101</sup>.

3<sup>o</sup> Eidem reservata erat excommunicatio ob retentionem vel collectionem pecuniae, sine licentia debita, incurrenda saltem ab anno 1667; inter puncta enim Metropolitanae et Protoarchimandritae Gabrielis Kolenda habebatur: « 12-dum. Ut pecuniam nemo conservet et eo vel magis ne eam colligat sub excommunicatione eo ipso incurrenda, a qua nemo eum absolvere potest, nisi ipse Protoarchimandrita »<sup>102</sup>.

4<sup>o</sup> Casus autem reservatus Protoarchimandritae inter alios erat « pecuniam mutuo dare cum usura »<sup>103</sup>.

Quosnam autem casus alios Protoarchimandritae servatos fuisse ex actis capitulorum non constat. Planum tamen est, illum huiusmodi potestate gavissimum esse eamque exercuisse, quae iam capitulo primo eidem competere expresse assertur secundum normas generales iuris communis, quod constitutio illa expresse advocat: « Casus reservati. Cum nobis notum sit tam ex antiqua Ecclesiae historia, quam ex hodierna observantia in omnibus Ordinibus haberi nempe quosdam casus conscientiae, quos ordinarius confessarius absolvere nequit, praeter ipsum Superiorem Ordinis, idem etiam nos in Ordine nostro habere volumus, qua de causa huiusmodi casus conscripsimus et inter regulas patris spiritualis inscripsimus. Quod, ut omnibus fratribus nostris constet, Superiores per monasteria publicare debent »<sup>104</sup>.

12. - Non minus denique ac aliis Superioribus Generalibus immo omnibus Praelatis (sensu communi) regularibus, etiam Protoarchimandritae Basilianorum illo tempore POTESTAS DISPENSATIVA COMPETEbat et quidem ad normam iuris communis.

Iure communi principium generale statutum est sequens: « Principium generale est, eadem potestate gaudere Praelatos regulares erga suos subditos, qua gaudent Episcopi cum suis subditis; ita a S. Pio V statutum est: "Ipsi per se ipsos, idem omnino possint in Fratres et Moniales... sibi subditos quod possunt Episcopi in clericos et laicos sibi subiectos tam quoad absolvendi et dispensandi huiusmodi, quam alias quascumque facultates, eadem auctoritate et tenore etiam perpetuo concedimus et indulgemus, ac etiam declaramus »<sup>105</sup>.

In documentis Basilianis obiecta potestatis dispensativae Superiorum accurate non determinantur, etiamsi de quibusdam eorum sit sermo et inde constat illam hisce competisse et exercitam ab eisdem fuisse. Hic imprimis veniebat quaestio de dispensatione a perpetua abstinentia a carnibus iam « *Regulis Communibus* » dictis praescripta, secundum generalem consuetudinem orientalem<sup>106</sup>.

<sup>101</sup> Bilense 1709, s. 7, n. 3; *ib.*, p. 162.

<sup>102</sup> S. 5, punctum, 12; *ib.*, p. 98.

<sup>103</sup> *IBIDEM*, s. 7, p. 101.

<sup>104</sup> S. 5, n. 24; *ib.*, p. 13.

<sup>105</sup> Cfr. PIATO, *o. c.*, t. I, QQ. 752-761; VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. 2, P. II, n. 204, § 3, p. 571.

<sup>106</sup> In regulis hisce primitivis statutum est: « Huic quoque fini in Ordine nostro antiquo usu recepta est perpetua abstinentia a carnibus quiesque nocturna

Item constitutionibus capitularibus eadem abstinentia observanda urge-  
tur sub poena casus reservati (cui?)<sup>107</sup>, et capitulo quarto Lavryszivensi 1626  
potestas dispensandi ab hac abstinentia Protoarchimandritae competere ex-  
presse assertur<sup>108</sup>.

Eadem denique in eodem casu dispensandi potestas omnibus Superio-  
ribus i. c. etiam localibus concessa habetur in iisdem praedictis *Regulis Com-  
munibus* anni 1686 correctis, quae ut approbentur, Sanctae Sedi supplicatum  
est, in quibus nempe mitigata lege abstinentiae ad quatuor dies in hebdo-  
mada, denique assertur: «*et Superior dispensare soleat, ob hospites et alias  
rationabiles causas, etiam in monasterio*»<sup>109</sup>.

### Secunda Periodo

Periodo secunda potestas Protoarchimandritae eo maior evasit, quod  
Metropolita a regimine Ordinis amoto, tota potestas Ordinis suprema, interna,  
centralisata est in officio Protoarchimandritae.

Sed etiam hac periodo evolutio eiusdem potestatis habetur, in ordine  
tamen ad semper maiorem eius ambitum et determinationem.

Natura eiusdem potestatis non mutata — remanet enim semper ob  
eandem rationem tum dominativa tum iurisdictionis et quidem haec secun-  
dum terminologiam antiquam quasi episcopalis — quasdam mutationes quoad  
ambitum ipsa subiit.

Imprimis erectis duabus et postea quatuor provinciis potestas Protoar-  
chimandritae est tantum Superioris Generalis, dum officium Provincialis,  
quo ille prima periodo simul fungeretur, ad respectivos Provinciales  
transierit.

Item in potestate iudiciali Protoarchimandritae differentia accidit in eo,  
quod dum periodo prima ille in prima tantum iudicaret instantia causas Reli-  
giosorum, hac easdem nonnisi in secunda iudicare potuit.

---

absque strato, quod et nobis observandum est»; cfr. *Adnotationes aliquot excep-  
tivae e praemissis regulis*; AS, t. XII, p. 1.

<sup>107</sup> Lavrysziv. 1621; *ib.*, p. 24.

<sup>108</sup> «Hac die deliberatum est super alio puncto, (nempe) ex parte usus  
carnium manducationis ab aliquibus fratribus nostris, in quo gravi iniustitia  
et notabili plurium scandalo perspectis, cautum et severe praeceptum est, ne  
ullus patrum et fratrum nostrorum sine certa et gravi causa atque expressa  
benedictione (dispensatione) Reverendissimi Patris Protoarchimandritae vel Su-  
perioris loci, ab illo facultatem ad absolvendum pro tali casu habente, praedicta  
carnium esca uti audeat, sub excommunicationis comminatione et poena desi-  
gnata iudicio Patris monasterii Superioris»; N. 4; *ib.*, p. 31.

<sup>109</sup> Cfr. *Adnotationes...*, *IBIDEM*, p. 176.

At sicut prima ita etiam secunda periodo Protoarchimandrita potestate legislativa non gaudebat, hac soli capitulo generali reservata.

Secunda tamen periodo Protoarchimandrita super omnibus monachis cum S. Romana Ecclesia unitis non tantum de iure <sup>110</sup>, verumcunctis monachis ruthenis cum s. Romana Ecclesia unitis, imprimis duabus Congregationibus coagmentatis, dein vero hisce duabus Congregationibus in unum « *Ordinem Basilianum* » coniunctis — etiam de facto potestatem suam super omnibus huiusmodi monachis extendit exercebatque.

Sicut ergo prima, ita etiam secunda periodo potestatem Protoarchimandritae considerabimus imprimis in ordine: 1) ad cetera regiminis instituta, 2) dein comprehensive ad totum Ordinem, 3) denique quoad singulos monachos.

## Art. 1

### Potestas Protoarchimandritae quoad cetera regiminis instituta

#### I. QUOAD CAPITULA

A. CAPITULUM GENERALE. Uti ex tractatu de capitulo generali constat ad Protoarchimandritam pertinebat:

1) - Capitulum generale convocare, locum unum ex determinatis itemque diem eidem designare, consulto Metropolita.

2) - Ad eundem pertinebat schedam capitulum ingredientium primis capitulis cum consultoriis tum generali tum provinciarum componere.

3) - In praxi autem alias etiam ad actum facultates a S. Sede obtinebat uti: capituli celebrandi tempus prorogandi, locum illo destinatum mutandi, vocalitatem ex uno ad aliud monasterium transferendi.

#### B. CAPITULUM PROVINCIALE.

1) - Ipse haec capitula convocat eisdemque tum locum tum tempus designat.

2) - Iisdem ipse praesidet.

<sup>110</sup> Iam enim prima periodo in ipsa sui institutione a Sacra Congregatione de Propaganda Fide decreto illo, Congregationem SS. Trinitatis erigente, ex anno 1624 ille « Protoarchimandrita totius Russiae » proclamatus est, vi cuius decreti alius talis Protoarchimandrita in Ecclesia Ruthena exclusus est.

3) - Sed potest etiam alios ad huiusmodi capitulorum praesidentes delegare.

4) - Confirmat sex iudices a capitulo provinciali electos, qui cum Provinciali incorrigibiles eicerent<sup>111</sup>.

## II. QUOAD OFFICIALES GENERALES.

### A. QUOAD CONSULTORES GENERALES.

1) - In casu obitus vel ascensus ad beneficium incompatible alicuius Consultoris Protoarchimandrita cum Consultorio Ordinis et respectivae provinciae, vel post annum 1772 provinciarum, alium in eius locum eligere potuit et debuit<sup>112</sup>.

2) - Consultor ita electus in manibus Protoarchimandritae iuramentum praescriptum praestare debuit<sup>113</sup>.

3) - Item in casu absentiae alicuius Consultoris generalis a consultatione Protoarchimandrita alium ex provincia illius virum gravem et prudentem, si praesto esse possit, substituere potuit, emisso prius ab hoc iuramento consultoriali<sup>114</sup>.

4) - Potuissetne Protoarchimandrita in casu scandali deponere Consultorem generalem? In constitutionibus capitularibus nullibi hic casus consideratur, neque in *Constitutionibus Examinandis* et *Codice*. Sed ex potestate suprema interna in Ordine Protoarchimandritae concludendum est ad responsum quaestioni propositae affirmativum. Ex analogia vero ascensus et obitus eiusdem ab eodem Protoarchimandrita sufficiens erat in tali casu alio modo analogico.

### B. QUOAD PROCURATOREM GENERALEM.

1) - Procurator generalis iuramento ligabatur, se « *illa dumtaxat omnia negotia, quae a Perill.ri Rev.mo Protoarchimandrita et Religiosis-simo Consultorio Ordinis... ad promovendum committentur, fideliter et pro viribus humanae imbecillitatis exacte promoturum* »<sup>115</sup>.

Sed praecipue, uti iam a primo capitulo Duben. 1743 constituebatur: « *Nulla negotia Romae, vel maxime illa, quae totam tangunt Religionem et*

<sup>111</sup> *Codex*, p. 205, n. 33.

<sup>112</sup> Berest. 1751, const. 15; 1759, const. 18; 1772 const. 36.

<sup>113</sup> De hoc inde a cap. Berest. 1772, const. 36.

<sup>114</sup> Berest. 1772, const. 12.

<sup>115</sup> Cap. Berest. 1751, const. 12; 1759, const. 15; 1772 const. 31.

respective Provincias audeat P. Procurator intentare, nisi obtenta ad hoc in scriptis Rev.mi Protoarchimandritae dispositione »<sup>116</sup>.

2) - Sine consensu Protoarchimandritae Procurator generalis non potest aere alieno gravare hospitium SS. Sergii et Bacchi<sup>117</sup>.

3) - In casu vero obitus vel ascensus Procuratoris in potestate Protoarchimandritae cum Consultorio generali atque provincialibus erat alium eligere<sup>118</sup>.

4) - Hoc autem modo electus in manibus Protoarchimandritae iuramentum consuetum praestare debuit<sup>119</sup>.

5) - Quoad denique depositionem eiusdem in casu scandali, idem quod de Consultoribus generalibus dicendum est.

#### C. QUOAD SECRETARIOS GENERALES.

1) - Secretarii tam in actis diurnis, quam in epistolis nomine Protoarchimandritae scribendis, quam denique in decretis consultationum consignandis a Protoarchimandrita dependent<sup>120</sup>.

2) - In casu obitus vel ascensus in potestate Protoarchimandritae cum consultoriis, ut supra, erat alium usque ad finem turni eligere<sup>121</sup>.

3) - Ab eoque ita electo iuramentum recipere.

4) - In casu denique scandali vel debilitatis, ut Consultores, deponi aut substitui potuerunt.

### III. QUOAD OFFICIALES PROVINCIALES

#### A. QUOAD PROVINCIALES.

1) - Sub praesidentia Protoarchimandritae Provinciales eliguntur<sup>122</sup>.

2) - Coram Protoarchimandrita iidem iuramentum cum oboedientia eidem promittenda praestant<sup>123</sup>.

3) - Iidem acta visitationum et scrutinia quotannis Protoarchimandritae exhibere debent<sup>124</sup>.

<sup>116</sup> Omnia capitula 1743, 1747, 1751 const. 12; 1759, const. 15; 1772, c. 32.

<sup>117</sup> Decretum SCPF 1759 (30.IV), ad 8; cap. Berest. 1759, const. 15; 1772, c. 33.

<sup>118</sup> Berest. 1751, c. 12; 1759, s. 15; 1772, c. 36.

<sup>119</sup> IBIDEM.

<sup>120</sup> Berest. 1772, const. 14; Decret. SCPF 1775 (10.VI), ad 19; *Indulg.*, P. I, p. 20.

<sup>121</sup> Berest. 1772, const. 36.

<sup>122</sup> *Nexus* 1743, n. 5; Berest. 1751, 1759, const. 1, 1772, const. 2 et 3.

<sup>123</sup> Capitula: 1743, 1747, 1751, 1759 const. 5.

<sup>124</sup> « Ut Protoarchimandrita possit melius de iis, quae in Provinciis peraguntur, esse informatus, quilibet Provincialis acta visitationis suae et scrutinia quotannis eidem Protoarchimandritae exhibebit, quorum inspectio et examen licita quoque erunt ejus consultorio, si qua necessitas id postulaverit »; omnia capitula: 1743, 1747, 1751 const. 6; 1759, c. 9; 1772, c. 23.

Scrutinia hic intelligi debet examen singulorum Religiosorum tempore visitationis a Provinciali scripto exaratum.

4) - Iidem ad Protoarchimandritam recurrere debebant:

1<sup>o</sup>. In nominandis Superioribus monasteriorum insignium.

Quaenam sint monasteria insignia? Primo capitulo non sunt determinata <sup>125</sup>. Secundo et tertio nominatim determinantur erantque sequentia:

a) ex provincia Lithuana: Vilnen., Bythenen., Zyrovicen., Polocen., Vitebscen.

b) ex provincia Polona: Dobromylen., Laurovien., Leopoliem., Bialostocen., et SS. Salvatoris ad Montes <sup>126</sup>.

Sed in approbatione ultimo citati capituli Berest. 1751 (tertii) SCPF novam generalem definitionem monasteriorum insignium dedit, scilicet: « *Insigniora vero Monasteria ea omnia reputari debent, quae jus habent mittendi vocales cum suffragio ad Capitula generalia et provincialia* » <sup>127</sup>.

Cum vero postea in executione decreti SCPF 1759 (30, IV) editi scheda vocalium accurate determinata approbata sit — qua quaedam monasteria immutabiliter vocalia determinata sunt — definitio illa fundamentum stabile et concretum in praxi invenit. Quaeque semper retenta est atque tam in constitutionibus capitularibus quam in decretis S. Sedis supponitur <sup>128</sup>.

Quaestio solum remanet, quinam in hac definitione vocales intelligantur, soli Superiores vel etiam alii vocales? Respondendum est, solos Superiores ut vocales hic esse intellectos. Nam sola monasteria Superiorum vocalium in schedis determinata sunt et habituali iure mittendi vocales gavisa sunt, dum ceteri vocales occasionaliter nominarentur, inde eorum monasteria huiusmodi iura gavisa esse dici non potuerunt. Dein capitulum Berest. 1772 hoc dubium clare solvit, dum distinctionem illam communiter adhibitam inter Superiores monasteriorum insignium et non insignium reddat alia distinctione nempe inter Superiores vocales et non vocales; « *Statutum est, ut munus Superiorum tam vocalium, quam non vocalium sit spatium unius Quadrienni definitum* » <sup>129</sup>. Ergo accidere non potuit, ut quis sit Superior monasterii insignii et non sit vocalis.

Nominatio seu designatio Superiorum monasteriorum insignium quae semper cum aliqua dependentia a Protoarchimandrita fieri debebat, atque partim ab hoc, partim a Provinciali pendeat, in sua evolutione diversam assumebat formam.

Itaque secundum capitulum Dubnen. 1743 candidatos ad huiusmodi superioratus eligere et Protoarchimandritae proponere debent Provinciales, ille vero approbare <sup>130</sup>.

<sup>125</sup> Const. 7.

<sup>126</sup> Berest. 1747 et 1751 const. 7.

<sup>127</sup> *Decretum SCPF 1752* (26.XI), ad II; *Bullae...*, P. II, p. 84.

<sup>128</sup> Berest. 1759 const. 10; 1772, c. 24; *Decreta SCPF 1766* (1.IX); *Bullae...*, P. II p.: 1775 (10.VII), ad 9; *Indulgentiae*, P. I, p. 15.

<sup>129</sup> Const. 25.

<sup>130</sup> « Si vero necessitas exegerit ipsos etiam Superiores mutare et alios substituere, maxime ubi agetur de Monasteriis et Superioribus insignioribus pro tunc Rel.mi Provinciales hanc necessitatem Rev.mo Protoarchimandritae

Adhuc pressius hoc ius Provincialium huiusmodi candidatos eligendi, qui a Protoarchimandrita necessario erant approbandi urgetur et secundo et tertio capitulo: « *quoties necessitas mutandi Superiores praedictorum Monasteriorum exigeret, Candidatum in Provincialibus Consultoriis electum pro approbatione Rev.mo Generali proponet, quem Rev.mus Generalis non adinvento canonico impedimento approbare tenebitur* »<sup>131</sup>.

Sed in approbatione ultimo citati capituli SCPF ad propositum sibi dubium; « *An liceat Provincialibus inconsulto Protoarchimandrita constituere Superiores locales monasteriorum suae Provinciae, illos mutare vel etiam privare? Et quatenus negative: An teneantur pro omnibus Superioribus constituendis recurrere ad Protoarchimandritam? Et quatenus affirmative: An debeant proponere determinatam personam, quam Protoarchimandrita, non adinvento canonico impedimento, approbare teneatur?* » respondit:

« *Resolutio: Ad undecimum. Licere Provincialibus cum suo Consultorio, juxta Capitulum Dubnense Sess. 13 const. 7, Superiores seu Praesidentes minores mutare secus vero quo ad Superiores monasteriorum insigniorum pro quibus mutandis vel privandis Provinciales tenentur omnino recurrere ad Protoarchimandritam, ut de propositis ab ipso monachis illud una cum Consultorio generali statuat quod justitiae, regulari observantiae atque monasterio- rum utilitati magis consonum videbitur* »<sup>132</sup>.

Tunc capitulum sequens Berest. 1759 in respectiva constitutione simpliciter decretum citatum retulit et ita a SCPF decreto ex anno 1763 (II.VII) adprobatum est<sup>133</sup>.

Sed decreto illo edito, novae difficultates ex eodem ortae sunt, quae a Protoarchimandrita in forma dubiorum SCPF propositae sunt:

a) Quisnam candidatos huiusmodi proponere debeat, Protoarchimandrita cum suo Consultorio generali vel potius Provinciales aut Consultorium generale Protoarchimandritae?

b) An debeant proponi a quo de iure candidati plures vel unus?

c) Si plures, electio ex iisdem fieri debeat per vota secreta vel voce?

d) In casu, quo plura huiusmodi monasteria vacarent, pro unoquoque monasterio certus numerus candidatorum praesentari debeat vel plures cumulative?

Ad haec dubia SCPF respondit decreto ex anno 1766 (I.IX) adhuc pressius potestatem Protoarchimandritae candidatos huiusmodi proponendi suo Consultorio sublinendo: « *Eminentissimi Patres ad primum Dubium rescripserunt, quod in casu mutationis vel privationis Superiorum monasteriorum insignium, juxta declarationem Congregationis particularis die 19 Novembris 1752 habitae, Provinciales recurrere teneantur ad Protoarchimandritam, ut de monachis propositis ab ipso Protoarchimandrita suo Consultorio generali, illud cum eodem Consultorio statuat, quod justitiae, regulari obser-*

*exponent et candidatos ad eosdem superioratus pro approbatione proponent* »; Const. 7.

<sup>131</sup> Const. 7.

<sup>132</sup> Decretum SCPF 1752 (26.XI); *Bullae...*, P. II, p. 83.

<sup>133</sup> Const. 10; *Bullae...*, P. II, p. 137; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. IV, p. 175 sq., Romae 1955.

vantiae atque monasteriorum utilitati magis consonum videbitur. Ad II, III, et IV: *Provisum in primo* »<sup>134</sup>.

Interim, cum ipsi Provinciales Superiores huiusmodi nominaverint, SCPF decreto suo ex anno 1770 (25 VI)<sup>135</sup>, per Nuntium Ap. Vars. expedito<sup>136</sup>, electiones et mutationes huiusmodi nullas declaravit, cum clausula tamen Nuntio significata a publicatione illius abstinendi, si perturbationem causare praevideretur, immo illas in tali casu propter imminens capitulum generale sanandi.

In capitulo sequenti Berest. 1772, citatis omnibus decretis hac in re editis, additur: « *ob exorta tamen nonnulla dubia, facta est Provincialibus potestas supplicandi Sanctae Sedi pro declaratione recursus, qui haberi iubetur proxime laudato Sacrae Congregationis decreto ad Protoarchimandritam, in casu mutationis vel privationis superiorum, qui insignioribus praesunt monasteriis; num. scilicet nomine hujus recursus intelligenda veniat recommendatio ad superioratus unius, duorum vel trium determinantum candidatorum per Provinciales Rev.mo Protoarchimandritae facienda, ita ut Rev.mus Protoarchimandrita hos dumtaxat recommendatos a Provinciali suo Consultorio proponere et ex eis unum potiore servata iustitia distributiva deligere et designare teneatur, an vero intelligendae sint simplices praeces pro superioratibus ad monasteria insignia per ipsum Protoarchimandritam proponendis et designandis?* »<sup>137</sup>.

Tunc denique ultimam decisionem hac in re dedit SCPF in suo decreto capitulum praedictum adprobante anno 1775 (10.VII), quo ad dubium in hoc capitulo a Provincialibus propositum respondit: « *In casu mutationis vel privationis Superiorum monasteriorum insignium servandum esse Decretum Congregationis Particularis diei 19 Novembris 1752, Litt. C., nec non aliud Congregationis Generalis diei 1-mae Septembris 1752, Litt. B., ea addita declaratione, quod recursus faciendus in dictis casibus per Provinciales ad Protoarchimandritam in hoc tantum consistere debeat, ut eidem Protoarchimandritae*

<sup>134</sup> IBIDEM, p. 146, 150; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 236; Fundamentum huiusmodi difficultatis erat verbum: « ab ipso », in decreto ex a. 1752, qua de causa sequens decretum expresse addidit: « ab ipso Protoarchimandrita ».

<sup>135</sup> APF, *Acta 1770*, v. 140, f. 265; *Decreta 1768-78*, f. 69-70 et 72; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 19 sg.

<sup>136</sup> *Litterae SCPF ad Nuntium Vars.*; ASV, ARCH. N. VARS. v. 109, f. 13; A. G. WELYKYJ, *Litterae S. C. de Prof. Fide*, vol. V, p. 213, Romae 1957.

<sup>137</sup> Const. 24; Hanc sequebatur ampla rationum expositio Nuntii ad SCPF informativa: « Altro dubio di gran rivelanza contiensi nella Settima Istanza. La S. C. con suo dec. del 1 Ottobre 1768 (sic, puta 1766) volle, che — in casu privationis vel mutationis Superiorum in Monasteriis insignioribus Provinciales recurrere teneantur ad Protoarchimandritam, ut ex monachis propositis ab ipso Protoarchimandrita suo Consultorio, illud cum eodem Consultorio statuatur, quod iustitiae, regulari observantiae et monasteriorum utilitati consonum videbitur,

Nell'ultimo Capitolo generale, art. 24, fu proposto il dubbio, se sotto nome di detto ricorso intender si debba una mera raccomandazione, che il Provinciale faccia dei Soggetti più idonei ovvero una formale proposizione e nomina — unius, duorum vel trium — Soggetti scelti da lui e dal suo Consultorio in guisa che il P. Protoarchimandrita non debba prescegliere che uno dei proposti.

I PP. Provinciali allegano le Costituzioni del Capitolo generale di Dubno del 1743 e di Brest. 1747 e 1751, dalle quali costa che il Candidato veniva eletto dal Provinciale e suo Consultorio e indi proposto al P. Protoarchimandrita — qui



*exponent causas mutationum vel privationum faciendarum, non vero jus habeant proponendi ex officio candidatos eidem Protoarchimandritae pro nova electione facienda»*<sup>138</sup>.

2°. Uti ex tota hac expositione patet, Provincialis eodem modo a Protoarchimandrita dependebat non solum in Superiorum insignium nominatione, verum etiam eorundem mutatione et privatione.

3°. Praeterea Provincialis ad Protoarchimandritam recurrere debebat in alienandis bonis levandisque summis tam monasteriorum, quam provincialium.

Iam capitulo primo Superioribus monasteriorum et implicite etiam Provinciali prohibita sunt combinationes amicae sive ratione fundi sive in causa aliquarum iniuriarum sub nullitate actus sine praevio consensu Protoarchimandritae<sup>139</sup>.

Postea secundo et sequentibus capitulis: «*Stabilitum est, ut alienationes permutationes fundorum, sive levationes summarum, itidem combinationes respicientes alienationem aliquam non fiant a Superioribus sine scitu R.mi*

non adinvento... impedimento candidatum approbare tenebitur —. Ma siccome cod. Sag. Cong. al Dubbio 11 proposto ai 26 Nov. 1752 rispose che Provinciales tenentur omnino recurrere ad P. Protoarchimandritam, ut de propositis ab ipso Monachis... una cum suo Consultorio statuat, quod iustitiae magis consonum videbitur, insorse quindi materia di questione fra gli P. Protoarchimandrita e i Provinciali pro tempore, quello interpretando e adattando a se stesso le parole *ab ipso*, e questi all'incontro referendole a ciascuno di loro. Sicchè cominciò quindi una occasione di dispute fra le parti, talora promovendo quelli P. Protoarchimandrita l'esecuzione della propria interpretazione e talora astendosene per non irritare i Provinciali, ond'è che per togliere finalmente ogni seme di gelosia e discordie risolvè il Cap. ultimo generale di chiedere alla Sag. Congr. la dichiarazione della di lei mente su di tale articolo. I Provinciali credono convenir loro di nominare tre o quattro Soggetti per ogni vacanza, e non repugnano di lasciare che il P. Protoarchimandrita, unitamente col suo Consultorio, ne prescelga uno a suo arbitrio e prudenza. Dicono che essi più assai che il P. Arch. conoscono l'idoneità de Soggetti, giacchè essi solo girano ogni anno per la rispettiva loro Provincia, intieramente la visitano, vedono i bisogni d'ogni Monastero, ed esaminano l'andamento e le azioni d'ogni Monaco; laddove il P. Protoarc. risiede fissamente nel Monastero destinato alla sua Residenza, e non può avere d'ordinario se non di seconda mano, e meno piene cognizioni de Monasteri, e Monaci di ambedue le Provincie, e di quella specialmente di cui esso non è. Dicono finalmente che il sistema della loro Congregazione è ben diverso da quello di questi Ordini Monastici, o Religiosi nei quali il Generale ha un'autorità presso che monarchica, ma che la Cong. Basiliana e sopra un piede affatto diverso. Il P. Protoarc. non ha l'autorità di visitare i monasteri fuori di alcuni casi urgenti, come fu prescritto nella Decretale — *Inter plures* — art. 26, che non può introdursi nelle ubicazioni o traslazioni dei Religiosi da un Monastero all'altro, ne nelle elezioni de Superiori dei Monasteri non insigni conforme fu dichiarato dalla sudetta Sag. Cong. del 1772 — sui dubbj del Cap. Gen.le di Brest, nella quale fu stabilito, che il Provinciale col suo Consultorio in vigore del Cap. di Dubno sess. 13 constit. 7 possa mutare i Superiori dei Monasteri minori indipendentemente dal P. Protoarch. il quale non ne ha che una mera partecipazione per spedire le ubbidienze ai Soggetti destinati dai Provinciali»; ASV, Arch. N. Vars. v. 75; p. 108 ss.

<sup>138</sup> *Indulgentiae*, P. I, p. 18, ad 9; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>139</sup> Dubnen. 1743, const. 13.

*Generalis et juxta resolutionem Sacrae Congregationis de die 26 Novembris a. 1752 sine Beneplacito Apostolico* »<sup>140</sup>.

Qua de causa etiam a S. Sede concessa est facultas Nuntiaturae Vars. soli Protoarchimandritae licentiam tribuendi fundos resque mobiles et immobiles monasteriorum sui Ordinis, salvis iustis rationibus, in melius vendendi et commutandi<sup>141</sup>.

4<sup>o</sup>. Item in contributionibus monasteriis imponendis Provincialis ad Protoarchimandritam recurrere debuit.

5<sup>o</sup>. Postea inde a capitulo secundo communis massa provincialis e contributionibus singulorum monasteriorum, servata proportione status et opulentiae, constituenda praecipitur: « *R. mus autem Provincialis ante expirationem sui officii rationem de expensis communis massae R. mo Generali reddere tenebitur* »<sup>143</sup>.

6<sup>o</sup>. Rerum utensilium usum a Protoarchimandrita concedendum petere debuit<sup>144</sup>.

5) - A Provinciali ad Protoarchimandritam recursus et appellatio patebat. Quadruplicem formam huiusmodi Protoarchimandritae potestas assumere potuit, data nempe triplici forma recursus et appellatione.

A. Recursus Religiosorum a Provinciali ad Protoarchimandritam triplicem speciem habere potuit:

1<sup>o</sup>. In visitatione et quidem:

- a) totius communitatis, aut
- b) singulorum Religiosorum.

2<sup>o</sup>. Extra visitationem canonicam.

1<sup>o</sup>-a). Iam primo capitulo lata est constitutio, quae recursus totius monasterii a Provinciali-Visitatore ad Protoarchimandritam permittebat quaeque pluries postea mutata est.

Primo capitulo sonabat: « *Soli Provinciales utriusque Provinciae visitabunt monasteria sibi respective subiecta, non transcendendo limites praesenti in capitulo praescriptos, Protoarchimandrita autem ipse talem Visitationem non peraget, nisi in illo casu, quo aliquod monasterium per visitationem Provincialis gravatum se esse exponet, quin immo tunc etiam visitationem peraget non*

<sup>140</sup> Berest. 1747, 1751, const. 13; Berest. 1759, c. 16 (citata), 1772, c. 34.

<sup>141</sup> 1777 (27.VII); *Indulg.*, P. I, p. 33.

<sup>142</sup> « Ut monasteria crebris contributionibus non graventur nullae abhinc imponentur sine scitu et consensu Rev.mi Protoarchimandritae »; Const. 17.

<sup>143</sup> Berest. 1747, 1751, const. 17; 1759, c. 21.

<sup>144</sup> « Comprobatum est, ut in universa Congregatione nostra, quilibet monachus fideliter conscribat rerum elenchum quibus utitur, et quantitatem pecuniae, si quam habet, atque horum omnium usus concedi sibi a respectivo Provinciali postulet. Quod etiam ipsi Provinciales faciant, referendo se ad Protoarchimandritam, cum id ad exactam voti pauperatis observantiam requiratur »; Inde a capit. Berest. 1772, c. 50.

*in persona propria, sed per aliquem Consultorem aut Secretarium suum sive per alium Visitatorem a se delegatum* »<sup>145</sup>.

Quam tamen constitutionem imprimis Benedictus XIV in approbatione huius capituli decretali « *Inter plures* » mutavit, amovendo ab ea prohibitionem personalis visitationis Protoarchimandritae eamque ad libitum eiusdem relinquendo<sup>146</sup>.

Dein capitulo sequenti iterum melius explicatur, quinam nomine monasterii intelligi debeant, scilicet; « *nomine autem monasterij intelligitur appellatio ad Rev.mum Generalem solis Superioribus non autem simplici Religioso concessa* »<sup>147</sup>. Ita etiam capitulo iterum sequenti<sup>148</sup>.

Sed decretum SCPF ultimum capitulum hoc approbans conceptum iuridicum monasterii pro hoc tantum casu adhuc extendit, nempe ad maiorem partem communitatis<sup>149</sup>.

Tunc sequentia duo capitula constitutionem respectivam formant: « *Protoarchimandrita autem ipse talem visitationem ne peragat, nisi in illo casu, quo aliquod monasterium per visitationem Provincialis peractam graveretur, in quo casu licitum erit non modo Superioribus localibus, verum etiam majori parti Communitatis expetere visitationem Protoarchimandritae* »<sup>150</sup>.

b) De recursu autem simplicis Religiosi a visitatione Provincialis ad Protoarchimandritam loquitur quidem iam constitutio respectiva capituli secundi, at illum huic non permittit, nisi: « *post peractam visitationem et expletas paenitentias* »<sup>151</sup>.

E contrario vero statuit SCPF in decreto saepe nominato ex anno 1752: « *An simplicibus Religiosis a visitatione Provincialis gravatis, liceat non adimpletis paenitentis appellare ad Protoarchimandritam?* — *Resolutio: Ad decimum: non licere, si paenitentiae sint medicinales et correctivae, secus, si sint gravissimae et irreparabiles* »<sup>152</sup>.

Denique capitulum Berestense 1772 in concreto determinavit, quatenam paenitentiae huiusmodi sint medicinales, quatenam vero gravissimae<sup>153</sup>.

<sup>145</sup> Const. 6.

<sup>146</sup> « Quae quidem lex Proto-Archimandritae dicta ut nunquam per se monasteria visitare valeat, sed etiam in praedictis casibus per alium visitare teneatur, nimium profecto videtur illius dignitati praeiudicium inferre. Proindeque supradictam resolutionem ita corrigetis; ut, ubi in casibus supra expressis visitationi Proto-Archimandritae locus sit, possit idem sive per se sive per alium visitare »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149, § 26; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, p. 88 sq., Romae 1954.

<sup>147</sup> Beresten. 1747, const. 6.

<sup>148</sup> Beresten. 1751, const. 6.

<sup>149</sup> « An Superioribus localibus tantum liceat expetere visitationem Protoarchimandritae, dum monasterium gravatum se sentit a visitatione Provincialis? Resolutio: Ad nonum: Licere etiam majori parti Communitatis »; *Decretum SCPF 1752 (26.XI)*, ad 9: *Bullae*, P. II, p. 83.

<sup>150</sup> Beresten. 1759, const. 9; 1772, const. 20.

<sup>151</sup> Beresten. 1759, c. 9; 1772, c. 20.

<sup>152</sup> Beresten. 1747, c. 6.

<sup>153</sup> « Religiosis vero simplicibus a visitatione Provincialis gravatis... nefas erit appellare ad Protoarchimandritam non adimplectis paenitentis, si sint medicinales et correctivae, secus si sint gravissimae et irreparabiles. Quare ad dignoscendam huiusmodi paenitentiarum qualitatem placuit congregatis pa-

2<sup>o</sup>. Extra visitationem. Sed non tantum a visitatione Provincialis, verum etiam omni tempore singulis Religiosis a Provinciali ad Protoarchimandritam recursus patebat, qui iam in *Nexu* Ordinis cum Metropolita in capitulo Dubnensi 1743 concluso praevisus est: « *Si aliquis Religiosorum censuerit se esse gravatum a Provinciali, sive Vicario Generali suae Provinciae, ad quem immediate recurrere debet, recurrat ad Generalem* »<sup>154</sup>.

Postea huiusmodi recursus extra visitationem consideratur nonnisi a capitulo Berestensi 1772<sup>155</sup>.

B. De potestate denique Protoarchimandritae appellationes Religiosorum a Provinciali in foro iudiciali recipiendi loquitur implicite sua generali terminologia iam modo citatus *Nexus* ex anno 1743 — expresse vero et determinate nonnisi capitulum generale Berestense 1772: « *Sancitum est, ut Protoarchimandrita causas via appellationis ad se devolutas, non nisi servato legitimo juris processu cognoscat. Quare Patres censuerunt praescribendam esse huiusmodi processum formam et cum monasteriis ab officio protoarchimandritali communicandam. Appellantibus vero ad Protoarchimandritam minime ab eius foro recedere et ad aliud appellare licebit, nisi exacto et absoluto secundum omnes gradus eodem processu* »<sup>156</sup>.

6) - Denique in potestate Protoarchimandritae super Provinciale erat hunc in casu scandali deponere, quod iam in *Nexu* praedicto praevisum et constitutum est: « *Quodsi vero Vicarius Generalis cuiuscumque Provinciae non regulariter vixerit, talem Rev.mus Protoarchimandrita ad rectius viven-*

tribus declarare, ut nomine medicinalium intelligerentur in nostra Congregatione: adorationes, preces aliquae, actus humilitatis, adjectiones devotionis proportionatae, requisitio publica de fructu meditationis, exprobratio publica discreta tamen alicuius defectus, publica ad mensam sui accusatio et veniae petitio a Communitate; meditatio, suspensio a divinis per aliquot dies, exercitia spiritualia, per octiduum, abstinentia, silentium, subtractio cibi alicuius melioris, confiscatio eorum, si quae contra expressam voluntatem Superioris sint accepta, saeparatio a fratribus per aliquot horas vel dies, prohibitio exitus ex Monasterio, deprecatio iniuriati cum genuflexione, osculum pedum unius fratris vel omnium, ultimus locus ad mensam et ministratio fratribus ad eandem, ieiunium in pane et aqua, ciborum in medio refectorii cum genuflexione manducatio, suspensio a ferendo suffragio, expletio publice in refectorio operis iniuncti, mundatio locorum communium, prostratio in refectorio in formam crucis, flagellatio propria manu privata vel publica, vestis humilior, detruncatio vestiarii in casu debiti. Nomine autem gravissimarum: Privatio officii, privatio vocis activae et passivae, inhabilitas perpetua, excommunicatio, suspensio, privatio capituli per longum tempus, reclusio in carcere, qui tamen non sit Religiosis squalidus, applicatio ad obsequia humiliora attentata gravitate personae, flagellatio aliena manu, maxime per plures psalmos vel unum reliquis longiorem, translatio ad domum correctionis praemissa tamen trina monitione; verbo omnes paenitentiae, quae infamiam et gravem corporis afflictionem important »; Const. 20.

<sup>154</sup> *Nexus* 1743, n. 13.

<sup>155</sup> « Religiosis vero simplicibus a visitatione Provincialis gravatis, immo generaliter omnibus, tam Superioribus, quam inferioribus, etiam extra visitationem gravamen sibi illatum per sententiam Provincialis contententibus, juxta easdem resolutiones, nefas erit appellare ad Protoarchimandritam non adimpletis paenitentibus, si sint medicinales et correctivae, secus si sint gravissimae et irreparabiles »; Const. 20.

<sup>156</sup> Const. 22.

*dum et muneri satisfaciendum canonice monebit; si vero monitioni non paruerit, convocatis Consultoribus utriusque Provinciae et ad minus 20 Superioribus, praevia facta inquisitione ad sententiam depositionis procedat* »<sup>157</sup>. Quod sermo est de Vicario Provinciae, hoc ex eo procedit, quod capitulo illo, momento, quo *Nexus* ille componebatur, denominatio Provincialis nondum stabilita est, quae nonnisi immediate subsequentibus resolutionibus stabilita<sup>158</sup>, iterum sequentibus constitutionibus constanter retinetur<sup>159</sup>.

#### B. QUOAD CETEROS OFFICIALES PROVINCIALES.

1) - Quoad Vicarium generalem provincialem. Inde a capitulo gen. Beresten. 1772 Vicarius generalis provincialis, ipso Provinciali demortuo aut ad dignitatem incompatibilem ascenso, fit eo ipso primus Consultor eiusdem provinciae, qui in manus Protoarchimandritae iuramentum praestare debet et in omnibus pendere, uti supra de Provinciali indicatum est.

In casu vero obitus vel ascensus etiam huius Vicarii generalis secundus Vicarius generalis provincialis eo ipso alter Consultor provincialis non fiebat, sed Protoarchimandrita cum consultoriis generali et respectivo provinciali novum Vicarium huiusmodi ipse eligere debuit<sup>160</sup>.

2) - Quoad Consultores provinciales. Hi imprimis sub praesidentia Protoarchimandritae eliguntur. Inde vero a capitulo Ber. 1759, vi cuius etiam Consultores provinciales ad iuramentum praestandum obligantur<sup>161</sup>, iuramentum hoc in manus Protoarchimandritae praestare debent<sup>162</sup>.

In casu autem obitus vel ascensus huiusmodi Consultoris Provincialis de novo a se et ceteris Consultoribus electo Protoarchimandritam certiore reddere debet<sup>163</sup>.

3) - Secretarius provinciae, uti ceteri Officiales, eligitur sub praesidentia Protoarchimandritae et a primo statim capitulo iuramentum in eius manus praestare debet<sup>164</sup>.

In casu obitus vel ascensus eiusdem de novo electo Provincialis Protoarchimandritam certiore reddere debet.

4) - Cum vero idem Secretarius inde ab anno 1772 erat etiam Depositarius communis massae provincialis sub praesidentia eiusdem Protoarchimandritae eligendus et iuratus, eidem Protoarchimandritae calculum accepti et expensi sub finem turni provincialis reddere tenebatur<sup>165</sup>.

<sup>157</sup> *Nexus* 1743, n. 12.

<sup>158</sup> Resol. 8.

<sup>159</sup> CC, 1, 5, 6, 7, 8, 9, 14, 15, 16, 19.

<sup>160</sup> Const. 36.

<sup>161</sup> Const. 6.

<sup>162</sup> *IBIDEM*.

<sup>163</sup> Berest. 1772, const. 36.

<sup>164</sup> Dubnen. 1743, const. 5.

<sup>165</sup> Berest. 1772, const. 40.

## IV. QUOAD MONASTERIORUM PRAESIDES.

## A. QUOAD ARCHIMANDRITAS.

Duae phases in relatione Protoarchimandritae ad Archimandritas hac periodo distingui debent, quarum terminum medium constituabat decretalis Benedicti XIV « *Super Familiam* » anni 1756. Hinc

I. Usque ad annum 1756 Protoarchimandrita fere easdem super Archimandritis retinuit potestates, quibus gaudebat in fine periodi primae.

1) - Quoad eorum praesentationem.

Iam secundum Breve Benedicti XIII « *Cum sicut* » 1728, ut quis monachus Basilianus ad Archimandritalem dignitatem evehi valide possit, consensum Protoarchimandritae et Ordinis seu Consultorii generalis prius obtinere debuit, quo non obtento huiusmodi dignitatem procurans eo ipso ad illam *inhabilis* reddebatur<sup>166</sup>.

Consentaneae ad hanc legem pontificiam conventio in *Nexu* anno 1743 cum Metropolitana concluso quoad evectionem monachorum ad dignitates inita est<sup>167</sup>.

Duae ergo vi harum legum Protoarchimandritae competebant potestates:

a) Vi legis pontificiae consensum praebere promovendis ad archimandrias;

b) Vi autem constitutionis particularis ipsos etiam candidatos ad huiusmodi dignitatem Metropolitanae praesentare.

Prout vero e praxi constat consensus ille et praesentatio applicabantur non tantum promovendis monachis simplicibus, verum etiam ipsis Episcopis ad abbatias huiusmodi contententibus<sup>168</sup>.

Sed haec disciplina nonnisi ad annum 1753 in vigore erat, nam dicto anno Benedictus XIV Brevi « *Inclytum* » praedictam legem pontificiam revocavit, omniaque in promovendis Basilianis ad respectivas omnes dignitates ad ius commune reduxit<sup>169</sup>. Inde ergo Metropolitana in promovendis Basilianis ad huiusmodi dignitates amplius nec consensu, nec praesentatione candidatorum Protoarchimandritae Ordinis ligabatur.

Monachis vero ipsis Basilianis idem Pontifex in mentem revocavit, eorum ambitioni in legislatione ecclesiastica tam orientali, quam latina satis esse provisum. Dein etiam SCPF in epistola ad Protoarchimandritam Ordinis eius-

<sup>166</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411, § 2; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, pag. 58 sg.

<sup>167</sup> « Promovendos ad aliquas dignitates scilicet Episcopatus et Abbatiarum Protoarchimandrita cum Consultorio praesentabit personam qualitatibus dotatam Metropolitana, qui non adiventis impedimentis canonicis praesentabit S. Regiae Maestati. Quodsi fuerit adiventum aliquod impedimentum in praesentato, novus Candidatus eligetur a Rev.mo Protoarchimandrita cum Consultorio et praesentabitur Illmo Metropolitanae »; *Nexus* 1743, n. 8.

<sup>168</sup> Cfr. APF, *Ospizio dei Ruteni: Pascolo*, v. 1, f. nn.: Litterae Prot. ae Mihuniewicz ad Metropolitanam 1746 (12.II).

<sup>169</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 527, § 4; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, p. 134 sq.

que Consultorium declaravit monachos praedicto Brevi pontificio ab obligatione quarti voti seu non ambiendi dignitates minime solutos esse<sup>170</sup>.

2) - Quoad archimandriarum visitationem, bonorumque et personarum regimen. Disciplina recepta periodo prima nunc redditur in *Nexu* saepe citato: « *Rev. mus Protoarchimandrita visitabit omnia monasteria sive per se sive per alium, ubi vero monasteria sunt abbatialia, extendet iurisdictionem in personas tantum religiosas, non vero ipsos Abbates, qui directe subsunt juxta Constitutiones tum Apostolicas, tum Capitulares, uti habetur in Congregatione Zyrovicensi II, Anno 1658, Sessione 7-ma, iurisdictioni Metropolitanae. Si quid vero a regimine Abbatum inventiantur aliquid sive monasteriis sive in monachis gravaminosum Protoarchimandrita deferet Metropolitanano* »<sup>171</sup>.

In litteris decretalibus « *Inter plures* » Benedictus XIV quaestionem dependentiae Archimandritarum nondum decidit, sed examini maturiori mandavit postquam momenta rationum tum ex parte Metropolitanae tum Protoarchimandritae indicabuntur, interim decidendo, ut « *Protoarchimandrita omne ius habeat in bona monasterii atque personas monachorum* » et « *Metropolitanus in illius iuris, quod in Abbatum personas obtinet, possessione perseveret* »<sup>172</sup>. At iam tunc iurisdictionem Protoarchimandritae in Abbates utiliore recto regimini Ordinis ac magis consentaneam disciplinae Ecclesiae occidentalis et Concilii Tridentini atque canonibus Ecclesiae orientalis<sup>173</sup> aestimabat.

3) - Quoad autem depositionem Archimandritarum spectat, cum nihil in nova legislatione hac phasi periodi secundae statutum sit, applicanda erat norma antiqui *Nexus* ex anno 1686, vi cuius Metropolita in deponendo Archimandrita consulere debuit Protoarchimandritam eiusque Consultorium.

4) - Quoad administrationem abbatiarum vacantium.

Hanc iurisdictioni Protoarchimandritae subiacere debuisse patet; habetur enim uti consecrarium potestatis Protoarchimandritae super bonis et personis monasterii abbatialis<sup>174</sup>.

<sup>170</sup> *Bullae...*, P. II, p. 91, n. c) - 25 Augusti 1753; cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae...*, vol. V, p. 277.

<sup>171</sup> *Nexus 1743*, n. 7.

<sup>172</sup> O. c., § 21; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, pag. 88 sq.

<sup>173</sup> O. c., § 17, 18, 19; cfr. A. G. WELYKYJ, o. c., p. 88 sq.

<sup>174</sup> Sed praeterea in casu particulari in causa nempe Varsaviensi coram Nuntio Apostolico anno 1746, 15 aprilis, iudicata norma illa omnino patet. Post mortem nempe Aepiscopi Smolenscensis Tomillowycz, Abbatis Onuphriensis, designavit Metropolita ex parte sua bonorum abbatiae praedictae administratorem Samuelem Janowski, Abbatem Grodnensem, qui tamen ad administrationem admissus non est a Vicario abbatiae praedictae in administratorem eiusdem a Protoarchimandrita et Provinciali Lithuano designato. Causa coram Nuntio Apostolico Varsaviensi proposita vi praedictae decretalis Benedicti XIV in favorem Protoarchimandritae soluta est; *Bullae*, P. II, p. 22, a).

II. Post decretalem Benedicti XIV «*Super Familiam*» a. 1756.

Hac decretali imprimis norma generalis posita est, qua statuebatur: «*Abbatibus seu Archimandritis monasteriorum praefatae Congregationis immediate iurisdictioni Proto-Archimandritae pro tempore existentis subesse debere*»<sup>175</sup>. In concreto vero potestas super Archimandritis extendebatur:

1) - quoad eorum installationem. «*Unusquisque eorum institutionem quidem a Metropolitano, installationem vero a Protoarchimandrita suscipere teneatur*»<sup>176</sup>, etiam Abbas-Episcopus.

Quam autem potestatem Protoarchimandrita exercere debet non tantum in prima Archimandritae institutione, verum etiam in eiusdem translatione, uti, ex decreto SCPF anni 1757 (24. V) constat<sup>177</sup>.

Quam installationem a Protoarchimandrita peragendam ad valorem promotionis pertinuisse constat ex indulto pontificio Pii VI, quo promotio Aepiscopi Polocensis Heraclii Lisowskyj in Abbatem Onuphriensem sine praevio scitu Superiorum Ordinis atque institutione et installatione facta a solo Metropolitano uti invalida sanatur, Protoarchimandritae autem declaratur, posse eum iterum ad installationem illius procedere, quae ei privative competit»<sup>178</sup>.

2) - Quoad eorundem visitationem. «*Tertio decretum fuit, Protoarchimandritae licitum fore, Abbatibus regulares seu Archimandritis monasteriorum praefatae Congregationis visitare*»<sup>179</sup>.

Visitatio autem haec, quam Protoarchimandrita sive per se sive per alium peragere potuit, prout constitutiones capituli Berestensis 1772 expresse statuunt: «*Abbatibus juxta Decretalem «Super familiam» visitare vel ad eos visitandos virum idoneum delegare*»<sup>180</sup>, comprehendebat non tantum archimandrias ut antea, verum etiam ipsas personas Archimandritarum.

3) - Quoad eorundem iudicium et punitionem. Haec accidere potuit aut in actu visitationis aut extra eam.

a) In actu visitationis Protoarchimandrita Archimandritis ab officio

<sup>175</sup> O. c., p. 659, § 2; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, p. 161 sq.

<sup>176</sup> IBIDEM, De Installatione etiam Episcoporum declaravit SCPF decreto 1757 (24.V): «*9num. Quid vero de installatione Episcoporum, quibus nonnunquam Abbatiae conferuntur? Ad 9num uti ad 8vum. Hoc addito, ut per Procuratorem installationem petere valeant*»; *Bullae...*, P. II, p. 118-129; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, pag. 100.

<sup>177</sup> «*Quid tandem de Abbatibus ab una ad aliam Abbatiam traslatis — Ad 10mum: Similiter ut ad 8vum, dummodo translationes legitimo jure fiant*». Ad 8vum vero responditur: «*Quandocumque alicui monasterio jure ordinario vel delegato praeficiendus est Abbas, institutionem ad Metropolitanam, installationem vero juxta praescripta in Decretali Super familiam § Imo. Itaque, ad Protoarchimandritam pertinere*»; IBIDEM.

<sup>178</sup> 1780 (26.II); *Indulg.*, P. I, p. 41.

<sup>179</sup> «*Super Familiam*», § 4; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 161 sq.

<sup>180</sup> Const. 16.



suspendere potuit: « *Atque etiam eos in actu visitationis huiusmodi, quoties id exigat monasteriorum utilitas, ab officio suspendere, reservato tamen suspensis iure appellandi in devoluto ad Metropolitanum, tamquam Sedis Apostolicae Delegatum* ».

Immo, in eodem actu etiam ad alias contra eos poenas procedere potuit: « *Ac etiam appellandi in suspensivo ad eundem, si forte Protoarchimandrita in praefata visitatione ad alias poenas corporis afflictivas aut infamiam irrogantes contra praedictos Abbates processerit* »<sup>181</sup>.

b) Extra actum visitationis eosdem iudicare et punire, hac tamen clausula adnexa: « *Si extra visitationis actum Protoarchimandrita procedere velit adversus dictos Abbates in causis graviorum et personalium criminum, quae ex iuris praescripto depositionis poena, vel alia corporis afflictiva aut infamiam irrogante, punienda essent, decretum fuit, id aliter ab eo praestari non posse, quam legitimo processu efformato et una cum consultorio suo collatis sententiis statuendo quidquid in causa decernendum et pronuntiandum existimaverit; ab illius autem sententia licitum et integrum fore appellationem etiam in suspensivo interponere ad praedictum Metropolitanum, tamquam Sedis Apostolicae Delegatum* »<sup>182</sup>.

4) - Quoad administrationem abbatiarum vacantium. Haec Protoarchimandritae competeat iam vi decretalis « *Inter plures* », prout supra exposuimus, cuius valor per alteram modo citatam non est revocatus, ut ipse Benedictus XIV in hac ultima expresse declaravit: « *Quas quidem omnes resolutiones, ut supra, captas nos tunc approbavimus, et nunc iterum, praevia confirmatione supra citatae constitutionis nostrae « Inter plures », quoad ea omnia, quae iisdem resolutionibus hucusque relatis contraria non sunt, praesentium litterarum nostrarum tenore eas approbamus et confirmamus, atque omnimodae executioni mandari volumus et statuimus* »<sup>183</sup>; hac unica tantum exceptione facta in ultima decretali nempe quoad Archimandias vacantes, quarum naturae determinatio, utrum scil. e primitiva earundem erectione monasteria sint simplicia vel Archimandriae, sub lite erat quarumve administratio ad respectivum Ordinarium loci pertinere debuit<sup>184</sup>.

5) - Quoad regimen archimandriarum episcopalium. Ut patet, omnes supra dictae potestates Protoarchimandrita super ipsis Archimandritarum personis, excepta installatione, solos tangebant Archimandritas simplices non vero Episcopos. Hi autem in quantum quoad personas a Protoarchimandrita omnino erant independentes, intantum eorundem archimandriarum regimen

<sup>181</sup> « *Super Familiam* », § 4; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 161 sq.

<sup>182</sup> § 5.

<sup>183</sup> § 8.

<sup>184</sup> § 9.

omnino ad Protoarchimandritam pertinebat, quod hic per Vicarium respectivae archimandriae exercebat<sup>185</sup>.

6) - « *Sed Protoarchimandritae nullum jus competere sive concedendi sive negandi translationes Abbatum* », declaravit SCPF<sup>186</sup>, nisi causam translationis SCPF reproponendi<sup>187</sup>.

7) - Quoad bonorum abbatiarum episcopalium visitationem. « *Si autem Episcopis Abbatibus bonorum abbatialium administratio relinquatur, visitatio dictorum bonorum ad quem pertineat? Ad 6tum: Servatur constitutio Sanctissimi D.ni Nostri: "Inter plures", §. Haec nimirum* »<sup>188</sup>. Qua autem paragrapho decretum est, ut omne ius ad bona monasteriorum abbatialium ad Protoarchimandritam pertineat, hinc ergo recte declaravit SCPF, etiam eorundem visitationem.

8) - Quoad bonorum abbatialium non episcopalium tam administrationem, quam visitationem Archimandritae non Episcopi a Protoarchimandrita dependebant<sup>189</sup>. Hinc omnia tributa pro parte in bonum Ordinis vel provinciae imponenda et exigenda e bonis abbatialibus ad Protoarchimandritam pertinebant<sup>190</sup>.

9) - Praeterea Archimandritae claustrales, tamquam monasteriorum Praesides ad Protoarchimandritam recurrere tenebantur in casibus constitutionibus determinatis pro omnibus Superioribus monasteriorum, uti:

- a) in bonis alienandis summisque levandis<sup>191</sup>;
- b) in iuriis monasteriorum prosecutione iudiciali<sup>192</sup>.

<sup>185</sup> « In Monasteriis Abbatiarum, quae Episcopis collatae sunt, Protoarchimandrita deputet de more Vicarium, qui omnimodam jurisdictionem quo ad Monachos et interius monasterii regimen obtineat, quam Episcopis Abbatibus nullo modo impedire vel decretorum executionem retardare liceat »; *Decretum SCPF 1757 (24.V)*, ad 4tum; *Bullae...*, P. II, p. 119; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 100.

<sup>186</sup> *IBIDEM*, ad. 11.

<sup>187</sup> Cfr. litterae Metropolitanæ Rostockyj ad SCPF 1789 (2.IV); ASV, ARCH. N. VARS., v. 149, ff. nn., initio partis secundae.

<sup>188</sup> DE MARTINIS, o. c., p. I, v. III, p. 148, § 20, 21; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>189</sup> Ex eodem loco, vi eiusdem principii.

<sup>190</sup> Ita concludit *Codex* (p. 91, n. LXIII) praximque receptam revelat.

<sup>191</sup> Primo capitulo constitutum est: « Combinationes amicabile sive ratione fundi sive in causa aliquarum iniuriarum tam cum spiritualibus quam cum saecularibus personis ne audeant RR. Patres Superiores monasteriorum facere sub nullitate actus, nisi praevio consensu Rev.mi Protoarchimandritae in scriptis obtento » (Const. 13).

Postea, inde a secundo capitulo, eadem constitutio in hunc modum est formata: « Stabilitum est, ut alienationes, permutationes fundorum sive combinationes respicientes seu sapientes alienationem aliquam non fiant a Superioribus sine scitu R.mi Generalis et sine Beneplacito Apostolico ». Requisito ergo beneplacito Apostolico, consensus Protoarchimandritae amplius non requirebatur, neque eius scientia ad validitatem actus. Berest. 1747, 1751, c. 13; 1759, c. 16; 1772, c. 34 (citata).

<sup>192</sup> Primo capitulo de hac re statutum est: « Patres Superiores sive Praesi-

## B. QUOAD ABBATES-COADIUTORES.

1) - Ad assumendum ab Abbate sibi Coadiutorem requirebatur consensus Protoarchimandritae, prout constitutum est in capitulo Berestensi 1772, a quo disciplina eorundem evolvi coepit: « *Cautum est, ne ausint Abbates Congregationis nostrae adsciscere sibi coadiutores sine scitu ed assensu R.mi Protoarchimandritae* »<sup>193</sup>.

Quae constitutio reformata est decreto SCPF capitulum illud in genere confirmante 1775 (10. VII): « *Non posse Abbates sibi adsciscere Coadiutores neque de consensu Protoarchimandritae, sed recurrendum esse in quolibet casu particulari ad SCPF* »<sup>194</sup>.

Dein in singulis indultis SCPF aliquando clausula expresse apponitur praevio consensu Protoarchimandritae »<sup>195</sup>.

2) - « *Quoad suam personam qua Abbates Coadiutores Jurisdictioni R. P. Protoarchimandritae subjacebunt in gravioribus negotiis* »<sup>196</sup>. Modo inverso eadem regula expressa est in capitulo Zydzyn. 1788: « *Iidem Abbates Coadiutores qua membra Communitatis subjacebunt jurisdictioni suorum Coadiutorum (Coadiuti), prout alii Religiosi; in casu vero gravaminis, si quod ipsis a Coadiutis illatum fuerit, ad Protoarchimandritam recurrere potestatem habebunt* »<sup>197</sup>.

3) - Cum scitu Protoarchimandritae Coadiuti quaedam commoda suis Coadiutoribus, sine tamen gravi incommodo monasteriorum praestare valebant<sup>198</sup>.

4) - Coadiutores cum iure successionis assumpti, demortuo Coadiuto, a Protoarchimandrita installari debebant<sup>199</sup>.

dentis monasteriorum propria ansa lites et actiones inconsulto Protoarchimandrita (nisi ad respondendum peremptorie per citationem necessitentur) intentantes moneantur et, si monitioni non paruerint, judicentur». Adhibetur hic terminus generalis « praesidentes », quo etiam Archimandritae claustrales comprehensi sunt.

In constitutionibus capitulorum posteriorum inde a secundo haec constitutio contracta est cum praecedenti de alienationibus, quae est adimpleta: « *Vindicationes tamen injuriarum monasterii factarum et defensiones jurium, ne per dilationem actionis causae monasterium aliquod patiatur praejudicium possunt fieri absque praevio consensu et scitu Protoarchimandritae* »; Const. 13.

<sup>193</sup> Const. 47.

<sup>194</sup> *Indulgen.*, P. I, p. 18, ad VII; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>195</sup> Indultum SCPF, 1778 (26.I); APF, *Acta 1778*, v. 148, f. 3; *Decreta 1768-78*, f. 500; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 95.

<sup>196</sup> Reg. C. A. r. 4; *Indulg.*, P. I, p. 62.

<sup>197</sup> Zydzyn. 1788, s. 10, reg. 4.

<sup>198</sup> Reg. C. A. reg. 7.

<sup>199</sup> *IBIDEM*, reg. 8.

## C. QUOAD SUPERIORES TEMPORALES MONASTERIORUM.

1. - *Quoad Superiores monasteriorum insignium.*

1) - Quod spectat horum nominationem, translationem et privationem vidimus supra, dum de Protoarchimandritae potestate super Provincialibus sermo institueretur.

2) - Nunc restat addere, quod in potestate Protoarchimandritae erat illos etiam in eorum munere prorogare, prout e capitulo Berestensi 1772 constat: « *Statutum, est, ut munus Superiorum tam vocalium, quam non vocalium sit spatio unius quadriennii definitum, ita tamen, ut fas sit Protoarchimandritae et Provincialibus cum suis respectivis Consultoriis iis, quos idoneos et vere utiles monasteriis judicaverint, regimen de uno quadriennio in alteratum pro majori locorum bono prorogare, quem ad modum non expectato lapsu quadriennii locis suis movere, mutare et privare, si id justa, urgens et legitima causa, a quo de jure cognoscenda, postulaverit* »<sup>200</sup>.

3) - Verumquidem litteras oboedentiales iisdem Superioribus extradere pertinebat ad Provincialem, quae tamen ad mensem ab hoc non editae, a Protoarchimandrita extradendae erant<sup>201</sup>.

Litterae oboedentiales erant, quibus Religiosus ad aliquam domum vel officium a Superioribus respectivis destinabatur.

4) - Denique Superiores huiusmodi ad Protoarchimandritam recurrere tenebantur, uti omnes monasteriorum Praesides in negotiis alienationis et iudicii prout de Archimandritis diximus.

2. - *Quoad Superiorem proprii monasterii residentialis.*

1) - Superiorem proprii monasterii residentialis designabat ipse Protoarchimandrita et quidem in praxi e duplici titulo; primo, quia erat Superior monasterii residentialis, secundo, propterea quod in praxi ille in schedis vocalium uti vocalis signatus semper erat<sup>202</sup>.

2) - Praeterea primus titulus tam huiusmodi Superiori, quam eius monasterio suffragabat pro totali eorundem a Protoarchimandrita dependentia prout capitulum Berest. 1772 constituit: « *Orta quaestione, num monasterium, in quo degit Protoarchimandrita, possit a Provinciali visitari, resolutum est per suffragia medietate plura negative, ita tamen, ut integrum sit Provinciali rationem rei familiaris a Superiore ejus loci exigere, et ad majus*

<sup>200</sup> Const. 25.

<sup>201</sup> « Superioribus insigniorum Monasteriorum oboedentiales extradendas esse a Provincialibus. Eis tamen per integrum mensem extradere aut negligentibus aut recusantibus, extradendas tunc esse a Protoarchimandrita »; *Decretum SCPF 1755* (21.IV), ad 1; *Bullae...*, P. I, p. 103; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 83.

<sup>202</sup> *Codex*, p. 90, n. LVII.

*ejusdem rei familiaris incrementum, quod in D.no visum fuerit, cum eodem statuere. Religiosis quaque in Protoarchimandritali monasterio residentibus permissum est, sua, si quae habuerint, circa locum immutandum desideria scripto Provincialibus exponere, nec in eo impediri debere a Protoarchimandrita »*<sup>203</sup>.

Haec tamen intelligi debent de praedictis monasteriis non contemporanee, sed tantum pro actuali residentia Protoarchimandritae. Postea enim videbimus Protoarchimandritam secunda periodo residentiam habuisse, dependenter a qua provincia procedebat, in diversis monasteriis, scil. Torokanensi, si e provincia Lithuana, Poczajoviensi vero, si e Ruthena.

### 3. - *Quoad Superiores monasteriorum non insignium.*

Hi nominati a Provinciali ab eoque dependentes ad Protoarchimandritam recurrere debebant in casibus praedictis alienationis et iudicii.

### 4. - *A Protoarchimandrita denique designabantur et dependebant Vicarii monasteriorum abbatialium Episcoporum, uti supra indicavimus*<sup>204</sup>.

## Art. 2

### Potestas Protoarchimandritae quoad negotia et causas totius Ordinis, Provinciarum et Monasteriorum

1) - *Negotia et causae totius Ordinis vel provinciarum vel etiam singulorum monasteriorum maioris importantiae tam in foro saeculari, quam ecclesiastico promovenda ad Protoarchimandritam pertinebant, cum clausula tamen accipiendi consilii a respectivo consultorio scil. generali vel respectivi aut omnium Provincialium cum eorundem consultoriis. Itaque primo capitulo statutum est: «*Negotia majoris importantiae tam in spirituali quam in saeculari foro, non prius promoveantur a Protoarchimandrita, quam ineatur consilium cum Consultoribus Ordinis et juratis Secretariis, etiamsi causa totam non tangat Religionem, sed unius tantum sit monasterii. Si vero vel tota Religio vel aliquod monasterium particulares compellatur per citationes ad respondendum, committatur statim attententia hujus negotii illi Procuratori, qui tali subsellio aderit et de ulteriori processu capiantur consilia a Consultoribus Ordinis* »*<sup>205</sup>.

<sup>203</sup> Const. 30.

<sup>204</sup> Cfr. pag. 53.

<sup>205</sup> Const. 11.

Eadem constitutio repetitur tribus sequentibus capitulis ad verbum <sup>206</sup>, Capitulo vero Berest. 1772 enumerantur etiam fora in concreto: « *Causas, quae universam Congregationem concernunt, in foro competenti, id est, sive Romae, sive in S. Nuntiatura sive in Comitibus Regni sumptibus Provinciarum promoveri* » <sup>207</sup>.

2) - Item quod negotia Romae tractanda causasque ibidem promovendas in particulari spectat, sicut Procuratori generali illa promoveri sine licentia Protoarchimandritae in scriptis data prohibitum est ita etiam Protoarchimandritae inculcabatur, ut ea promoveat quidem, at cum consilio consultorii generalis et curiae provincialis <sup>208</sup>.

3) - In capitulo praeterea Berest. 1772 prohibitum est Protoarchimandritae « *extra tempus Capitulorum (scil. generalium) a se ipso et motu proprio dubia ulla super legibus aut rebus congregationem tangentibus formare et per Procuratorem resolvenda curare* » <sup>209</sup>.

Contrarium tamen super hoc erat iudicium Nuntii Apostolici Vars., famosi Garampi J. <sup>210</sup>.

Et revera iudicium Nuntii Ap. sequendo, SCPF ad dubium sibi propositum: « *An Protoarchimandrita extra tempus Capitulorum possit ad S. Sedem ac S. Congregationem recursum habere super rebus et negotiis ad totam suam Congregationem spectantibus, secus ac in ultimo Brestensi Capitulo statutum est* » respondit: « *Protoarchimandritam super regulis et rebus ad statum Congregationis spectantibus posse recurrere ad S. Congregationem etiam extra Capitulum, dum modo id faciat de consensu sui Consultorii nec non Provincialium* » <sup>211</sup>.

<sup>206</sup> Berest. 1747, 1751, c. 11; 1759, c. 14.

<sup>207</sup> Berest. 1772, c. 16.

<sup>208</sup> « Nulla negotia Romae vel maxime illa quae totam tangunt Religionem, et respective Provincias, audeat P. Procurator intentare, nisi obtenta ad hoc in scriptis Rev.mi Protoarchimandritae dispositione; Protoarchimandrita vero in similibus Religionis et respective Provinciarum negotiis, utrum sint promovenda nec ne, capiet consilia a Venerabili Consultorio Generali etiam ipso Provinciali ac Consultorio eiusdem »; Capitula: Dubens. 1743, Berest. 1747, 1751, c. 12; 1759, c. 15; 1772, c. 32.

<sup>209</sup> Const. 32.

<sup>210</sup> « Quanto giusta però si è questa regola, altrettanto eccessivamente coartata mi sembra l'autorità e lo zelo degli Protoarchimandriti pro tempore colla proibizione, che viene loro fatta nello stesso Capitolo (loco cit.) di promuovere dubbi o istanze extra tempus Capitulorum. Il bene dell'Ordine e della regular disciplina sembra esigere, che Egli possa farlo in ogni tempo, basta solo, che tolto sia il pericolo, che possa per avventura venir talvolta sorpresa la Sag. Congreg. a nome di tutto l'Ordine qualora le istanze non procedessero che dal solo Protoarchimandrita pro tempore. Onde al art. sudetto potrebbe forse aggiungersi la Clausola, auditis prius Provincialibus eorunque Consultoriis »; ASV. ARCH. N. VARS., v. 75, p. 103; Relatio Nuntii 1774, B.

<sup>211</sup> *Decretum SCPF*, 1775, (10.VII); *Indulg.*, P. I, p. 17, 19; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

4) - Nec minus causas provinciarum et monasteriorum a se ipso et in suo foro iudicare et decidere potuit<sup>212</sup>.

5) - Potestatem habuit tributa pro huiusmodi negotiis atque, in casu recursus, pro expensis visitationis e raudo provinciae respectivae vel provinciarum requirendi « *sumptibus Provinciarum* ».

6) - Monasteria, ut vidimus, in casu recursus a Visitatore ad Protoarchimandritam, visitare<sup>213</sup>.

7) - « *Preces, ieiunia per totam Congregationem indicere* »<sup>214</sup>.

8) - Praevia eius approbatio ad sacella domestica extruenda necessaria erat<sup>215</sup>.

### Art. 3

#### Potestas Protoarchimandritae quoad singulos monachos

Plures potestates, quas periodo prima in singulos Religiosos exercebat Protoarchimandrita, hac periodo ad Provincialem transierunt, qui immediate cum subditis suae provinciae agebat. Quaedam tamen sive vi constitutionum capitularium sive decretorum S. Sedis etiam hac periodo Protoarchimandritae competeabant:

1) - Circa alumnos, alumnatus et laureandos.

a) QUOAD ALUMNOS. Iam in capitulo Dubensi 1743 inter condiciones provinciae Ruthenae posita est etiam: « *ut in Alumnatibus aequaliter Patres provinciae Ruthenae admissionem et locum habeant* », ad quod Lithuana respondit: « *Futurus Generalis tamquam Pater communis disponet servato aequilibrio Provinciarum circa Alumnatibus* »<sup>216</sup>. Tunc in resolutionibus communibus huiusmodi conditionum resolutum est: « *De Alumnis vero aut supplicare Sanctae Sedi Apostolicae pro augmento personarum in Alumnatibus, aut ad aequalitatem admittantur Patres Provinciae Polonae (puta Ruthenae) praevis recommendationibus a Venerabili Consultorio utriusque pro suis Provinciae* »<sup>217</sup>. (Consultorium hic intelligitur generale).

<sup>212</sup> « Ipsius est lites ac disceptationes, si quas inter Provincias oriri accideret, ita Decreto suo transigere ut ab eo appellari nequeat, nisi ad Capitulum generale, cuius potestatis erit vel probare Decretum Proto-Archimandritale, vel idem pro aequitate reformare »; *Codex*, p. 84, n. VIII.

<sup>213</sup> Cfr. pag. 45 sq.

<sup>214</sup> Berest. 1772, c. 16.

<sup>215</sup> *Decretum SCPF*, 1776 (10.XI); *Indulg.*, P. I, p. 31, ad VII.

<sup>216</sup> Conditio 8.

<sup>217</sup> Resolutio 6.

In decretali «*Inter plures*» Benedictus XIV pro aequalitate utriusque provinciae decrevit: «*Quo vero ad alumnatus, cum duo ex ipsis constituti sint in Collegio Urbano de Propaganda Fide, duo autem in Collegio Graeco de Urbe ab Urbano Papa VIII concessi, alii vero in aliis Collegiis extra Urbem assignati reperiantur, statuimus, quod huiusmodi alumnatus ad utramque provinciam spectare deinceps censeantur atque inter earumdem alumnos aequaliter dividantur*»<sup>218</sup>.

Postea tamen quaestio inter Protoarchimandritam et Provinciales mota est cuiusnam esset competentiae alumnos huiusmodi ad alumnatus deligere. In sua relatione huius controversiae Nuntius Ap. inclinabat pro competentia Provincialium ex eadem ratione ac supra in nominandis Superioribus insignium monasteriorum, nempe propterea quod Provinciales melius cognoscebant subiecta sibi subdita<sup>219</sup>. At SCPF quaestionem resolvit in sensu capituli Dubnensis seu resolutionis communis. «*An nominatio Monachorum, qui ad Pontificia Collegia Urbanum, Vilnense et Brusbergense mittuntur, pertineat ad Protoarchimandritam seu potius ad Provinciales? Ad XVII: Spectare ad Protoarchimandritam una cum suo Consultorio juxta Decretum Capituli Generalis Dubnensis et ad mentem et mens est, quod istis praesertim temporibus quoad Alumnos mittendos ad Collegia Vilnen. et Brunsbergen consulat prius Nuntium Apostolicum*»<sup>220</sup>.

b) QUOAD ALUMNATUS. Anno 1775 statuta a SCPF circa alumnatum Vilnen. edita sunt, quorum vi Protoarchimandritae in eodem reservata sunt:

1<sup>o</sup>. «*Ad munus legendi Theologiam in praefato Collegio per P. Protoarchimandritam, audito Protoarchimandritali Consultorio, caeteris praeferantur ii Monachi, qui Alumni extiterunt in Collegio Urbano, quique aliis morum integritate et scientia praestant*».

2<sup>o</sup>. «*Similiter Rector et Vice-Rector praefati Collegii praesentari debebunt a Protoarchimandrita et a Domino Nuntio approbari*»<sup>221</sup>.

Quae vero potestates neque post decretum eiusdem SCPF 1787 (10.11), quo conventum et transactum est, ut Collegium Vilnen. exclusive pertineat ad provinciam Lithuanam, dum Brusbergense ad Ruthenam<sup>222</sup>, quoad dictum Vilnen. mutatae sunt.

c) QUOAD LAUREANDOS. Inde ab anno 1772 (27.IX) Protoarchimandrita facultate gaudebat monachos suos ad gradum laureae in philosophia et theologia promovere, certis tamen conditionibus, uti ex decreto relativo patet<sup>223</sup>.

<sup>218</sup> O. c., § 13; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>219</sup> Relatio Nuntii Vars. 1774 (4.V); ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, p. 120.

<sup>220</sup> *Decretum SCPF*, 1775 (10.VII); *Indulg.*, P. I, p. 17, 19; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>221</sup> *IBIDEM*, p. 21, n. I et IV.

<sup>222</sup> *IBIDEM*, p. 132.

<sup>223</sup> «*Hinc est quod eodem humiliter supplicante, ut sibi facultas fieret promovendi ad Philosophiae et sacrae Theologiae Lauream praefatae suae Congr. Monachos, qui laudabiliter Philosophiam et sacram Theologiam per sex annos sive inter Monasteriorum septa sive in publicis universitatibus docuerunt SS.mus D.nus Clemens D.na Providentia PP. XIV, ad relationem mei infrascripti Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarii facultatem huiusmodi Oratori illiusque in perpetuum successoribus in Audientia diei 20 Septembris 1772 permanenter concessit, declarando omnes et quoscumque Monachos, postquam ut supra per sex annos Philosophiam et sacram Theologiam docuerint vel jam*



Facta est postea instantia, ut Protoarchimandrita eos etiam ad huius modi gradus promovere valeat, qui per octo annos praedicationi verbi Dei operam impendebant <sup>224</sup>.

Referebat Nuntius Ap. suggerendo responsum negativum secundum quod concludit SCPF respondendo: « *Nihil esse innovandum* » <sup>225</sup>.

2) - Quoad consensum praebendum ad praelaturas ad annum 1753. Praelaturae intelliguntur Episcopatus et Archimandritatus et de illis eadem normae valebant ac de his expositae sunt <sup>226</sup>.

3) - « *Libros typis imprimendi Monachis potestatem facere* » <sup>227</sup>.

4) - Eiusdem licentia requirebatur ad egrediendos limites Poloniae Regni et M. Ducatus Lithuaniae <sup>228</sup>.

5) - Eiusdem licentia requirebatur ad pecuniam, qua quisque Religiosus gaudebat ad usum et utilitatem, quaeque vestiarium vocabatur <sup>229</sup>, Religioni stante vita applicandam <sup>230</sup>.

6) - Ad eundem, ut vidimus, quisque a Provinciali recurrere potuit <sup>231</sup>.

7) - Eidem competeat forum secundae instantiae quoad monachos simplices <sup>232</sup> et primae instantiae quoad Archimandritas, inde ab anno 1756 <sup>233</sup>.

8) - Quod vero praeter potestatem praeceptivam et iudicalem etiam coercitiva eidem competeat, evidens est iam ex eo, quod ut vidimus, omnes

---

docuerunt, tum a praedicto moderno Protoarchimandrita, tum ab eius successoribus sive per se sive per aliam interpositam personam ad Doctoratus gradum promotos ad formam tamen sacrosanti Concilii Vienen. frui, potiri ac gaudere posse ac debere, quantum monastica professio patitur, omnibus privilegiis, honoribus ac prerogativis quibus Doctorali Laurea in Alma Urbe ac caeteris Orbis Universitatibus donati, fruuntur, potiuntur et gaudent»; *Indulgentiae*, P. I., p. 8.

<sup>224</sup> « Che alla Laurea di Theologia vengano annessi non solo quelli, che l'avranno professata per otto anni, ma anche coloro, che per altro spazio di tempo si saranno esercitati nella predicazione della divina parola »; Relatio Nuntii Ap. 1774; ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, p. 120.

<sup>225</sup> *Decretum SCPF*, 1775; *Indulg.*, P. I, p. 19 ad 12; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>226</sup> Cfr. p. 49.

<sup>227</sup> Berest. 1772, c. 16.

<sup>228</sup> *Decretum SCPF*, 1755 (21.IV), ad 2; *Bullae...*, p. II, p. 103; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 83.

<sup>229</sup> Cfr. Berest. 1772, c. 20.

<sup>230</sup> « Fas tamen erit monachis pecuniae legitimo usu gaudentibus, praehabita Protoarchimandritae licentia, stante vita sua, ad usus et utilitatem Religionis eandem pecuniam applicare »; cap. Berest. 1772, const. 50.

<sup>231</sup> *IBIDEM*, c. 50.

<sup>232</sup> *IBIDEM*.

<sup>233</sup> Cfr. p. 51.

Officiales deponere seu officio privare potuit<sup>234</sup>, quosque eo vel magis minoribus etiam poenis punire potuit.

Quod vero eiectionem Religiosorum ex Ordine spectat, ad Protoarchimandritam pertinebat sententiam iudicium (in capitulo provinciali ad hoc designatorum) et ipsius Provincialis super delinquente eiciendo confirmare secundum decretum Innocentii XII « *Instantibus* »<sup>235</sup>, quod *Codex*, uti disciplinae receptae documentum historicum, expresse advocat eiusque disciplinam refert<sup>236</sup>.

9) - Potestate gaudebat casus secundum ius commune i. e. ex undecim Clementinis sibi reservare. At etiamsi tam vi Tridentini<sup>237</sup> quam constitutionis Clementinae<sup>238</sup> praedictos casus reservare sibi potuit, inde saltem ab capitulo Torokanen. 1780 hac potestate non est usus prout constat e *Codice*<sup>239</sup>.

10) - Quod autem potestatem absolutivam et dispensativam spectat, notandum est, Protoarchimandritae Ordinis Basiliani hac periodo praeter potestates, quae ceteris Superioribus generalibus, tamquam iurisdictione quasi-episcopali gaudentibus iure communi competebant, quasdam etiam facultates huiusmodi e privilegio peculiari competisse. De huiusmodi facultatibus iam in capitulo Berestensi 1772 procurandis Protoarchimandritae iniunctum est: « Patres futuro eligendo R.mo Protoarchimandritae commendatum voverunt ut det operam Romae... 3tio, pro impetranda Superioribus localibus facultate absolvendi quoscumque Christi fideles a casibus S. Sedi reservatis »<sup>240</sup>.

Novus vero Protoarchimandrita proposuit hanc instantiam, ut nempe in genere privilegia Mendicantium Basilianis communicentur. Habebatur tunc in Nuntiatura Ap. Varsaviensi accuratum examen et longa expositio,

<sup>234</sup> Pag. 39, 40, 47, 52.

<sup>235</sup> VERMEERSCH, o. c., t. II, n. 126.

<sup>236</sup> Iudices incorribilium, ut vult Constitutio Innocentiana, debent esse Patres graves (P. 259, n. 38); « Imminente segregationis fine, Provincialis mittet graves Patres, qui segregatum interrogabunt, utrum velit in viam redire, qui ab illis, si fuerit repertus incorrectus, convocabit iterum sex suos Coniudices et Processum plene perficiet cum declaratione incorregibilitatis et infligendae ejectionis. Citatur tandem reus, ut si quam justam causam habeat, ob quam non sit declarandus incorrigibilis, indicet. Demum nulla justa causa allegata fertur sententia definitiva ejectionis et ad Protoarchimandritam cum toto Processu mittitur. Protoarchimandrita, habita sententia ejectionis, sciat liberum sibi esse vel executioni eam mandari jubere vel reum ulterius in Monotopio asservandum decernere »; *Codex*, p. 260.

<sup>237</sup> S. 14, c. 11.

<sup>238</sup> Clemens VIII Const.: « *Sanctissimus Dominus* », 1593 (26.V); VERMEERSCH, o. c., t. II, n. 222.

<sup>239</sup> « Potest quidem aliquos ex undecim, quos Clemens VIII reservari posse censuit casus pro universa congregatione reservare. Sed quoniam Capitulum Generale sextum efficacius posse occurri malis ope Poenitentiarum ad eiusdem praescriptum in sacro Tribunali irrogandarum iudicavit, idcirco reservationes nullas faciet »; *Codex*, p. 84, n. X.

<sup>240</sup> S. 5, n. 3.

quaenam ex huiusmodi privilegiis et facultatibus Religioni Basilianae magis essent convenientia<sup>241</sup>. Tunc denique SCPF decreto diei 23.IX.1776, privilegiis facultatibusque huiusmodi examinatis et electis, quaedam ex iisdem Basilianis, approbante SS.mo, communicavit, quorum vi Protoarchimandrita sequentibus potestatibus absoluta et dispensativa gaudebat.

a) « I. Ut Protoarchimandrita et Provincialis, iisque decedentibus sive cedentibus aut amotis Vicarii eorum locum suffecti, nec non Superiores locales, ad quos deputatio Confessariorum pro Regulari Familia respective pertinet, possint tam per se ipsos, quam per Confessarios a se deputatos suos subditos regulares sive professos sive novitios in foro poenitentiae a quibuscumque peccatis et culpis, delictis, criminibus et excessibus ante vel post ingressum Religionis commissis pro foro conscientiae tantum absolvere, toties quoties opus fuerit. Insuper ab omnibus excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis et censuris a jure vel homine generaliter latis; non tamen in casibus ad forum judiciale deductis aut Sedi Apostolicae vel Metropolitanae nationis aut Ordinariis locorum quoquomodo reservatis, in eodem foro conscientiae et in sacramentali confessione absolvere, salvo Decreto, et Constitutionibus ipsius Congregationis a Sede Apostolica approbatis quoad casus in eadem Congregatione reservados ».

« II. Ut iidem Superiores per se vel per Confessarios, ut supra, cum subditis suis regularibus, post quam suum Institutum professi fuerint, super quacumque irregularitate et inhabilitate, dummodo occulta sit, ex quovis delicto vel excessu, ad forum tamen contentiosum non deducto, sive ex occulta violatione censurarum, per eos ante ingressum Religionis dumtaxat contracta (exceptis iis, quae ex homicidio voluntario sive ex abortu vel ex activa et gravi membrorum mutilatione proveniunt), pro eodem foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum dispensare possint et valeant ita, ut irregularitatibus et inhabilitatibus huiusmodi non obstantibus, Regulares ipsi ad quoscumque etiam sacros et Presbyteratus ordines promoveri et in susceptis suscipiendis ministrare nec non ad ipsius Congregationis officia et dignitates etiam majores assumi eaque valide et licite exercere possint ».

III. Ut simili facultate gaudeant, pro foro conscientiae tantum, dispensandi cum suis subditis regularibus super irregularitatibus occultis post professionem forte contractis sive ex delicto (non tamen ex superius exceptis) sive ex censurarum violatione, non vero rehabilitandi ad officia et dignitates, nec restituendi ad vocis activae et passivae iura, in casibus, quibus inhabilitatis ad illa, et illas aut privationis vocum huiusmodi poena per Apostolicas Constitutiones inflicta reperitur.

IV. Ut tam ipsi quam Confessarii ab iis, ut supra, deputati, personarum saecularium tam Clericorum quam Laicorum intra monachorum domos seu regularia septa viventium et ad domesticam ipsorum Basilianorum familiam spectantium seu eorundem convictorum et commensalium sacramentales con-

<sup>241</sup> ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, pp. 344-361.

fessiones audire eosque sacramentaliter absolvere possint, nec non iisdem facultatibus pro foro conscientiae pro illis uti, quae expresse sunt superius, num. I, cum exceptionibus et indicationibus ibidem indicatis. Quo vero ad alias personas saecularium nihil possint, nisi ex delegatione Ordinarium locorum, a quibus praevio examine ad excipiendas personarum saecularium confessiones approbati fuerint, et intra limites sibi in literis approbationis huiusmodi praefiniendis »<sup>242</sup>.

b) Praeterea in particularibus Protoarchimandrita speciales quasdam facultates obitinebat, uti e. g. anno 1781 (10. IX) eidem facultas a Nuntio Ap. Vars. auctoritate Apostolica concessa est.

« Ut in monasterio Zyrovicensi novem et respective in Monasterio Poczajoviensi pariter novem gravioribus Presbyteris probeque sibi notis, tum ad praesens in iisdem monasteriis degentibus, tum in futurum ad munus Confessorum adscituris, absolvendi ab haeresi facultatem eadem auctoritate concedat ita, ut quilibet eorundem octodecim Confessorum per viginti personas utriusque sexus, qui nunquam in adulta aetate fidem catholicam fuerunt professi, nec fuerint ex locis, in quibus Sanctum Officium exercetur, haereticos, schismaticos, ad ipsos sponte venientes, a suprascriptis excessibus et ab excommunicatione aliisque ecclesiasticis censuris, quas propter haereses et schisma ac errores huiusmodi quomodolibet incurrerint, dummodo corde sincero et fide non ficta haeresim et schisma atque errores huiusmodi in sacramentali confessione verbo detestati fuerint, anathematizaverint, abjuraverint atque praestito per ipsos juramento, quod talia deinceps non committent, nec committentibus injuncta eis aut eorum cuilibet pro modo culpae paenitentia salutari et aliis injungendis in foro conscientiae tantum, citra tamen ullam habilitationem vel dispensationem a supra scriptis excessibus et censuris absolvere ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae libere et licite excipere et reconciliare possint et valeant, dummodo ad confessiones audiendas ab Ordinario loci fuerint approbati, licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus etc. ».

« Damus insuper Paternitati Vestrae Rev.mae potestatem concedendi ejisdem Confessarijs facultatem absolvendi a casibus Sanctae Sedi Apostolicae reservatis et in Bulla Caenae Domini contentis, ita tamen, ut hac facultate quoad casus reservatos uti possint nisi in ijs locis, in quibus impune grassantur haereses. Praesentibus quoad casus reservatos ad triennium tantum valituris. In quorum fidem etc. Datum Varsaviae, die 10 7bris, Anno Domini 1781... (1. S.). I. Andreas Archiepiscopus Chalcedonensis, Nuntius Apostolicus; Josephus Dzyszkowski, Vice Cancellarius »<sup>243</sup>.

11) - Item idem Protoarchimandrita Basilianus inde saltem ab anno 1782 facultate etiam gaudebat benedictionem cum indulgentia plenaria imperitendi eamque aliis suis monachis communicandi in articulo mortis impertiendam.

<sup>242</sup> *Indulgentiae*, P. I, p. 28-31; vide in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 91 sg.

<sup>243</sup> Capitulum Zydzynen. 1788, s. 3, n. 7<sup>o</sup>.

« Itaque SS. mus Dominus Noster Clemens PP. XIV, illustria praedecessorum exempla aemulatus, ut specimen aliquod paternae charitatis suae erga eandem Congregationem daret, unde illius alumni ad sacrarum Missionum exercitium magis accenderentur, me infrascripto SCPF Secretario referente, permanentiter concessit moderno Protoarchimandritae et Archimandritis omnibus praedictae Congregationis eorumque in perpetuum successoribus:

a) « Facultatem impertiendi benedictionem cum indulgentia plenaria monachis omnibus et Christi fidelibus in mortis articulo constitutis, intra septa monasteriorum degentibus, vel a praedictis monasteriis aliquo jure dependentibus »;

b) « Protoarchimandritae vero hanc eandem facultatem indulsit communicabilem uni vel pluribus monachis uniuscuiusque monasterii, qui eam erga suos consocios et erga Christi fideles, ut supra, poterunt exercere;

c) Item illis monachis, qui curam habent animarum vel sacris Missionibus dant operam, pro suis Parochianis et respective pro iis, quibus in extremo agone, tempore Missionis assistentiam praestabunt »<sup>244</sup>.

---

<sup>244</sup> *Indulgentiae*. P. I, p. 3.

CAPUT II

**DE IURIBUS PROTOARCHIMANDRITAE**

Art. 1. INTRA ORDINEM BASILIANUM.

1) PRIMA PERIODO.

2) SECUNDA PERIODO.

Art. 2. EXTRA ORDINEM BASILIANUM.

(PRIMA ET SECUNDA PERIODO)



CAPUT II  
DE IURIBUS PROTOARCHIMANDRITAE

**Art. 1**

**Iura Protoarchimandritae intra Ordinem Basilianum**

**A. Prima Periodo**

1) - Protoarchimandritae TITULUS *competebat* « *reverendissimi* », qui persaepe adhibebatur solus ad designationem Protoarchimandritae sine ullo addito, uti e. g. « *loco Reverendissimi in Proconsultorem Venerabilis Pater Bonifatus Puczkowski electus est* »<sup>1</sup>. Persaepe etiam terminus Protoarchimandrita cum adiectivo « *Reverendissimus* » uti illius titulo debito in actis capitularibus refertur<sup>2</sup>.

2) - Protoarchimandritae ius *competebat* PRAECEDENTIAE supra omnes sodales Religionis Basilianae.

Quaestio tantum aliquando emergebat de eiusdem super Abbatibus praecedentia, uti praesertim post Synodum Zamostianam. Relationes post praedictam Synodum de hac re ad SCPF admissae sunt tum ex parte Ordinis seu Protoarchimandritae, tum ex parte Hierarchiae Ruthenae. Itaque in relationibus Protoarchimandritae hoc punctum sonabat: « II: Protoarchimandrita cum sit in possesso quoad praecedentiam supra Archimandritas, justum ut conservetur penes sua iura antiqua et ne fiat ulla innovatio »<sup>3</sup>. Nuntius autem Apostolicus idem confirmabat sequentibus rationibus:

a) Iam ipse titulus id indicat;

b) Protoarchimandrita simul cum Metropolita deponit Archimandritas, i. e. secundum *Nexum* ex anno 1686, n. 14;

c) Idem demonstrant acta capitularia, ubi primus subscribit Protoarchimandrita;

d) Acta Synodorum: Cobrynensis 1626, Congressus Lublinensis 1680, Syn. Zamostianae 1720<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Zyrovic. 1679, s. 5; AS, t. XII, p. 117; similiter Novogr. 1703, s. 2, n. 3; *IB.*, p. 144.

<sup>2</sup> E. g. Novogr. 1686, s. 9; *IBID.*, p. 126; Zyrovic. 1694, s. 6, n. 5; *IB.*, p. 135; Novogr. 1703, s. 2, n. 2.

<sup>3</sup> Litterae OSBM ad Procurat. gen. porrigendae SCPF 1721, (15.II); APF-CP, 1728, v. 64, f. 436.

<sup>4</sup> *IBIDEM*, f. 39.



Rationes vero Hierarchiae erant: «Secundum etiam formale ortum dubium inter Abbates Infulatos et advitales ex una, ac inter Patrem Provincialem (ita vocabant Protoarchimandritam ad diminuendam eius auctoritatem), simplicem Religiosum quadriennio solum in Officio durantem, de praecedentia satis quidem per Canones antiquos et Praxim Ecclesiae Universae etiam in Conciliis generalibus declaratum, neque ullo novissime aut Sanctissimorum Bullis pro illa Provincia Lithuana revocatum vel alio modo declaratum, speramus, non aliter, nisi sicut sentiebat noster congressus, ut post Episcopos Abbates Infulati teneant locum, Supremo Iudicio Eminentissimarum Reverendissimarum Dominationum Vestrarum statuatur»<sup>5</sup>. Et alibi: «11-mo: An Abbates Infulatos debeat praecedere Ordinis Basiliani Protoarchimandrita?»

Pro affirmativa stare videtur punctum Nexus conclusi inter Cyprianum Zochowski Archiepiscopum Metropolitanum Russiae et Religionem Basilianam, quo cavetur, ut Archimandritae discoli deponantur a Metropolitanato et Protoarchimandrita, caeterum hic Nexus initus est inter solum Cyprianum, nulla in Successores derivata obligatione, cum plures de punctis Nexus in hucusque non servat Religio.

Pro negativa militant et Canones et rationes. Abbates enim Infulati votum etiam in Concilio Generali decisivum habent, secus Provinciales; Abbates Infulati et advitales sunt, secus vero Protoarchimandrita post quadriennium a futuro Protoarchimandrita de facili ad minima quaeque alienandus ad arbitrium; ex Abbatibus Protoarchimandrita, immo etiam Consultor Ordinis eligi non potest, cur itaque, ut Protoarchimandritae subiaceat, obligari queat intra sortem minimi Religiosi passivam ad Protoarchimandritam habentis vocem contra maiestatem Abbatialis depressus dignitatis, praecipue cum circa Benedictionem novum Archiepiscopo Metropolitanato exhibens obedientiae iuramentum a voto primae obedientiae Protoarchimandritae iurato per confessum ut ascendat dimissus et absolutus. Denique Protoarchimandrita ut visitet monasteria Archimandritis subiecta, eo quod in iis monachi simplices ad nutum Protoarchimandritae amovendi reperiantur, ab Archiepiscopo Metropolitanato Russiae accipit potestatem, proinde et depositionem Archimandritae non pro decisiva supervenire solet sententia, verum pro danda circa mores sibi ex actu visitationis notis informatione»<sup>6</sup>.

Hisce rationibus receptis Sacra tamen Congregatio quaestionem decidere noluit, sed quaestione huiusmodi proposita: «XV. An Protoarchimandritae seu Generali eiusdem Ordinis debeatur praecedentia supra Archimandritas Infulatos», respondit: «Ad 15. Dilata, et interim melius explicant, qui intelliguntur sub nomine Archimandritarum Infulatorum»<sup>7</sup>.

Protoarchimandrita vero, ut supra, in possessione iuris remansit.

3) - Ius ad PROVISIONEM. In hoc imprimis animadvertendum est, post unionem monasteriorum in unam Congregationem SS. Trinitatis, independentiam monasteriorum in pluribus adhuc fuisse conservatam, praesertim vero quoad bonorum administrationem. Massa communis, quam nonnisi pe-

<sup>5</sup> Litterae Hierarchiae ad SCPF, Vladimiriæ, 1721 (4.X); *IB.*, p. 485.

<sup>6</sup> «*Desideria Ecclesiae Roxolanae*» manu Metropolitanæ Kiszka subscripta, punctum 11; *IBIDEM*, f. 430.

<sup>7</sup> *IBIDEM*, f. 15 et 39.

riodo secunda constitutam vidimus, prima periodo deerat, sed Protoarchimandrita in singulis casibus e monasteriis ducta proportione summan necessariam colligere debuit. Immo neque domus determinata pro officio Protoarchimandritae erat (eo vel magis pro ceteris Consultoribus, qui proinde in singulis monasteriis habitare potuerunt). Hinc ergo recte in quibusdam capitulis quaestio proposita est de provisione Protoarchimandritae « e pauperibus monachis » scil. non Superioribus alicuius monasterii electi, uti in genere in capitulo Zyrovicen. 1694<sup>8</sup> aut in concreto in capitulo Zyrovicen. 1661 electo in Vicarium Generalem Protoarchimandritae Episcopi simplici monacho Pachomio Ohilewycz: « Post cuius electionem, cum de modo congruae sustentationis ab inveniendoelecto, qui neque ullum superioratum habuit, neque proventum, difficultas non parva orta esset, tunc Venerabilis Pater Sebastianus Kaczynski . . . ex affectu suo erga Religionem ultro citroque superioratu Berestensi cum Torokaniis earumve adiacentibus cessit »<sup>9</sup>.

Inde ergo erat, quod post electionem fere cuiusque Protoarchimandritae prima periodo statim alia etiam quaestio solvenda proponebatur, nempe eiusdem debitae provisionis. In hac autem plura obiecta distinguenda sunt:

- a) ius ad residentiam;
- b) ius ad sustentationem;
- c) ius ad provisionem pro expensis in negotiis totius Ordini;
- d) peculiariter pro expensis visitationum.

Ad a) Residentiam Protoarchimandritae designabat ipsum capitulum generale eiusdem electivum. Norma autem pro huiusmodi monasterio designando in constitutionibus primi capituli haec est lata: « *Protoarchimandrita debet esse praeses alicuius principalis monasterii, in quo maius Religionis nostrae momentum positum est* »<sup>10</sup>, quae constitutio etiam in « *Constitutionibus Recognitis* » anno 1686 ex toto recepta est, mutato tantum verbo « *debet esse* » in « *potest esse* »<sup>11</sup>.

Utique sub Protoarchimandritis-Metropolitae haec quaestio applicationem non habuit quoad eos ipsos, qui in residentia metropolitana residebant, sed transiit in eorum Vicarios Generales. Itaque de primis huiusmodi Vicariis Generalibus nescimus, ubi residenbant. Sede metropolitana et simul officio protoarchimandritali vacantibus, Vicarius Generalis tum monasterio Bythenensi, tum Zyrovicensi<sup>12</sup>, tum Torokanensi<sup>13</sup> residebat.

Protoarchimandritae vero quadriennales imprimis, uti antea Vicarii Gene-

<sup>8</sup> S. 6, n. 2; o. c., p. 135.

<sup>9</sup> S. 5; IB., p. 68.

<sup>10</sup> S. 4, n. 17; IB., p. 11.

<sup>11</sup> CR, c. VIII; IB., p. 172.

<sup>12</sup> Cap. Torokanen. 1661, s. 6; IB., p. 63 et Torok. 1656, n. 6, p. 53.

<sup>13</sup> Zyrovicen, 1661, s. 5; IB. p. 68; Novogroden. 1671, s. 9; IB., 106.

rales Torokaniis residebant<sup>14</sup>, dein monasterio Berezwezensi<sup>15</sup> vel Byteniensis<sup>16</sup>, a capitulo vero Minscensi 1690 iterum Berezwezensi<sup>17</sup>.

Ad b) Ius ad sustentationem. Sicut primo capitulo constitutum est, constitutione supra citata, ita etiam postea communiter in praxi sustentationi Protoarchimandritae eiusque comitatu personali<sup>18</sup> providebatur per designationem eidem alicuius monasterii praestantioris, e cuius proventibus honeste sustentari potuisset. Huiusmodi monasteria communiter eadem erant ac illa residentialia.

Alius modus peculiaris pro sustentatione Vicarii Generalis constitutus est capitulo Torokanensi 1661, dum eidem residentia in monasterio Zyrovicensi designata sit, nempe ut unumquodque monasterium Congregationis per sex hebdomadas eiusdem sustentationi provideret<sup>19</sup>.

Protoarchimandritae tamen quadriennales inde a capitulo Minscensi 1690 stabiliter e bonis monasterii Berezwezensis, vocatis Wierzbilow, sustentantur<sup>20</sup>.

Ad c) Ius ad provisionem pro expensis in negotiis totius Ordinis.

Cum Protoarchimandritae esset negotia totius Ordinis promovere, eidem ius erat ad provisionem pro expensis huiusmodi negotiorum. Huic exigentiae et iuri providit iam capitulum primum, dum constituerit: « Si vero pecuniae opus esset licitum erit Protoarchimandritae a quocunque monasterio eam desumere vel si eam in nullo monasterio invenisset, mutuo sumere, quam postea ipso requirente, omnia monasteria eo mediante reddere debent »<sup>21</sup>.

In praxi postea vidimus, in capitulo Torokanensi 1661 constitutum fuisse, ut ad expensas viarum Vicarii Generalis (vacante protoarchimandria) pro negotiis Ordinis omnia monasteria secundum iudicium Consultorum generalium contribuissent<sup>22</sup>. Item in capitulo Novogroden. 1686 accurate deter-

<sup>14</sup> Cap. Zyrovicen. 1675, s. 4; o. c., p. 111.

<sup>15</sup> Zyrovicen. 1679, s. 4; IB., p. 116.

<sup>16</sup> Minscen. 1690, s. 5; IB., p. 130; Novogr. 1703, s. 16, n. 4, p. 156; *Synod. Zam.*, p. 14.

<sup>17</sup> Minscen. 1690, s. 5; IB., p. 130; Novogr. 1703, s. 16, n. 4, p. 156; *Synod. Zam.*, p. 14.

<sup>18</sup> Quibusnam personis huiusmodi comitatus componeretur, accurate in actis capitulorum non determinatur. Una tantum vice, dum de Vicario Generali (vacante Protoarchimandria) actum esset, accurate ille determinatus est, qui nempe componeretur, fratre laico, auriga (cum curro et binis equis) atque cursore (cum equo). Torokanen. 1661, IB., p. 63.

<sup>19</sup> S. 6; IB., p. 63.

<sup>20</sup> Minscen. 1690, s. 5; IB., p. 130; Novogr. 1703, s. 16, n. 4, 5, IB., p. 156.

<sup>21</sup> S. 4, n. 18; IB., p. 12.

<sup>22</sup> S. 6, IB., p. 63.

minatur quid quisque monasteria tenentium vel regentium in expensas huiusmodi Protoarchimandritae contribuere debeat<sup>23</sup>.

In huiusmodi expensis comprehendebantur, uti principales et ordinariae, expensae pro mittendis ad studia et novitium<sup>24</sup>.

Ad d) Provisio peculiaris pro expensis visitationis canonicae.

Primo capitulo constitutio generalis lata est, quae sonabat: « Alimenta nempe Protoarchimandritae dum visitationis gratia vel in negotiis totius Ordinis ad certa loca profecturus sit providere debent omnia monasteria secundum proprios proventus, de quo in capitulo generali futuro accuratior constitutio ferri debet »<sup>25</sup>. Eodem sensu eadem constitutio in *Constitutionibus Recognitis* anni 1686 redacta est: « Sumptum vero Protoarchimandritae pro visitandis monasteriis, sicut et pro aliis Religionis negotiis promovendis, omnia monasteria providebunt, pro ratione proventuum uniuscuiusque eorum »<sup>26</sup>.

<sup>23</sup> « Consideratum est, quaenam esset provisio Protoarchimandritae et conclusum est, ut residentia eius sit monasterium Bytheniense. Pro aliis vero expensis, ut quolibet anno contributio ab omnibus monasteriis die 11 Octobris solveretur.

Ill.mus Dominus Pater Metropolita florenos	100
Ill.mus Dominus Pater Episcopus Pinscensis florenos.	200
Ill.mus Dominus Pater Archiepiscopus Smolescensis florenos	40

Ad ceteros autem Ill.mos Episcopos, ut eandem contributionem concedant et deponant, scribebit Ill.mus Dominus Pater Metropolita, item ad Archimandritam Suprasliensem.

Archimandrita Trocensis	aureos	30
Archimandrita Braclaviensis	»	30
Monasterium Zyrovicense	»	100
Monasterium Minscense	»	60
Monasterium Czereiense	»	100
Monasterium Novogrodense	»	10
Monasterium Bytheniense	»	50
Monasterium Polocense Hlibo-Boryssense	»	50
Monasterium Polocense cathedrale	»	30
Monasterium Dermanense	»	50
Monasterium Dubnense	»	30
Monasterium S. Crucis	»	10
Monasterium Berestense	»	5
Monasterium Leszczynense	»	30
Monasterium Witebscense	»	20
Monasterium Rozanense	»	10
Monasterium Czerlonense	»	5
Monasterium Casutense	»	10
Monasterium Lyskoviense	»	10
Monasterium Wolnense	»	10
Monasterium Berezwezcense	»	100
Archidiaconus Ill.mi Domini Patris Metropolitanae	»	10

*Summa totalis aureorum* . . . . . 1100

<sup>24</sup> De mittendis ad studia cfr. Minscen. 1690, s. 5; IB., p. 130; Novogroden. 1703. s. 15, n. 4 et 5, IB.; de novitatu vero Zyrovicen. 1675, s. 4; IB., p. 111; *Nexus* 1686, n. 10.

<sup>25</sup> S. 4, n. 18; IB., p. 12.

<sup>26</sup> CR, c. VIII.

Quomodo in praxi haec provisio concederetur satis non constat, unice tantum e capitulo Torokanensi 1661 modus huiusmodi provisionis patefit, dum statuatur, ut « visitationes sumptu monasterii ad monasterium expediantur »<sup>27</sup>.

4) - Praeter comitatum consuetum, ut vidimus, Protoarchimandrita ius habuit ratione status sui et honoris ad socium sibi adsciscendum « aliquem Religiosum gravem »<sup>28</sup> et « doctrina et pietate conspicuum »<sup>29</sup> praesertim in repraesentationibus. Socium huiusmodi, qui saltem a capitulo Novogrodensi 1703 iure vocis activae et passivae in capitulo futuro gaudere debebat<sup>30</sup>; communiter capitulum consultorio generali designandum committebat<sup>31</sup>.

Metropolitae vero Protoarchimandritae iure gaudebant ad adsciscendos sibi Vicarios Generales, quos ipsum capitulum eligebat.

5) - Protoarchimandrita in capitulis gaudebat: a) iure capitulum ingrediendi; b) voce activa et passiva; c) iure, uti ubique, omnes praecedendi; d) iure capituli acta subscribendi.

6) - Iure gaudebat liberae cum omnibus epistolaris communicationis, cuius violatio poena excommunicationis latae sententiae puniebatur<sup>32</sup>.

7) - Vicarius eius monasterii maiori gaudet potestate ac ceteri monasteriorum Vicarii. « Quando vero discedet ad visitanda omnia alia monasteria Vicarius ejus in eo monasterio majori potestate, quam reliqui Vicarii per alia monasteria gubernabit id monasterium »<sup>33</sup>.

## B. Secunda Periodo

1) - Etiam hac periodo titulus Protoarchimandritae competebat « *Reverendissimi* », prout iam primo capitulo constitutum est<sup>34</sup>. Postea capitulo Berestensi 1751 tentatum est huiusmodi titulos permutare, quo pacto Protoarchimandritae titulus Perillustris Rev.mi attributus est, sed SCPF in decreto

<sup>27</sup> S. 6; *IB.*, p. 63.

<sup>28</sup> Minscen. 1690, s. 5; *IB.*, p. 130.

<sup>29</sup> Zyrovicen. 1694, s. 5; *IB.*, p. 140.

<sup>30</sup> S. 16, n. 5; *IB.*, p. 156.

<sup>31</sup> *IBIDEM.*

<sup>32</sup> De hoc nonnisi una vice in actis capitularibus mentionem invenimus, nempe capitulo Vilnen. 1650: « Nemo audeat litteras, sed praesertim ad Illustrissimum Protoarchimandritam (qui tunc Metropolitae Sielava erat) vel ad alios Superiores scriptas aperire (frangere sigilla) sub excommunicatione ipso facto incurrenda »; S. 6, n. 9; *IB.*, p. 48.

<sup>33</sup> Novogrodovicen. 1617, s. 4, n. 17, *IB.*, p. 11; CR, c. VIII.

<sup>34</sup> « Ut cuivis juxta exigentiam dignitatis distinctus et proprius titulus ab omnibus fratribus dari possit, ipse Protoarchimandrita habeat semper titulum Rev.mi... »; Dubnen. 1743, et Berest. 1747, 1751, c. 9; 1759, c. 12; 1772, c. 28.

<sup>35</sup> Berest. 1751, c. 9; *Decretum SCPF*, 1752 (26.XI), dub. 12; *Bullae...*, P. II, p. 84.

hoc capitulum adprobante ad titulos in capitulo Dubnensi stabilitos revertere procepit<sup>35</sup> et ita postea statuebatur<sup>36</sup>.

2) - Item, quod praecedentiam spectat, Protoarchimandrita iure eisdem gaudebat supra omnes sodales religiosos, quaestione tantum prima periodo orta et hac brevi pendente quoad praecedentiam eiusdem super Archimandritis.

Iam enim capitulo primo vix cathalogi capitulum ingredientium legi coeperint, contentio inter Officia Congregationum ex una et Archimandritas ex altera parte quoad praecedentiam orta est<sup>37</sup>.

Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » quaestionem huiusmodi praecedentiae resolvit decernendo, ut in actibus monasticis Protoarchimandrita praecedat Archimandritas<sup>38</sup>.

Quae norma praecedentiae inter Protoarchimandritam et Archimandritas in suo vigore remansisse dicenda est etiam post decretalem Benedicti XIV « *Super Familiam* », qua Archimandritae immediatae potestati Protoarchimandritae subiecti sunt (scil. a. 1756).

Postea quaestio solum mota est ante synodum provincialem, quae anno 1765 celebrari debuisset, scil. « *Se spetti al Protoarchimandrita la precedenza sopra tutti gli Abbati del suo Ordine?* » ad quod SCPF rescripsit: « *Ad III. Eidem R. D. P. Nuncio scribendum, in casu, de quo agitur, praecedentiam in actibus synodalibus deberi Protoarchimandritae super Abbates* »<sup>39</sup>.

Inde denique a capitulo Berestensi 1751 Protoarchimandrita pro ingredientibus capitulum generale e diversis provinciis normam praecedentiae

<sup>36</sup> Berest. 1759, c. 12; 1772, c. 28.

<sup>37</sup> « Orta est deinde quaestio de praecedentia inter Perillustres Abbates et Rev. mos Vicarios Generales ac Consultoria utriusque Provinciae. Abbates enim asserendo se esse advitales et usum Mitrae, Crucis, ac baculi Pastoralis habentes, praetendebant primum ante praefatos Vicarios generales et Consultoria habere locum. E contra vero Vicarij generales et Consultores usum et consuetudinem antiquam pro sui respectu Abbatum praecedentiam in medium adferebant; ac tandem Excellentissimus Praeses cum consilio et assensu Illustrissimorum Delegati et aliorum Episcoporum ad ulteriorem Sanctae Sedis decisionem disposuit et declaravit, ut Rev. mi Abbates primum locum ante praefatos Vicarios et Consultores in praesenti capitulo habeant, sicque iidem Abbates statim post Ill. mos Episcopos unus ex opposito alterius (protestantibus publice Reverendissimis Vicario et Consultoribus Provinciae Lithuaniae, si id in posterum ipsis praepredicet) locum occuparunt »; S. 2.

<sup>38</sup> « Duplex itaque, ut videtis, decidenda proponitur quaestio: altera scilicet circa immediatam Abbatum subiectionem vel Protarchimandritae vel Metropolitanano, altera circa eorundem Abbatum praecedentiam supra Protoarchimandrita. Ducto igitur initio ab ea, quae minorem difficultatem involvit, decernimus quod in omnibus actibus monasticis Protoarchimandrita praecedat Abbates, cum minime ferendum sit, in huiusmodi actibus monasticis, Religiosum ipsi Religionis suae capiti antea; extra vero actus monasticos, solitum servari praecipimus; ita ut, si extra praedictos actus usus invaluit quod Abbas praecedat Protoarchimandritam, in posterum etiam ad Abbatem praecedentia pertineat; si vero de praeterito obtinuit, quod Protoarchimandrita Abbates praecedat, id ipsum deinceps servetur »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 147, § 16: cfr. in A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>39</sup> APF, *Acta 1765*, v. 135, f. 273; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 218.

constituebat, in quantum inter pares gradu illi e provincia Protoarchimandritae ceteros praecedebant<sup>40</sup>.

3) - Ius ad provisionem.

a) Pro residentia Protoarchimandritis dependenter ab eo a quam provincia eligendi erant respectiva monasteria a constitutionibus capitularibus designata sunt, scilicet, si e provincia Lithuana electus erat, residere debuit in monasterio Torokanensi, si vero e provincia Ruthena seu Polona, in monasterio Poczajoviensi. Ita iam primo capitulo Dubnen. 1743 constitutum est<sup>41</sup>.

Quae residentiae alternativa usque ad finem periodi retenta est<sup>42</sup>, quaestiones autem enascebantur circa con-residentiam cum Protoarchimandrita aliorum Officialium Ordinis, uti infra videbimus<sup>43</sup>. Quaestio vero de residentia etiam Protoarchimandritae mota est nonnisi in capitulo Zydyczynensi 1788, num scilicet subsistere deberet in eisdem monasteriis vel potius unum in quacumque provincia pro residentia fixa Protoarchimandritae designandum esset, dotandum mutuis sumptibus provinciarum pro sustentando Protoarchimandrita et eius Officio. Sed conclusum est hoc negotium tempore feliciori relinquendum esse, interim monasteria eadem retineri debere<sup>44</sup>.

b) Haec eadem monasteria residentialia simul etiam pro sustentatione Protoarchimandritae eiusque officii destinata erant. Quod expresse in quibusdam constitutionibus signatur<sup>45</sup>.

c) Provisio Protoarchimandritae pro expensis totius Ordinis decisa est

<sup>40</sup> « Insuper observandum erit, ut pro eo tempore, quando ex una Provincia eligeretur Protoarchimandrita Provinciales et Consultores eiusdem Provinciae ante Provinciales et Consultores alterius Provinciae primum locum habeant et sic etiam intelligendum erit de caeteris Patribus unius Provinciae respectu alterius »; Berest. 1751, c. 16; 1759, c. 20; 1772, c. 39.

<sup>41</sup> « Pro residentia Protoarchimandritae et Consultorum ac Secretariorum ejusdem in provincia Lithuana designatur monasterium Torokanense. In Provincia Ruthena Monasterium Poczajoviense »; Const. 4.

<sup>42</sup> Beresten. 1747, 1751, 1759, const. 4; 1772, const. 10.

<sup>43</sup> Infra p. 170 sq.

<sup>44</sup> S. 8. Eadem quaestio iam antea a Benedicto XIV in Congr. Part. 1750 (21.IX) mota est, prout ex Instructione Nuntio Poloniae transmissa die 26 eiusdem mensis constat: « In secundo luogo desiderando la Santità Sua, che la residenza del Proto-Archimandrita o sia Generale dell'Ordine abbia una dimora fissa e stabile insieme ed suo Consultorio ed Archivio Generale, che non sia gravata ne all'una ne all'altra Provincia e che anzi ridondi in comodo e vantaggio d'entrambi, ha considerato, che tale potrebbe essere il Monastero Abbaziale di Zydyczyn, il quale era uno dei controversi ed è situato nella diocesi di Luceria. Essendo però questo Monastero di Jurispatronato laicale e di regia collazione, anzi trovandosi attualmente conferito al Vescovo Ruteno di Luceoria, sebbene gliene venga controverso il possesso dalla Provincia di Lituania, dovrà darsi V. S. la cura di pregare anche in nome e per parte di Sua B.ne la Maestà del Re di Polonia che voglia cedere il diritto, che ha di nominare alla Abbazia e Monastero ai Protoarchimandriti pro tempore... »; APF, *Lettere della S. C. dell'anno 1750*, v. 175, f. 175-183; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Litterae*, vol. IV, p. 237-242.

<sup>45</sup> « Expositum est a PP. Provin. Poloniae id Monasterium (Poczajoviense) ob avulsos ex Decreto Tribunalis Regni Poloniae fundos litemque pendentem

iam primo capitulo, quo imprimis Congregatio Ruthena ut unionis conditionem proposuit: «*Ut monasteria unius Provinciae ad onera et debita alterius Provinciae sufferenda et deportanda non trahantur nec obligentur*», ad quam recte respondit Congregatio Lithuana; «*Ad onera particularia uniuscuiusque Provinciae altera Provincia non tenebitur. Onera vero totius Congregationis futura congruum erit sustinere*»<sup>46</sup>. Quo etiam sensu formata est resolutio communis: «*Oneribus privatis utriusque Provinciae alterutra non subiacebit; si quae erunt publica futura totius Congregationis unitae utraque subiacebit, praevisis tamen consiliis, quibus competit iure constitutionum*»<sup>47</sup>. Hac ergo resolutione fundatum est ius Protoarchimandritae ad provisionem pro expensis totius Ordinis ad quod postea nonnisi capitulum Berestense 1772 alludebat<sup>48</sup>.

Provisio haec, si opus erat, desumebatur e raudo seu massa communi, quae in unaquaque provincia constituta erat sub custodia et cura depositarii provincialis.

d) Ex eodem raudo providendae erant expensae viarum Protoarchimandritae visitationis monasteriorum, si opus erat, gratia susceptae<sup>49</sup>.

In iisdem itineribus ceterisque licitum erat Protoarchimandritae honoris causa 12 equis uti<sup>49 a</sup>.

4) - Inde ab anno 1751 Protoarchimandrita gaudere coepit iure «*pontificalibus uti*», seu insignibus archimandritilibus, tempore tamen solum eius officii<sup>50</sup>.

---

impar esse sustentandis memoratis Officialibus Ordinis et idcirco postulatum, ut aliud Monasterium eius loco designarent aut subsidium aliquod provideretur quo Protoarchimandrita eiusque Consultorium commode sustentari posset. Quae prospiciendi huic exigentiae provincia demandata est eligendo Ilmo Provinciali suoque consultorio»; Beresten, const. 4.

<sup>46</sup> Dubnen. 1743, conditio 6.

<sup>47</sup> IBIDEM, resolutio 5.

<sup>48</sup> Protoarchimandritae potestates determinando: «*Causas, quae universam Congregationem concernunt in foro competenti, i. e. sive Romae sive in S. Nuntiatura sive in Comitibus Regni sumptibus Provinciarum promovere*»; Const. 16.

<sup>49</sup> «*Solvere itineris expensas pertinebit ad Depositarium ex communi raudusculo ejus Provinciae, cujus monasterium inspecturus est. Ab eiusdem raudusculi depositario percipiet quoque congruum viae subsidium, quoties necessitas tulerit, ut ab ipso Protoarchimandrita aliquod Abbatiale canonice inspiceretur Monasterium*»; *Codex*, p. 89, n. XLIV, XLV.

<sup>49 a</sup> Dubnen, 1743, Beresten. 1747, 1751, const. 8; 1759, const. 11, 1772, c. 27.

<sup>50</sup> «*Huiusmodi supplicationibus (scil. Procuratoris g.) inclinati, cuilibet ex pro tempore existentibus Superioribus Generalibus Ord. et Congr.nis praedictorum, ut eorum quilibet, donec tamen et quousque munus Superioris Gnr.lis per quadriennium praedictum (postea octennium) exercuerit et munus huiusmodi tantum durante et non alias nec ultra Mitra, Annulo, Cruce pectorali, non tamen pretiosis, baculo pastorali aliisque insigniis et indumentis juxta Ritus Ruthenum gestari solitis, tam in de Torokania et de Poczajovia monasteriorum praedictorum, quam in aliis ejusdem Congr.nis et ab ea dependentibus ecclesiis, inter Missarum aliarumque ecclesiasticarum functionum juxta Ritus praedic-*



5) - In capitulo Protoarchimandrita iure gaudebat:

a) capitula tam generale quam omnia provincialia et haec quidem uti eorundem Praeses ingrediendi;

b) in omnibus voce activa, in generali vero, officio suo deposito, etiam passiva frui;

c) in iisdem, praeter capituli generalis Praesidem, supra omnes praecedere;

e) acta capitularia subscribere.

Item Protoarchimandritae officio suo functi quibusdam iuribus peculiaribus gaudebant sive omnes vi constitutionis, sive quidam ob merita vi privilegii specialis. Itaque:

1º. Vi constitutionis Protoarchimandritae officio suo rite et laudabiliter functi a capitulo generali duplici iure premiabantur;

a) « Ut post resignationem protoarchimandritalis officii (puta depositionem eiusdem elapso octennio) quodcumque intra suam Provinciam placuerit monasterium in quo resideat illudque gubernet pro suo libitu eligat »;

b) « Vacante autem iam aliqua Praelatura intra suam Provinciam Perillustri Rev.mo futuro Generali eiusque Consultorio, Rev.mo Provinciali atque itidem eius Consultorio votis totius Congregationis commendatur, ut meritorum eiusdem Rev.mi Protoarchimandritae debitum respectum habentes, ipsi de opportuno praemio per consensum provideant »<sup>51</sup>. Haec autem decisio capitularis imprimis Protoarchimandritae e provincia Ruthena, Hyppatio Bilynskyj, applicata in capitulo Berestensi 1751 in eodem etiam eadem praxi in futurum servanda praescripta est « eadem gratitudinis praxis erga successores Protoarchimandritas, si expectationi totius Ordinis in suo regimine responderint praesentis Capituli autoritate extenditur »<sup>52</sup>. Et de facto capitulo sequenti eadem gratitudinis ratio Protoarchimandritae Heraclio Lisanskyj, e provincia Lithuana, applicata est et lex supra relata repetita<sup>53</sup>.

---

tum fieri solitarum solemnia, uti eaque deferre et gestare ac Missas aliasque functiones huiusmodi cum ficta Mitra solenniter celebrare libere et licite possit et valeat, cum hoc tamen, quod per infra scriptorum insignium huiusmodi concessionem nullum aliud jus vel privilegium intelligatur concessum, quin praeservata hinc inde remaneant jura quo ad praetensiones inter V. Fratrem nostrum modernum Archiepiscopum Kijovien. Ritus Graeci Nationis Ruthenae totius Russiae Metropolitanum ac Superiorem Gnr.lem vel alios Ord. et Congr.nis huiusmodi Monachos nunc et pro tempore respective existentes fortasse ortas et orituras Ap.lica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus ac plenam liberam et omnimodam facultatem et potestatem desuper impertimus »;

<sup>51</sup> Berest. 1751, c. 15.

<sup>52</sup> IBIDEM.

<sup>53</sup> Berest. 1759, c. 18.

2º. Item vi constitutionis, Protoarchimandritae officio functi, erant vocales perpetui, in sensu, substituti<sup>54</sup>.

3º. Vi autem privilegii specialis quidam Protoarchimandritae officio functi gaudebant titulo « Ex-Generalis » et usu pontificalium<sup>55</sup>.

<sup>54</sup> Cfr. vol. II, p. 70.

<sup>55</sup> Quod premium capitulum Torokanense 1780 illi per modum constitutionis in perpetuum addere voluit, cui tamen propositioni a SCPF adprobaturae Nuntius Apostolicus obstitit, prout ex eiusdem litteris ad SCPF constat: « Questa elezione mi ha recato sommo piacere essendo il P. Morgulec uno dei Monaci più distinti e riguardevoli del suo Ordine, sicchè par mi che non potrà trovarsi più degno successore del degnissimo P. Wazynski, che ora ha finito di essere Protoarchimandrita o sia Generale. Le sue virtù ed il suo merito singolare sono state dal Capitolo riconosciute in guisa, che ha risoluto di supplicare la S.ta di N.ro Signore e codesta Sag. Congr.ne, acciochè il sudetto P. Wazynski siegua etiam post decursum sui officii a goder dell'uso de Pontificali. Eletto mi rimette copia della Capitolare Costituzione concepita nei seguenti termini: — Ex reflexione Capituli Provincialis Unioviensis orta quaestio num supplicandum sit Sanctae Sedi, ut Protoarchimandrita quoties simplex monachus fuerit gaudeat usu Pontificalium etiam post decursum sui officii? Resolutum est pluralitate votorum affirmative, hoc praecauto, ut talis Ex-Protoarchimandrita nominetur Superior Ex-Generalis — Se si potesse aver certezza, che tutti i futuri Protoarchimandriti fossero per essere come il P. Wazynski la supplica del capitulo meriterebbe a mio debole giudizio di esser esaudita pienamente; ma quanto volentieri io unisco le mie preghiere a quelle di tutto l'Ordine Basiliano, affinché venga in tal guisa contraddistinto il presente Ex-Protoarchimandrita, il quale sospiro di veder collocato nella Cattedra Polocense, altre tanto mi muovo a desiderare, che la richiesta onorificenza debba esser sempre riserbata come una ricompensa a chi sopra merita la piuttosto che come un fregio di già annesso alla dignità sostenuta. Mi restringo pertanto ad assicurar V. E. che riguardo alla persona del prelodato P. Wazynski non solo sarà ben collocata la grazia, che si vuol chiedere, ma ancora che quelli merita di conseguirla senza ritardo ». Litterae Nuntii Ap. Vars. 1780 (27.IX); ASV, AR, N. V., v. 76, p. 395.

Revera ergo secundum iudicium Nuntii Apostolici decidit SCPF et petit a Romano Pontifice dictum privilegium pro solo Ex-Protoarchimandrita actuali: « Ex audientia SS.mi, habita die 10 Decembris 1780. Relatis per me infrascriptum SCPF Secretarium precibus Capituli gen. OSBM Cong. Ruth. in monasterio Torokaniae celebrati mensibus Augusti et Septembris proxime elapsis quod S. Sedem humillime supplicavit ut Protoarchimandritae, qui simplices monachi fuerint etiam dimisso officio retinere possint usum pontificalium, quo durante munere fruuntur ex Const. Ben. XIV « Rom. Pont. » 1751. — SS.mus D.nus Noster Pius Divina Providentia PP. VI, attentis singularibus meritis P. Porphyrii Skarbek-Wazynski, qui novissime munus Protoarchimandritae summa cum laude explevit, petitum interim privilegium eidem P. Porphyrio benigne concessit, retinendi nimirum, quoad vixerit, usum Pontificalium cum titulo Superioris Ex-Generalis, fore confidens Sanctitas Sua, ut ex huiusmodi Pontificiae largitatis actu caeteri quoque illius Successores incitamentum sumant, ut laudabili muneris adimplemento par ex Apostolica Sede privilegium et gratiam mereri satagant, quibuscumque... »; *Indulgentiae*, P. I, p. 49.

Hic erat quidem casus unicus in historia Ordinis Basiliani Rutheni, quia nemo postea Protoarchimandritarum munus suum per octenium sive morte sive ascensu ad dignitatem episcopalem impeditus explere potuit; privilegium tamen dictum promissum est a Romano Pontifice unicuique munere illo laudabiliter expleto.

## Art. 2.

### Iura Protoarchimandritae extra Ordinem Basilianum

Cum huiusmodi iurium evolutio atque circa eorundem existentiam quaestiones cyclum unicum constituent respectu Protoarchimandritae utriusque periodi, idcirco ita etiam eadem considerabimus.

I. - Ius fundamentale Protoarchimandritae Basiliani extra Ordinem erat, quod ipse unicus tantum in tota Ecclesia Ruthena Protoarchimandrita esse potuit. In decreto enim SCPF ex anno 1624, quo munus Protoarchimandritae formaliter, iuridice erigitur, hic dictus et agnitus est « *Generalis seu Protoarchimandrita totius Russiae* », seu unus tantum in tota Ecclesia Ruthena. Ita ergo hoc decretum interpretando eoque nisi seu fundati Protoarchimandritae Basiliani Congregationis SS. Trinitatis omni tentamini erigendi alteram Congregationem monachorum in Ecclesia Ruthena cum altero Protoarchimandrita sese opponebant illudque vi decreti illius impediabant, unam tantum Congregationem ex omnibus monachis « *totius Russiae* » constituendam cum uno Protoarchimandrita efficaciter contendebant. Itaque imprimis, uti supra vidimus Protoarchimandrita SS. Trinitatis protestante, Congregatio nova in dioecesi Leopoliensi anno 1711 erecta, a S. Sede approbationem nunquam obtenta est<sup>56</sup>. Ita etiam altera Congregatio Protectionis B. V. Mariae Ruthena seu Polona, vi decreti Synodi Zamostianae anno 1739 erecta, fine finium unam Congregationem cum illa Lithuana SS. Trinitatis constituere debuit, sub uno tantum communi « *Protoarchimandrita totius Ordinis* »<sup>57</sup>.

II. - Praeter ius Concilio oecumenico cum voto decisivo adesse vi iuris communis<sup>58</sup>, Protoarchimandritae Basiliano Rutheno vi iuris Ecclesiae Ruthenae ius erat etiam Synodo provinciali interesse. Quod imprimis patet e praxi, dum enim duabus huiusmodi Synodis celebratis etiam Protoarchimandrita participaret.

a) In actis Synodi provincialis Kobrynensis celebratae anno 1626 (6.IX), nomen Protoarchimandritae tunc actualis seu Raphaëlis Korsak, electi paulum antea, nempe in capitulo Lavryszivensi eodem anno, die 10.VIII, non enitet

<sup>56</sup> Cfr. vol. I, 76.

<sup>57</sup> Cfr. *ib.*, p. 81.

<sup>58</sup> Cfr. WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, t. II, ed. 2, p. 451, et auctores ab eo citatos in nota 41.

quidem, nisi sub generica denominatione «*Archimandritarum*»<sup>59</sup>; sed in eiusdem actis ius Protoarchimandritae Synodum ingrediendi expresse suppeditur, statuitur enim; «*Cum autem generalis Synodus Episcoporum celebrabitur, provisores istius Seminarii eligi debebunt, praesente Protoarchimandrita, cui dicti provisores parere atque omnia ex consilio et arbitrio illius agere et exequi debebunt. Protoarchimandrita autem in generali Synodo horum omnium rationem teneatur facere*»<sup>60</sup>.

b) Synodo autem Zamostianae anno 1720 celebratae Protoarchimandritam OSBM cum pluribus suis Religiosis interfuisse atque in eadem sicut Metropolitanam nomine Episcoporum et Cleri saecularis ex una, ita ex altera parte Protoarchimandritam nomine Cleri regularis seu Basilianorum ibi praesentium coram synodali Praeside Nuntio Ap. Vars. professionem fidei emisisse, ex actis clare et expresse constat<sup>61</sup>.

c) Quod denique etiam ex actibus praeparativis ad tertiam huiusmodi Synodum provincialem tempore illo celebrari intentam, nempe anno 1765, patet. Dum enim Romanus Pontifex Clemens XIII Praesidem futurae Synodi in brevi suo: «*Magno praecipuoque*» (15.VI.1765)<sup>62</sup>, imprimis Episcopis indicasset, statim etiam altero brevi eundem Protoarchimandritae, Provincialibus et Consultoribus OSBM manifestavit atque iisdem, ut Synodo participarent, commendavit<sup>63</sup>.

Quaestio solum remanet, haberetne Protoarchimandrita in huiusmodi Synodis provincialibus votum deliberativum?

Ex iure communi post-tridentino hoc iure non sunt gavisii Superiores maiores Religionum clericalium exemptarum, etiamsi huiusmodi Concilia ingredierentur<sup>64</sup>.

Quod tamen Protoarchimandritam Basilianum spectat, hic iure voti deliberativi in huiusmodi Conciliis videtur gravisus esse. Hoc imprimis clarum est quoad dictam Synodum convocari habendam anno 1765. Decreto animi SCPF eodem anno, die 12 Augusti emanato, statutum est «*Si degeneranno pertanto l'EE. VV. di decidere*»:

I. *Se nel Sinodo, di cui si tratta, oltre i Consultori Gnr.li e i Provinciali dell'Ordine Basiliano abbiano a intervenire anche i Consultori de Provinciali medesimi.*

II. *E posto, che debbono intervenire anche questi ultimi, se oltre il Protoarchimandrita abbiano a godere il voto definitivo tutti gli altri Religiosi intervenienti?»*

*Rescriptum. Ad I et II responsum fuit: Ad mentem, quae est, ut scribatur*

<sup>59</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 116. Metropolitana Rutzkyj, sub cuius praesidentia Synodus illa celebrata fuit, hoc ius Protoarchimandritae expresse adscribebat. In suis enim *Regulis Particularibus* clare enuntiat: «*In synodo Provinciali habebit liberam vocem post Episcopos*»; cap. 7, n. 2; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. I, p. 471-474; IDEM, *Epistolae J. V. Rutzkyj*, p. 339, Romae 1956.

<sup>60</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 117.

<sup>61</sup> *Syn. Zam.*, p. 14.

<sup>62</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. IV, p. 117; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 187-188.

<sup>63</sup> IBIDEM, p. 118.

<sup>64</sup> VERNZ-VIDAL, o. c., p. 568, 573.

*D. Nuncio juxta instructionem, in qua dicatur intervenire Synodo debere, praeter Abbates, Protoarchimandritam, Provinciales et Consultores Gnales; votum tamen definitivum competere tantum Protoarchimandritae et Abbatibus»<sup>65</sup>.*

Verumquidem decretum hoc fuit provisorium, ad casum datum, prout ex instructione memorata Nuntio missa patet<sup>66</sup>, sed ex altera parte facile admitti potest etiam hanc provisoriam resolutionem in exemplo Synodi Zamostianae fundatam fuisse. Quod denique Synodum Kobrynensem spectat, in eadem, ut vidimus, electioni synodali Protoarchimandrita praesens esse debere assertur seu eidem participare.

III. - Protoarchimandrita intrabat in electionem Metropolitae cum voce activa.

1<sup>o</sup>. Iam prima periodo, capitulo primo, in *Nexu* inter Metropolitam et noviter erectam Congregationem SS. Trinitatis anno 1617 inito, relatio maxime importantiae i. e. ad ipsos futuros Metropolitae ordinari coepit. In constitutione respectiva imprimis statutum est, ut Metropolita, cuius iurisdictio super Religione agnita est, habeat certas et ab ipsa Religione praescriptas regulas ab illo iuratas, ne scilicet eius superintendencia Religioni noceret. Ex hac fundamentali Metropolitam et Religionem Basilianam ordinatione sequebatur et requirebatur prout et requisitum est, ut in futuri sui superintendentis constitutione etiam Religio participaret. Revera in alia constitutione eiusdem capituli huic participationi ex parte Ordinis satisfieri conatum est per participationem in illius constitutione ipsius Protoarchimandritae nomine Religionis. In concreto autem huiusmodi participatio in hunc modum determinata est: «*Cum Ordini nostro multum intersit, ut habeamus Metropolitam vinculo stricto nobiscum coniuncto et qui Ordinem nostrum extendere voluisset, idcirco rem plane necessariam iudicamus, ut e medio nostrum sit electus, quod a S. Regia Maiestate, in cuius idem est collatione, procurari debet. Quia vero praedictum hisce temporibus facile adipisci nequit, sequentem modum Metropolitae nostro praesenti indicamus, ut vitae suae tempore quamprimum Episcopum aulicum, quem vocant Coadiutorem, habere curaret. Eligere autem hunc ille debet, consultis Protoarchimandrita et, qui cum eo erunt, Consultoribus, qua in re respectus haberi debet etiam Episcoporum, qui ex Ordine nostro erunt, atque huiusmodi coadiutoria sit cum iure successionis futurae in Metropoliam. Inde hic (Coadiutor) post mortem Metropolitae in possessionem capiet bona metropolitana ad se spectantia citra ullum impedimentum et Metropoliam succedet; procurandum erit eidem Episcopo aulico privilegium speciale, ut nempe administret post mortem Episcoporum omnes episcopatus*

<sup>65</sup> APF, Acta 1765, v. 135, f. 273; A. G. WELYKYJ, Acta, vol. IV, p. 218.

<sup>66</sup> «*Ma perché potrebbe accadere, che qualcuno degli intervenienti al Sinodo si credesse gravato di qualcuna delle presenti Resolutioni, V. S. in tal caso potrà fare un'espressa dichiarazione anche in iscritto, che le medesime resolutioni si sono prese per modo di provizione in vista dell'angustia del tempo per il solo caso presente, che la S. C. non intende per questo che vengano punto pregiudicate le ragioni di chiesia le quali potranno esaminarsi più maturamente in seguito, sentite tutte le Parti, per fissare una stabile regola per avvenire»;* Litterae SCPF ad Nuntium Ap. Vars. 14 aug. 1765; ASV, ARCH. N. VARS., vol. 107, nn.

*vacantes. Idem Episcopus coadiutor, antequam consecrabitur, obligari debet iuramento ad servanda eadem omnia, quod Metropolita iurabit et quod Protoarchimandrita adinspiciat* »<sup>67</sup>.

2°. Privilegia respectiva a Rege cura ipsius Metropolitae Rutskyj efflagitata sunt itemque Episcopus huiusmodi Coadiutor ipse primus Protoarchimandrita Ordinis, Raphaël Korsak, cum iure successionis anno 1632 a Metropolita Rutskyj assumptus est, sine dubio, spectata super allata ab eodem Metropolita acceptata conventionem, non absque consilio, ut in illa dicitur, ceterorum Consultorum Ordinis<sup>68</sup>.

In constitutione posteriorum Metropolitanarum sive modo allato sive per electionem Episcoporum Protoarchimandritae saepe participarunt aut, a participatione amoti, tamquam iure suo conscii, in quo sibi praeiudicatum fuisse censentes, protestabant.

3°. Itaque cum praedictus Metropolita Korsak Romae mortuus sit, eius Successor, secundum ius commune, a Romano Pontifice ipso Antonius Sielava, Archiepiscopus Polocensis, nominatus est<sup>69</sup>.

4°. Dein hoc instante: « Die 28 Aug. 1643 Congregatio censuit, si SS.mo placuerit, R.P.D. Metropolitae totius Russiae Rutheno Unito concedendam esse licentiam congregandi Synodum Archiepiscoporum, Episcoporum et Praelatorum, qui Metropolitae Russiae electioni intervenire solent, ad effectum eligendi personam idoneam eamque ab eodem R.P.D. Antonio Sanctitati Suae proponendam et petendam in suum Coadiutorem cum futura successione quale decreto fu approvato dal Pontefice »<sup>70</sup>.

Quod vero sub « Praelatis » intelliguntur tum Archimandritae tum Protoarchimandrita, patet ex aliis documentis eiusdem S. Congregationis, in quibus fit allusio ad illud et expresse iidem nominantur »<sup>71</sup>.

At Synodus praedicta non fuit convocata. « Dopo alcuni anni, cioè nel 1648, il Nunzio di Polonia si adoperò col Re acciochè nominasse Coadiutore del Metropolitanano un tal P. Simone, Monaco Basiliano, al quale per altro il Metropolitanano non volle dare il consenso, perchè egli voleva un altro soggetto. come infatti aveva designato il Vescovo di Pinsco, e nel 1652 fece istanza acciò che fosse ammesso per Coadiutore, asserendo concorrervi l'assenso di tutti i Vescovi Ruteni, ma la Cong.ne rescrisse, che il Coadiutore si elegesse onninamente nel Sinodo »<sup>72</sup>. Hinc erat, quod dictus Metropolita mortuus est sine successore immediato et Metropolia vacabat per decem annos (1655-1665).

5°. Anno denique 1664 elegerunt Episcopi novum Metropolitanam Gabrielem Kolanda, in qua tamen Protoarchimandrita non participabat, deerat enim, vacante scil. simul cum Metropolia etiam Protoarchimandria.

6°. Anno 1672 praedictus Metropolita assumpsit sibi cum privilegio Regis Poloniae Coadiutorem cum iure successionis Ciprianum Zochowskyj, sine

<sup>67</sup> Novogrodovicen. 1617, s. 4, n. 21; AS, t. XII, p. 12.

<sup>68</sup> Pro hac nominatione obtentum est decretum SCPP iam anno 1624 (7.VII); « *Istoria della nominazione ed elezione de Metropoliti*; APF, *Elezione del Metropolitanano 1748*, v. 102, f. 66 ss.; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. I, p. 23.

<sup>69</sup> IBIDEM.

<sup>70</sup> IBIDEM.

<sup>71</sup> APF, *Acta 1707*, v. 77, f. 352, relatum infra, p. ; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. II, p. 222.

<sup>72</sup> *Istoria...*, o. c.

tamen consensu vel electione Episcoporum <sup>73</sup>; qui, illo demortuo, eidem successit anno 1674.

7<sup>o</sup>. Hoc etiam demortuo anno 1693 novum Metropolitam Leonem Slubicz-Zalenskyj elegerunt soli Episcopi Varsaviae anno 1694 sine Protoarchimandrita, qui ob loci distantiam videtur illi non participasse <sup>74</sup>.

8<sup>o</sup>. Anno 1708 novus Metropolita Georgius Vynnykyj electus est item a solis Episcopis sine Protoarchimandrita, qui, ut Nuntius Ap. attestabat, praeiudicatum sibi in hoc fuisse protestabat: « Attese dunque le buone qualità e virtù di questo Prelato, dice Mons. Nunzio essere stata la sua elezione alla Metropolia applaudita universalmente da tutti, a riserva del Protoarchimandrita Gn.le de Monaci Basiliani, che stima essersi pregiudicato al suo preteso Ius d'intervenire e dare il voto in tale elettione, essergli però trovati mezzi per acquietarlo » <sup>75</sup>.

Revera Protoarchimandrita protestante coram Metropolita electo de suo iure, hic sese excusabat ignorantia legum particularium (non erat enim e Congregatione SS. Trinitatis, sed e laico, peracto brevi novitiatu Lavroviae, in Episcopum consecratus est; hinc acta est altera electio simul cum Protoarchimandrita, qua iterum idem in Metropolitam reelectus fuit <sup>76</sup>.

9<sup>o</sup>. Sequentem electionem Metropolitae, institutam anno 1714, in qua in Metropolitam Leo Kiszka electus fuit, ingressus est praeter Episcopos etiam Protoarchimandrita et duo Consultores generales OSBM; hi tamen ultimi non nomine suo, sed Episcoporum absentium; « nella seguente dell'anno 1714 nell'Istrumento dell'elezione si osservano sottoscritti il Protoarchimandrita e due Consultori Gn.li; ma questi due Consultori intervennero come Deputati dei due Vescovi di Luceoria e di Leopoli, e non già come semplici Consultori » <sup>77</sup>.

10<sup>o</sup>. Particularem tamen postulationem suorum iurium manifestavit Ordo Basilianus ante electionem Metropolitae Athanasii Szeptykyj, habita anno 1729, qua in controversia intervenire debuit ipse Romanus Pontifex. Causa enim postulationis huiusmodi Romam delata, SCPF consentiente, SS. mus ordinavit pro hac sola vice, ut ad electionem Metropolitani procedant soli Episcopi, reservando tamen Basilianis deductionem rationum suorum iurum; « e siccome l'Ordine Basiliano ha preteso di aver jus d'intervenire a simili elezioni e più particolarmente manifestò tale pretensione nella vacanza succeduta l'anno 1729, la medesima Cong.ne, coll'approvazione della S. S. di Benedetto XIII, ordinò al Nunzio Apostolico di dare la facoltà ai Vescovi Ruteni in nome della S. Sede, di poter procedere all'elezione di nuovo Metropolitano senza l'intervento di Protoarchimandrita e de Consultori, riservando però ad essi il diritto di dedurre sopra di ciò le loro ragioni » <sup>78</sup>.

<sup>73</sup> IBIDEM.

<sup>74</sup> Litterae SCPF ad Secretariam St. 1747 (11.VIII): IBIDEM, f. 10.

<sup>75</sup> APF, CG, 12.XI.1708, v. 78, f. 650; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. II, p. 255-257.

<sup>76</sup> N. PETROV, « Očerk Istoriji Baziljanskoho Ordena v byvšej Polsce », TKDA; 1970, t. IV, p. 401; KOIALOWICZ, *Istorija Baziljanskoho Ordena*; in *Chryst. Ctenije*, 1864.

<sup>77</sup> Litterae SCPF ad Secret. St. 1747 (11.III); APF, l. c.

<sup>78</sup> Litterae SCPF ad Secret. St. 1747 (11.III); l. c.

11°. Iterim in capitulo Dubnensi 1743, quo unio duarum Congregationum in unam peracta est et *Nexus* cum Metropolita initus, in eodem etiam quaestio interventus Protoarchimandritae aliorumque Basilianorum in electione Metropolitanae, hucusque sub lite pendens, praetermitti non potuit et conventum est: « *Rev. mus Protoarchimandrita cum pleno Venerabili Consultorio utriusque Provinciae intrabit cum votis in electionem tum Ill.mi Metropolitanam, tum Coadiutoris illius una cum Abbatibus* »<sup>79</sup>. *Nexum* hunc Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » in particulari non approbavit, nisi quaedam puncta; totum vero nisi in generali approbatione huius capituli: « *quemadmodum per praesentes nostras apostolicas literas approbamus et confirmamus tam capitulum generale, quam unionem, alternativam atque electionem Proto-Archimandritae, aliorumque Officialium, in eodem capitulo decretas et respective peractas* »<sup>80</sup>.

At in inquisitione theoretica super huiusmodi quaestione iuris vocis activae Protoarchimandritae et Basilianorum aliorum in electione Metropolitanae *Nexus* ille a decretali praedicta approbatus non esse censebatur: « La Santità Vostra nell'accennata Sua Decretale, colla quale approvò il sudetto Capitolo, nulla parla del *Nesso*, anzi giammai lo nomina; e ben vero però, che stabilisce due articoli, che sono compresi nel medesimo, ma nello stabilirli non fa menzione del *Nesso*. Il primo di tali articoli è, che il Generale subito dopo essere stato eletto debba giurare suo et totius Religionis nomine oboedientiam tum S. Sedi Apostolicae, tum Metropolitanae. L'altro, che morto Protoarchimandrita prima del capitolo generale il Consultore generale, che deve assumere il governo dell'Ordine, reget Religionem, certiorato prius Metropolitanano. Spetta pertanto a Vostra Santità di dichiarare se con ciò ha voluto anche approvare gli altri Punti del *Nesso*; e quello in particolare, che riguarda l'intervento del Generale e Consultori nella elezione del Metropolitanano; tanto più, che secondo l'avviso di Mons. Nunzio, tale è l'opinione e de' Vescovi e de' Monaci »<sup>81</sup>.

12°. Praedicta inquisitio theoretica incoepa est occasione electionis Metropolitanam habendae anno 1747, quam ingredi conabantur omnes Basiliani in praedicto *Nexu* enumerati. Attamen de facto cum speciali indulto pontificio eandem ingressus est cum voce activa e Basilianis solus Protoarchimandrita, et in qua die 19 Junii 1747 electus est Metropolitanus Florianus Hrebnyckij<sup>82</sup>.

13°. Tunc anno sequenti inquisitio theoretica super pluribus quaestionibus, electionem Metropolitanam Ruthenorum spectantibus, instituta est. Praecipuae illarum duae erant:

a) utrum Metropolitanam praedictam eligere possint Episcopi Rutheni, an potius ius sit soli Regi Poloniae illum nominandi et Romano Pontifici ad confirmandum proponendi?

b) An eidem participare possint Basiliani, nempe Protoarchimandrita, Archimandrita et Consultores generales?

Prima quaestio soluta est Brevi Benedicti XIV: « *Ad dissidia* », edito die

<sup>79</sup> *Nexus* 1743, n. 6.

<sup>80</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 145, § 7; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>81</sup> Relatio SCPF facta Benedicto XIV; l. c., f. 120 ss.

<sup>82</sup> Litterae Regis Poloniae ad electores 1747 (27.V); *IB.*, f. 50. Litterae Nuntii Ap. Vars. ad SCPF 1747 (10.VII); *IB.*, f. 48.



1 Aprilis 1748, quo declaratum est electionem Metropolitanam, ab Antistitibus Ruthenis fieri solitam, esse «*puram et sinceram propositionem eidem Poloniae Regi pro tempore existenti faciendam de eo, quem iidem Antistites eligentes digniorem reputant*» et Regi liberum esse, quem digniorem reputaverit, Romano Pontifici proponere<sup>83</sup>.

Alteram quaestionem S. Sedes auctoritate sua expresse solvere noluit. Implicite tamen etiam eandem eo solvit, quod in hac et posteriori electione Metropolitanatae e Basilianis soli Protoarchimandritae indultum speciale edidit ad huiusmodi electionem cum voce activa ingrediendi.

14<sup>o</sup>. Sequens constitutio Metropolitanam Philippi Wolodkowycz facta est per praeventivam nominationem eiusdem in Coadiutorem cum iure successionis et ita etiam iterum sequens Leonis Szeptyckyj, in qua nec Episcopi nec Protoarchimandrita participabant<sup>84</sup>.

15<sup>o</sup>. Hoc tamen praemature demortuo anno 1779 ventum est ad novam electionem Metropolitanam Jasonis Junosza Smogorzewskij, pro qua iterum Protoarchimandrita indultum speciale pontificium accepit<sup>85</sup>.

16<sup>o</sup>. Denique ultimus Metropolitanus Unitus Kievo-Halicensis, Theodosius Rostockyj, antea iam Coadiutor praecedentis nominatus, sine electione ad hanc dignitatem evectus est<sup>86</sup>.

Considerata ergo imprimis constitutione seu conventionem illa primi capituli periodi primae, dein serie electionum Metropolitanorum Ecclesiae Ruthenae, quibus saepe Protoarchimandritae Ordinis Basiliani participabant, denique ultima S. Sedis implicita solutione per indulti pontificii in casibus singularibus concessionem, dicendum est, ius huiusmodi vocis activae in electione Metropolitanatae in hac ultima solutione Protoarchimandritae Basiliano agnatum non fuisse, secus enim sensum non haberet indulti specialis concessio. At eo, quod indulta huiusmodi concedebantur, ratio illa, super qua prima illa constitutio capitularis fundata erat, ut scil. in constitutione illius, qui super Ordine potestate gaudebat, idem Ordo participaret, evidentem applicationem habuit, propter quam et Ordo praedictus ad ius huiusmodi adipiscendum et conservandum contendebat.

<sup>83</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 371; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum...*, vol. II, p. 111.

<sup>84</sup> J. PELESZ, *Geschichte der Union*, t. II, p. 498, de Philippo Feliciano Wolodkowycz (1762-1778) et p. 569 de Leone Szeptyckyj (1778-1779).

<sup>85</sup> «*Cum pro electione futuri Metropolitanam totius Russiae indici de more debeat Conventus Episcoporum Ruthenorum cumque constet in ultima Metropolitanatae vacatione ex speciali s. m. Benedicti XIV indulto locum inter eos habuisse cum iure suffragii P. Proto-Archimandritam OSBM, pro illa tamen vice tantum, S. Congregatio ad relationem R.P.D. Stephani Borgia Secretarii censuit concessionem praedictam ad hanc etiam vicem benigne extendendam esse, proindeque committendum Domino Nuncio Apostolico Regni Poloniae, ut moderno P. Protoarchimandritae cum praefatis Episcopis conveniendi et pro dicta electione suffragium ferendi jus et potestatem concedat, cum observationibus in altero indulto contentis. Datum Romae ex aedibus dictae D. Congregationis, die 17 Julii 1779. Quam S. Congregationis sententiam per eundem D. Secretarium SS.mo Domino Nostro Pio PP. VI relatam, in audientia habita die 18 Julii anni praedicti, Sanctitas Sua benigne approbavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Joseph Cardinalis Castelli, Praefectus (L. S.) Stephanus Borgia Secretarius*»; *Indulgentiales*, P. I, p. 38.

<sup>86</sup> PELESZ, o. c., t. II, p. 578.

IV. - Praeterea Protoarchimandrita Basilianus iure consilii relative consensus in promovendis Episcopis praestandi gaudebat.

1°. Primo capitulo quoad promovendos Episcopos sequens inita est conventio inter Metropolitam et Congregationem SS. Trinitatis: « *Modus connexionis nostrae cum Episcopis hic esse debet. Procurandum est privilegium apud regiam maiestatem, ne episcopatus viris saecularibus conferantur, sed viris tantum status religiosi, qui in Ordine per tempus aliquod notabile vixerint et a Metropolita testimonium vitae sanctitatis et dignitatis accepissent* »<sup>87</sup>. Verumquidem in hac constitutione nulla fit mentio alicuius participationis in eorundem promotione Ordinis, quae tamen subintelligitur, in quantum personae huiusmodi eligi debebant ex Ordine, cuius testimonium de candidati qualitatibus, dum recte procedi intenderetur, haud praetermitti potuisse.

2°. Cum tamen primi Metropolitae simul etiam Protoarchimandritae essent, idcirco huiusmodi Ordinis participatio non erat evidens. Sed iam in electione quarti Metropolitae-Protoarchimandritae necessitas huiusmodi Ordinis consilii ad rectum ordinem servandum sentiri coepit. In actis capituli Berestensis 1667 Nuntius Ap. admonebat: « *ut Illustrissimus Metropolita in rebus gravioribus Ordinis nihil agat inconsultis Episcopis et Consultoribus aliisque praestantioribus Religiosis, praesertim in promovendis personis ad episcopatus et praelaturas* »<sup>88</sup>.

3°. De participatione tamen huiusmodi, tamquam iure Protoarchimandritae, sermo esse potest nonnisi a momento, quo officium Protoarchimandritae transiit ad simplices monachos. Et revera iam post electionem primi Protoarchimandritae quadriennalis anno 1675 primum desiderium Ordinis ad Metropolitam erat: « *ne ad quaecumque officia (Metropolita) assumat personas, inconsulto Protoarchimandrita* »<sup>89</sup>.

4°. Expressum autem fundamentum iuris Protoarchimandritae ad consilium dandum in promotione Episcoporum positum est in *Nexu* ex anno 1686: « *Metropolita promovendos ad Episcopatus et alias dignitates advitales praesentaturus Sacrae Regiae Maiestati vel Collatoribus super qualitatibus promovendorum conferet cum Protoarchimandrita et Consultoribus* »<sup>90</sup>.

5°. Quae disciplina in casu particulari refertur etiam in SCPF, nempe occasione nominationis certi Patris Basiliani Cyrilli in Coadiutorem Episcopi Leopoliensis J. Szumlanskyj, huius Nepotis. In congregatione generali eiusdem Dicasterii anno 1707 (19.IX), inter alia referuntur: « L'esempio poi adottato per parte di Mons. Metropolita dice Mons. Segretario essere che nella Russia dal tempo di Clemente 8°, nel quale i Ruteni vennero all'Unione con la S. Chiesa Rom., sempre s'è praticato, che quando qualcheduno di quei Vescovi desidera avere il Coadiutore, lo conferisce prima al Metropolita, il quale ponderata e ben considerata la necessità di chi lo richiede, intima il Sinodo Provinciale, al quale intervengono tutti l'Arcivescovi, Vescovi, Archimandriti e Proto-Archimandriti con i Consultori o Definitori dell'Ordine di S. Basilio dove eleggono sogetto degno, esemplare e benemerito della S. Religione e poi lo

<sup>87</sup> Novogrodicen. 1617, s. 4, n. 22; o. c., p. 12.

<sup>88</sup> S. 3; o. c., p. 91.

<sup>89</sup> Zyrovicen. 1675, s. 3, n. 3; ib., p. 110.

<sup>90</sup> *Nexus* 1686, n. 11.

propongono unitamente coll'Istrumento dell'elezione a questa S. Congr. e supplicano per il medesimo acciò possa essere promosso Coadiutore, come si fa anco con Mons. Metropolita, quando vi è il bisogno di darli il Coadiutore, il che però fu detto intendersi, quando si tratta di Coadiutore cum futura successione, come pretendeva il sudetto Vescovo di Leopoli (Szumlanskyj).

In ordine a che si trovano in questo Archivio li seguenti decreti: 1) die 7 Julii 1624...; 2) die 28 Augusti 1643...; 3) die 6 Mai 1652...; (quae omnia tamen tractant de Coadiutoribus cum iure successionis Metropolitanarum).

Rescriptum. Quoad primam partem non indigere responsione (scil. quoad nominationem Coadiutorum Episcoporum).

Quo vero ad 2-dum, iterum scribatur D. N. pro informatione, iuxta folium instructionis ipsi transmittendum (quoad Coadiutores Metropolitanarum) »<sup>91</sup>.

6<sup>o</sup>. Anno 1728 emanatum est supra citatum Breve Benedicti XIII: « *Cum sicut* »<sup>92</sup>, vi cuius promovendi ad dignitatem episcopalem Basiliani consensum sub poena inhabilitatis ad eandem a Protoarchimandrita obtinere indigebant.

7<sup>o</sup>. Consentaneae ad quam constitutionem pontificiam compositum est respectivum punctum *Nexus* anno 1743: « *Promovendos ad aliquas dignitates scilicet Episcopatus et Abbatiarum, Protoarchimandrita cum Consultorio praesentabit personam qualitatibus dotatam Metropolitanano, qui non adventis impedimentis canonicis praesentabit Sacrae Regiae Majestati. Quodsi fuerit adinventum aliquod impedimentum in praesentato, novus Candidatus eligatur a R.mo Protoarchimandrita cum Consultorio et praesentabitur Metropolitanae* »<sup>93</sup>.

8<sup>o</sup>. Quae tamen disciplina hucusque introducta sive lege pontificia sive conventionibus, revocata est anno 1753 Brevi Benedicti XIV: « *Inclytum* » quo non tantum constitutio illa pontificia expresse revocata, verum etiam omnes huiusmodi conventiones, eo quod expresse disciplina iuris communis tantum applicanda praescripta est, vim suam amiserunt<sup>94</sup>.

V. - Idem Protoarchimandrita intrabat in Congressus s. d. Hierarchicos seu conferentias Episcoporum Ruthenorum.

Prima periodo famosus huiusmodi Congressus erat Lublinensis anno 1680 (24.I) peractus simul cum Hierarchia schismatica circa puncta communis concordiae et unionis, post quem brevi duae dioeceses scil. Peremysliensis 1692 et Leopoliensis 1700 ad unionem cum Sede Apostolica accesserunt. Quod autem eidem Congressui etiam Protoarchimandrita Basilianorum participabat, constat, ut alia omittamus, etiam e rationibus inductis a Nuntio Apostolico post Synodum Zamostianam in ordine ad praecedentiam illius super Abbatibus probandam<sup>95</sup>.

Periodo secunda ingressus Protoarchimandritae ad huiusmodi conferentias vim iuris accepit. Anno enim 1759 proposita est in SCPF quaestio: « *An ad Congressus seu actus Episcoporum, quos Hierarchicos vocant, in quibus*

<sup>91</sup> APF, *Acta 1707*, v. 77, f. 352; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. II, p. 223.

<sup>92</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 58.

<sup>93</sup> *Nexus 1743*, n. 8.

<sup>94</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 526; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 134 sq.

<sup>95</sup> APF, CP. 1728, v. 74, f. 16; cfr. supra, p. 67.

*interesse debent Abbates, vocari debeat etiam Protoarchimandrita. Ad 1-mum: affirmative »<sup>96</sup>.*

<sup>96</sup> *Bullae*, P. II, p. 122. Quae tamen resolutio data est ad instantiam Protoarchimandritae prout e specie facti in congregatione generali SCPF 1758 (20.II), quae substratum historicum quaestionis bene illustrat, constat: « Padre Eraclio Lisanski, Protoarchimandrita dell'Ordine di S. Basilio Magno, in un suo Memoriale presentato a questa S. Congreg. nel mese di novembre scorso espone l'aggravio che credeva essergli stato fatto dal Metropolitanò di Russia in occasione dell'adunanza de Vescovi del Rito Ruteno, che dal medesimo era stata intimata in Vladimirià. Poichè avendo chiamati all'adunanza sudetta anco gli Abbati dei Monasteri della Congregazione Rutena aveva tralasciato di chiamare esso Proto-Archimandrita, che è il Capo dell'Ordine Basiliano, e degli Abbati sudetti, contra l'antica consuetudine, e ciò che era stato praticato pochi anni prima in altro simile Congresso, tenuto in Vilna. In sequela di tal ricorso fu data incombenza dall'EE.VV. al Nunzio Ap. in Polonia di scrivere al Metropolitanò di Russia e d'intendere quali ragioni l'avessero mosso ad escludere il P. Proto-Archimandrita dalla mentovata adunanza di Vladimirià. Avendo Mons. Nunzio eseguiti gli ordini della S. C. con esporre al Metropolitanò i lamenti del P. Proto-Archimandrita e con esortarlo ad informarsi alla Costituzione Pontifica « *Super Familiam* », si ebbe in risposta una lettera che ha trasmessa originalmente e della quale questo in sostanza è il contenuto. Che non vi è alcuna Costituzione, la quale autorizzi il Proto-Archimandrita ad intervenire a questa sorte di Adunanze Gerarchiche del Clero Ruteno, come non vi è alcuna Bolla, o Decreto, che tolga a Metropolitanò la facultà di convocare gli Abbati, i quali per una consuetudine immemorabile, non mai riprovata dalla S. Sede, sono obbligati a norma del loro giuramento a comparire in qualunque luogo si trovino chiamati dal loro Metropolitanò; che se egli quatro anni prima aveva chiamato il P. Proto-Archimandrita al Congresso di Vilna, lo aveva fatto per dargli un contrassegno della sua stima e benevolenza e non già perchè fosse obbligato a ciò fare da alcun diritto, o costumanza; che finalmente doveva ricordarsi il P. Proto-Archimandrita quanto fosse riuscita gravosa e poco accetta la di lui presenza ai Vescovi della Provincia, congregati nell'adunanza di Vilna, e quante dispute e controversie eccitasse una tale novità, dimodoche sciolta l'assemblea con poco o niun profitto, egli medesimo aveva pubblicamente dimostrato il dispiacere, che aveva d'esservi intervenuto.

Udite da Mons. Nunzio le ragioni addotte dal Metropolitanò di Russia non ha mancato di comunicarle al P. Protoarchimandrita, il quale in risposta ha replicato ciò che segue, cioè che egli non sa comprendere con quali fondamenti il Metropolitanò chiami il Congresso di Vladimirià Gerarchico, e come pretenda anche su tale supposto, che il Protoarchimandrita non abbia diritto alcuno di intervenirevi Poichè se deve nominarsi Gerarchico, con ugual ragione dovrà darsi l'istessa denominazione all'Assemblea di Lublino, tenuta nel 1680, all'adunanza sinodale di Zamoscia, e a quella di Vilna, e finalmente a tutte le adunanze de Vescovi di quelle parti del tempo di Urbano VIII, sino al corrente giorno. Eppure è cosa certa e notoria, che a tutte queste adunanze sono stati sempre chiamati i Protoarchimandriti dell'Ordine Basiliano. Inoltre se il Metropolitanò ha creduto di dover chiamare gli Abbati dell'Ordine Basiliano al mentovano Congresso, qual ragione può avere di escludere dal medesimo il Protoarchimandrita, il quale per concessione della Santa Sede è Superiore degli Abbati medesimi e gode anche esso l'uso dei Pontificali? Anzi, siccome al Metropolitanò compete senza dubbio il gius di convocare i Vescovi della sua Provincia al Congresso del Clero Ruteno, non è egli ragionevole, che al Protoarchimandrita, dovendo intervenire gli Abbati al Congresso dei Vescovi, spetti di diritto di convocare gli Abbati medesimi in vigore della sua superiorità.

Posto dunque che il Congresso di Vladimirià abbia a chiamarsi Gerarchico, secondo che stima il Metropolitanò, domanda il Protoarchimandrita perchè nell'ordine della Gerarchia abbiano a computarsi gli Abbati a lui soggetti e non esso, che a norma della Decretale « *Super familiam* » è il loro Superiore

VI. - Etiam si in genere moniales Basilianae Ordini Basiliano seu Protoarchimandritae subiectae non erant, prout Synodus Zamostiana attestat: «*Monialium vero monasteria cum nulla in nostra Ecclesia a Regularibus regantur, ab Episcopis visitari, eisque plene subesse debeant*»<sup>97</sup>; aliquando tamen quoddam monasterium vi tabulae foundationis Protoarchimandritae subesse debebat, qui cumulativam cum Metropolita potestatem in idem exercebat.

Huiusmodi exemplum habetur in monasterio monialium Novogradensi: «*Die XI Augusti 1634. Fuit Congregatio particularis super confirmatione quorundam privilegiorum Ruthenis unitis a Rege Poloniae concessorum in Palatio Em.mi D. Card. Spadae, cui interfuerunt cum Em.tia Sua DD. Cardinales Pamphilius et Ginettus.*

In ea 1<sup>o</sup> relata erectione monasterii Novogradensis Monialium unitorum, facta a R.mo F. Josepho Metropolita Russiae anno 1630 apud ecclesiam Collegiatam SS. Martyrum Borysi et Hlebi nuncupatam, cum dote partim ex eleemosinis et largitionibus laycorum, partim ex bonis mensae Metropolitanae, ab ipso Metropolita donatis et simul eiusdem erectionis confirmatione per Regem Poloniae facta cum conditione, ut Moniales in Unione cum S.R.E. permaneant, obedientiam praestent Metropolitanae et Protoarchimandritae Generali Religionis Monachorum S. Basilii et post mortem modernae Priorissae praedictae Moniales Priorissam sibi eligant cum approbatione eorundem Praelatorum, Congregatio censuit, si SS.mo placuerit, erectionem praedictam cum iis, quae in regia confirmatione adduntur, auctoritate Apostolica esse confirmandam, cautelis tamen sequentibus, videlicet...

6<sup>o</sup> et postremo, ut in confirmatione Ap.lica nulla fiat mentio Regis Poloniae, nec eius confirmationis ita tamen, ut conditiones de permanendo in Unione cum Sede Apostolica, de obedientia Metropolitanae et Protoarchimandritae generali, per moniales praestanda, et de Priorissae electione cum eorundem Praelatorum approbatione, de quibus in dicta confirmatione dicitur, non praemittantur»<sup>98</sup>.

---

ed Abbate Generale. Finalmente, conclude il P. Protoarchimandrita, che questo fatto del Metropolitanano non solamente è contrario alla di lui convenienza e decoro, ma tende a diminuire la sua autorità sopra gli Abbati dell'Ordine, i quali non potranno che gloriarsene e concepire della distima per lui, come purtroppo hanno già fatto. Per lo che si propone all'alto intendimento dell'EE. VV. il risolvere... (APF, *Acta 1758*, v. 128, f. 137, n. 26; cfr. textum editum in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 117-119).

<sup>97</sup> S. 3, t. VI, p. 97.

<sup>98</sup> APF, *Acta 1634*, v. 10, f. 98 sg.; cfr. textum editum in A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. I, p. 143-145.

### CAPUT III.

#### DE OBLIGATIONIBUS PROTOARCHIMANDRITAE

##### PRIMA PERIODO.

- 1) ERGA ROMANUM PONTIFICEM.
- 2) ERGA METROPOLITAM ET EPISCOPOS.
- 3) ERGA CETERA REGIMINIS INSTITUTA.
- 4) ERGA TOTAM CONGREGATIONEM ET MONASTERIA.
- 5) ERGA SINGULOS MONACHOS.

##### SECUNDA PERIODO

- 1) ERGA ROMANUM PONTIFICEM.
- 2) ERGA METROPOLITAM ET EPISCOPOS.
- 3) ERGA CETERA REGIMINIS INSTITUTA.
- 4) ERGA TOTUM ORDINEM, PROVINCIAS ET MONASTERIA.
- 5) ERGA SINGULOS MONACHOS.



### CAPUT III.

#### DE OBLIGATIONIBUS PROTOARCHIMANDRITAE

Obligatio generalis cuiusque Superioris regularis consistit: « in munere ita obeundo, ut procuretur bonum Instituti et subditorum, bonum, inquam, istud quae ipsius congregationis est ratio. Quo officio Superior tenetur ex religione. Licet enim tacita promissio, quae suscepto munere continetur, per se ad justitiae virtutem referatur, hujus tamen in hac causa partes videtur explere altior virtus religionis, cujus impulsu omnia pene reguntur, quae ad religiosam attinet conversationem »<sup>1</sup>.

Obligationes vero peculiare omnibus Superioribus regularibus communes iure posttridentino ab auctoribus probatis ad sequentia contrahebantur:

1°. Professio fidei in munere assumendo, secundum Tridentinum s. 24, c. 12: de ref., et Const. Pii IV: « *Injunctum Nobis* » § 2, quae tamen ultima illam etiam Regularibus praecipiens secundum graves auctores usu non fuit recepta, quoad illos Praelatos regulares, qui a capitulis vel suis Superioribus, non vero a S. Sede Regularium regimini praeficiebantur<sup>2</sup>.

2°. Urgere lectionem decretorum tempore praescripto, secundum tenorem singulorum<sup>3</sup>.

3°. Visitatio domorum a Superioribus Ordinum, secundum Trident. s. 25, c. 20: de reg.

4°. Bonorum administratio et conservatio, secundum decreta pontificia: Pauli II 1468, Extrav. comm. *Ambitiosae* un. *De rebus ecclesiae non alienandis*<sup>4</sup>; Clementis VIII, 1594 (19.VI): « *Religiosae Congregationes* »<sup>5</sup>; Urbani VIII 1640 (16.X): « *Nuper a Congregatione* »<sup>6</sup>.

---

<sup>1</sup> VERMEESCH, *De Religiosis*, t. I, p. 263, n. 440.

<sup>2</sup> PIATO, *Praelectiones iuris regularis*, t. I, p. 631, s.n.l.

<sup>3</sup> IBIDEM, QQ. 790-95; VERMEESCH, *ibidem*, n. 444.

<sup>4</sup> VERMEESCH, t. II, *Monumenta*, n. 202.

<sup>5</sup> *ib.*, n. 71.

<sup>6</sup> *ib.*, n. 72.



5°. Missarum celebratio et stipendia suscipienda, secundum decreta S.C. Concilii 1625 (12.VI): « *Cum saepe* »<sup>7</sup>; Innocentii XII 1697 (23.XII): « *Nuper a Congregatione* »<sup>8</sup>.

6°. Urgere lectionem S. Scripturae vel casuum conscientiae bis in hebdomada, secundum constitutiones Clementis VIII 1599 (25.VI): « *Nullus omnino* »<sup>9</sup>; Urbani VIII (SCC) 1624 (21.IX): « *Sacra Congregatio* »<sup>10</sup>, qua illa confirmatur.

Quenam ex hisce et in quantum Protoarchimandritam Basilianorum ligarent suis locis videbimus, disponendo huius obligationes tam secundum decreta S. Sedis, quam constitutiones capitulares ordine iam recepto.

Notando tantum, imprimis professionis fidei a Protoarchimandrita emittendae in munere suscipiendo nullibi fieri mentionem, dato ut supra, quod neque in iure latino haec obligatio quoad omnes urgebatur. Hinc neque Synodus Zamostiana, dum alios Superiores ad huiusmodi fidei professionem ligaret, eandem Protoarchimandritae Basiliano imposuit<sup>11</sup>.

Item lectio decretorum S. Sedis in iure latino praescripta nullibi Basilianis imposita aut apud eosdem recepta animadvertitur.

Idem dicendum de lectione S. Scripturae vel casuum conscientiae.

Cetera vero, si iisdem applicantur, exceptis poenis applicata censi debent.

### Prima periodo.

#### I. ERGA ROMANUM PONTIFICEM.

A Protoarchimandrita imprimis fidelitas Romano Pontifici debebatur, quam ille simul cum ceteris Capitularibus tertio capitulo Ruthaensi 1623 speciali voto adpromisit, ad quod omnes Religiosi totius noviter constitutae Congregationis SS. Trinitatis emittendum sunt obligati et Protoarchimandrita in casu, quo aliquis id facere renuisset, a Superiore loci certior factus, consultis Consultoribus secundum communem decisionem casui obvenire debuit. Formula huiusmodi promissionis et eiusdem inscriptio in actis capitularibus sonabat: « *Iuramentum omnium, esse penes Papam...*

« *Ego N. promitto et iuro Domino Deo in Trinitate Uni in hac Congregatione nostra Ordinis Sancti Patris Basilii Magni in ritu graeco, in unione*

<sup>7</sup> IB., n. 206.

<sup>8</sup> IBIDEM.

<sup>9</sup> IBIDEM., n. 206.

<sup>10</sup> IB., n. 44.

<sup>11</sup> S. 3, t. I, p. 54.

*cum ecclesia romana ad mortem meam stabiliter in monasteriis sub regimine Protoarchimandritae nostri et oboedientia eius perseveraturum, et Ordini huic et ritui fidelem atque deditum me fore, sic me Dominus Deus adiuvet* »<sup>12</sup>.

An vero Protoarchimandrita praeter fidelitatem in explendis ordinibus S. Sedis ad recursum ad S. Sedem a Religiosis latinis ordinarie faciendum obligatus esset, non apparet. Duabus enim in rebus a Superioribus huiusmodi S. Sedes adiri debuit, nempe in bonis alienandis et Missarum oneribus contrahendis.

a) QUOAD PRIMUM SEU BONORUM ALIENATIONEM.

Verumquidem in congregatione SCPF, habita coram SS.mo, anno 1627 (21.V) propositio haec est facta: « Visum est, praeter alia hoc decernere scil.:

3<sup>o</sup>. Ne bona Ruthenorum ecclesiarum unitarum et a quovis, sive ecclesiastico sive layco, deinceps alienentur inconsulto Romano Pontifice, Breve expediendum esse, quo SS.mus Dominus noster bona praefata, quae nunc ad ecclesias spectant et ecclesiastici rutheni-uniti (sive saeculares sive regulares, sive in ordine episcopali constituti sive inferioris dignitatis aut conditionis existunt) pacifice possident, sub suo patrocinio et protectione suscipiat; mandetque in alienationibus faciendis observari Concilii Generalis Lugdunensis, sub Gregorio X decretum de rebus Ecclesiae non alienandis, quod insertum habetur in eo Concilio (can. 22) et in sexto Decretalium in decreto incipiente: Hoc consultissime, eodem titulo de rebus Ecclesiae non alienandis »<sup>13</sup>.

Sed Breve praedictum, expediri decisum, non est expeditum.

In documentis etiam Basilianorum propriis nullibi mentio invenitur recursus necessarii in bonis alienandis ad S. Sedem. E contra, in conventionem Ordinis cum Metropolita anno 1686 statutum punctum est vi cuius alienationes huiusmodi fieri debebant cum consensu Metropolitae: « *Emptiones, Venditiones, Arendae, Oppignorationes alijque sive acquisitivi, sive alienativi contractus praevio Metropolitae consensu fiant* »<sup>14</sup>.

Immo neque Synodus Zamostiana ad recursum ad S. Sedem in bonis ecclesiasticis alienandis obligavit, sed adhaerendo 12 canoni Concilii Nicaeni II, eadem alienare prohibuit<sup>15</sup>.

Cuius denique rei indicium clarum sunt constitutiones primorum capitulorum iam periodi secundae, in quibus in alienationibus consensus tantum

<sup>12</sup> AS, t. XII, p. 29, s. 6.

<sup>13</sup> DE MARTINIS, o. c., P. II, p. 34; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. I, p. 52-53.

<sup>14</sup> *Nexus 1686*, n. 11.

<sup>15</sup> « Bona Ecclesiarum quilibet vendere, oppignorare aut quoquo modo alienare non audeat vel suis possidenda relinquere et dividere haereditario quasi titulo sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et privationis Officii vel Beneficii. Si quae vero alienata sunt, ut recuperentur Ordinarii curent suumque ad hoc consilium ac patrocinium conferant »; S. 3, t. XIII, p. 113.

Protoarchimandritae, neque amplius Metropolitae, requisitus est usque ad capitulum Berestense 1751<sup>16</sup>.

Tunc denique in approbatione ultimo citati capituli SCPF in decreto ex anno 1752 (26.XI) prima vice recursum memoratum requisivit<sup>17</sup>.

Inde ergo patet usque ad hoc decretum Basilianos ad huiusmodi beneplacitum Apostolicum praevis obtinendum obligatos non fuisse.

#### b) QUOAD SECUNDUM, SEU MISSARUM ONERA REDUCENDA.

Iam in iure latino posttridentino dubium erat iuris, num Superiores Generales, potestate a Concilio Tridentino sibi concessa, in capitulis generalibus onera Missarum reducendi, posterioribus constitutionibus SCC: « *Cum saepe* » (1625, 12.VI), et Innocentii XII: « *Nuper* » (1697, 23.XII)<sup>18</sup> privati essent. Non pauci enim erant auctores, qui huiusmodi facultate Superiores praedictos adhuc gavisos esse affirmabant<sup>19</sup>.

In documentis Basilianis haec quaestio nec apparet nec a fortiori ex iisdem solvi potest. Unice tantum periodo iam secunda in collectione decretorum, quae ad Ordinem Basilianum referebantur, insertum est etiam praedictum decretum SCC<sup>20</sup>.

## II. ERGA METROPOLITAM ET EPISCOPOS.

Obligationes Protoarchimandritarum simplicium Religiosorum erga Metropolitam et Episcopos omnino correspondent horum iuribus, quae alibi exposuimus<sup>21</sup>.

<sup>16</sup> Constitutio respectiva primi capituli a Benedicto XIV approbati sonabat: « Combinationes amicales sive ratione fundi sive in causa aliquarum injuriam tam cum spiritualibus, quam cum saecularibus personis ne audeant RR. Patres Superiores monasteriorum facere sub nullitate actus, nisi praevis consensu Rev.mi Protoarchimandritae in scriptis obtento, qui Rev.mus, si sit minoris importantiae negotium, ipse et solus praestabit consensum, si autem erit negotium maioris importantiae, consentiet una cum consultorio » (Const. 13). Capitulis autem sequentibus Berestensibus 1747 et 1751, haec constitutio formata est in hunc modum: « Alienationes, permutationes fundorum sive levationes summarum, itidem combinationes respicientes vel sapientes alienationem aliquam, non fiant a Superioribus sine scitu R.mi Generalis; Vindicationes tamen injuriarum monasteriis factarum, ne per dilationem actionis Causa monasterii aliquod patiatur praevudicium, possunt fieri sine praevis consensu et scitu Protoarchimandritae ».

<sup>17</sup> « Dubium 15. Ex eadem sessione Numero 13. An de consensu Protoarchimandritae possent monasteria suos fundos permutare seu alienare? Resolutio ad decimum quintum: Non posse sine beneplacito Apostolico »; *Bullae...*, P. II, p. 85. Cfr. A. G. WELYKYJ, *Congreg. Particulares*, vol. II, Romae 1957.

<sup>18</sup> VERMEERSCH, o. c. t. II, n. 206.

<sup>19</sup> PIATO, o. c., t. I, Q. 817, 9<sup>o</sup>, n. 6.

<sup>20</sup> *Indulgentiae*, P. I, p. 72 ss.

<sup>21</sup> Vol. I, p. 155-186 et 195-6.

## III. ERGA CAPITULUM GENERALE.

Coram capitulo generali tamquam suprema potestate interna Ordinis Protoarchimandrita erat responsabilis eidemque rationem villicationis suae, si hanc illud requireret, reddere tenebatur. Quae autem constitutio expresse lata est in capitulo Novogrodensi 1717, ubi et ab actuali ex-Protoarchimandrita requisita est<sup>22</sup>.

Communiter autem et ordinarie capitulum executioni Protoarchimandritae diversa commissa mandabat: uti:

a) de novis foundationibus pertractationes earumque receptio, quae ultima formaliter in solius erat capituli potestate<sup>23</sup>;

b) bonorum<sup>24</sup>, legatorum<sup>25</sup>, debitorum<sup>26</sup>, summarum<sup>27</sup>, vindicatio;

c) contractuum conclusio<sup>28</sup>;

d) causarum actio<sup>29</sup>;

e) desideria, praetensiones monasteriorum capitulo praesentata eius decisioni mandantur<sup>30</sup>;

f) responsa ad litteras capitulo admissa eidem committuntur<sup>31</sup>;

g) causae monasteriorum in capitulo decisae eiusdem executioni mandantur<sup>32</sup>;

h) nomine Congregationis legationes explere debet<sup>33</sup>;

i) negotia apud S. Sedem a capitulo sibi commissa promovere debet<sup>34</sup>;

<sup>22</sup> « Sess. quinta . Punct. 3: Ven. Adm. Rev. P. Basilius Procewicz ex-Protoarchimandrita, Ordinis Consultor, tenebitur reddere calculum ex omnibus proventibus et praesertim ex derelictis post fata Patrum coram Commissariis ab Ill.mo Praeside designandis; in posterum autem perpetuis temporibus quilibet Protoarchimandrita reddet rationem villicationis suae in Capitulo Generali coram Ill.mo Metropolitanano aut coram Commissariis ab eo designatis »; APF, CP, 1775, v. 120, f. 90.

<sup>23</sup> Bilen. 1709, s. 3, n. 4, l. c., p. 158; *IBIDEM*, s. 5, n. 3, p. 160; Zyrovicen. 1629, s. 2, n. 11; *IB.*, p. 34; Novogroden. 1703, s. 2, n. 11; *IB.*, p. 145.

<sup>24</sup> Bytenien. 1698, s. 9, n. 3; *IB.*, p. 143; Bilen. 1709, s. 8; *IB.*, p. 166.

<sup>25</sup> Zyrovicen. 1629, s. 1, n. 3; *IB.*, p. 33; Bilen. 1709, s. 8; *IB.*, p. 166.

<sup>26</sup> Zyrovicen. 1629, s. 2, n. 7; *IB.*, p. 33.

<sup>27</sup> Bytenien. 1698, s. 6, n. 2, 5; *IB.*, p. 141.

<sup>28</sup> Zyrovicen. 1629, s. 2, n. 4; *IB.*, p. 33.

<sup>29</sup> Zyrovicen. 1694, s. 3, n. 6; *IB.*, p. 133.

<sup>30</sup> Zyrovicen. 1675, s. 4; *IB.*, p. 112.

<sup>31</sup> Zyrovicen. 1694, s. 2, n. 5; *IB.*, p. 133.

<sup>32</sup> Zyrovicen. 1675, s. 4; *IB.*, p. 112.

<sup>33</sup> Bilen. 1709, o. c., n. 4; *IB.*, p. 167.

<sup>34</sup> Bilen 1709, s. 8, n. 4; *IB.*, p. 164; s. 9; *IB.*, p. 166, n. 7.

## IV. ERGA CONSULTORES GENERALES.

A Consultoribus generalibus Protoarchimandrita in negotiis Congregationis consilium, immo in rebus gravioribus consensum exquirere debuit. Huiusmodi autem consensus requirebatur.

1) - In constitutione extracapitulari Consultoris generalis, quem Protoarchimandrita cum ceteris Consultoribus generalibus eligere debuit. Quod vero planum est tam in constitutionibus generalibus primi capituli<sup>35</sup> quam s. d. *Constitutionibus Recognitis*.

Idem in casu ascensus Consultoris ad dignitatem cum eius officio incompatibilem<sup>36</sup>. Electionis vero necessitate ratio consensus in iure evidentissime exprimitur.

2) - In nominandis Superioribus localibus temporalibus — quadriennialibus. Quod quidem e constitutionibus nec primi capituli, nec *Recognitis* effluit, in quibus quidem consilium Consultorum urgetur necessarium, non vero eorundem consensus. « *Superiores pro omni monasterio eligere et designare debet Protoarchimandrita consultis de hoc Consultoribus generalibus* »<sup>37</sup> et in *Constitutionibus Recognitis*: « Praesidem ad unum quodque monasterium deliget assignabitque Protoarchimandrita, collata re cum patribus Consultoribus generalibus, observato *Nexu* »<sup>38</sup>.

In capitulo tamen Minscensi 1690 inter puncta ab horum inquisitoribus redacta et inter constitutiones capitulares inserta primum sonabat: « *Ut Protoarchimandrita neminem Superiorum per monasteria constituat ... sine consilio et consensu Consultorum ... alias factum sit irritum et nullum* »<sup>39</sup>. At sequenti capitulo Zyrovicensi 1694 Protoarchimandrita hortatur: « *Ne Protoarchimandrita constituat, neque deponat Superiores sine consilio Consultorum sub nullitate actus* »<sup>40</sup>. Quod quidem punctum consensus Consultorum generalium non facit mentionem, at evidenter ad punctum capituli praecedentis alludit. Hinc saltem a capitulo Minscensi 1690 etiam consensus Consultorum generalium in (nominandis) designandis Superioribus localibus quadriennialibus requirebatur.

<sup>35</sup> In primo capitulo constitutum est: « Si autem aliquis eorum vita fungatur, tunc Protoarchimandrita ipse (scil. sine capitulo) cum his tribus reliquis eliget sibi quartum, donec solita adveniat congregatio omnium praesidium et legatorum monasteriorum »; S. 3, n. 15; *IB.*, p. 11.

<sup>36</sup> Cfr. p. ...

<sup>37</sup> S. 3, n. 16; *IB.*

<sup>38</sup> *CR.*, c. VII; *IB.*, p. 172.

<sup>39</sup> S. 4, n. 1; *IB.*, p. 129.

<sup>40</sup> S. 6, n. 1, 3<sup>o</sup>; *IB.*, p. 134.

3) - In praedicto capitulo Minscensi 1690 consilium et consensus Consultorum generalium expresse etiam ad omnes res maioris momenti requisitus est <sup>41</sup>.

Res vero graves capitulum intelligit imprimis bonorum alienationes, summarum levationes, ad quas iam antea saepe consilium Consultorum urgebatur <sup>42</sup>; dein candidatorum ad dignitates promovendorum praesentationem, quam Protoarchimandrita iam vi *Nexus* cum Consultoribus peragere debuit <sup>43</sup>.

4) - Inde autem ab anno 1728 in huiusmodi promotionibus Protoarchimandrita consensum nomine Ordinis praebere non potuit, nisi consentientibus etiam Consultoribus et quidem vi constitutionis Apostolicae, ita, ut horum maiori parte non consentiente, neque Protoarchimandrita suum consensum praebere potuisset. Quod sequitur imprimis e constitutione pontificia ipsa, dein ex eiusdem interpretatione facta a Benedicto XIV et denique ex ipsis actis huiusmodi consensus praestiti. In constitutione enim respectiva praeter consensum personalem Protoarchimandritae requiritur etiam Ordinis <sup>44</sup>. Cum vero extra capitulum Ordinem repraesentaret Ordinis officium seu Protoarchimandrita cum Consultoribus generalibus, ideoque secundum allatam constitutionem Consultores iidem in eodem consensu praebendo participare debebant.

Idem confirmat interpretatio eiusdem constitutionis facta a Benedicto XIV in Brevi illam revocante <sup>45</sup>.

Denique idem patet ex ipsis authenticis hac in re ab officio Ordinis editis. Non invenimus quidem huiusmodi authentica e periodo prima, habemus tamen ex initio periodae secundae, quo adhuc constitutio illa in vigore erat <sup>46</sup>.

<sup>41</sup> Citata enim constitutio completa sonabat: « Ut Protoarchimandrita neminem Superiorum per monasteria constituat et nullam rem gravem sine consilio et consensu Consultorum audeat determinare, alias factum sit irritum et nullum ».

<sup>42</sup> Cfr. e. g. Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 3; *ib.*, 76.

<sup>43</sup> *Nexus* 1686, n. 11.

<sup>44</sup> « Qui sine expresso Superioris generalis seu Protoarchimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus, archimandrias aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles, auctoritate apostolica, tenore praesentium, declaramus »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411 (Benedictus XIII, 1728, 16.XII); cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 58-59.

<sup>45</sup> « Ac prima, quidem, quod monachi ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias promoveri cupientes praeter illas, quas prius apud eos, qui ius nominandi habebant, ut nominarentur adhibebant partes et officia, novis quoque partibus et officiis apud Superiores Ordinis contendunt »; Benedictus XIV: « *Inchlytum* » 1753, 12.IV; DE MARTINIS, o. c., p. I, v. III, p. 526; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 134 sq.

<sup>46</sup> En exemplum: « Polycarpus Mihuniewicz, Ordinis Divi Basilii Magni Congregationis Ruthenorum Proto-Archimandrita cum Consultorio, Venerabili et admodum R.do in Christo Patri Ambrosio Turgarinski, Provinciae Ruthenae professo Presbytero salutem in Domino. Cum aequitas et justitia postulent, ut

Cum Consultoribus Protoarchimandrita saltem quotannis semel consultationem tenere debuit <sup>47</sup>.

## V. ERGA PRAESIDES LOCALES (SIVE ARCHIMANDRITAS SIVE SUPERIORES SIMPLICES).

Cum enim etiam Archimandritae sub suo regimine communitates religiosas et monasteria tenerent, sub respectu eiusdem regiminis cum eis eodem modo ac cum simplicibus Superioribus Protoarchimandrita saepe conferre debebat: « *Cum eis (Praesidibus monasteriorum) saepius conferet de omnibus* » <sup>48</sup>. Eisdem informare debebat de personis in eorum monasteria admitendis <sup>49</sup>.

## VI. ERGA TOTAM CONGREGATIONEM ET MONASTERIA.

### A. ERGA TOTAM CONGREGATIONEM.

Reassumptum obligationum Protoarchimandritae erga totam Congregationem expressum est ipsa prima constitutione de eius officio lata: « *Quamvis autem Metropolita supremus sit futurus Religionis nostrae moderator,*

---

ii quos merita, et religiosae dotes, ac qualitates distinguunt praemiis Religioni nostrae desuper concessis decorentur, et ornentur, talesque dotes, ac qualitates in persona Venerabilis, et Reverendae Paternitatis Vestrae elucere non ignoremus. Hinc est, quod eidem Venerabili ac R. Paternitati Vestrae ut vacantem aliquam in Ritu nostro Praelaturam, Episcopatum scilicet vel Abbatiam, intra limites suae Provinciae per Ill.mum, Excellentissimum ac Reverendissimum Dominum Archi-Episcopum Metropolitanum totius Russiae Patronum nostrum colendissimum, secundum *Nexum* in ultimo capitulo nostro initum et a S. Sede approbatum promoveri valeat, consensum nostrum dandum et concedendum esse duximus, prout quidem per praesentes (spe certa freti, quod Venerabilis et R. da Paternitas Vestra circa quamvis sui promotionem se Religiosum esse recordabitur, debitaque Religionem suam prosequetur gratitudine) damus et concedimus. In maiorem autem fidem easdem manibus nostris subscribimus. Dabantur Dubnae, 18 diei 8bris, 1745 Anno. (L.S.), Polybarpus Mihuniewicz, Ord. S.B.M. Protoarchimandrita. — Hypatius Bilinski, Ord. S.B.M. Provincialis per Russiam. — Nicanor Ulinski, Ord. S.B.M. Proto-Consultor Generalis, Rector Collegij Vladimiriensis. — Ambrosius Seredowicz, Ord. S. Basilii Magni, Consultor Generalis, Rector Collegij Hoscensis, Superior Horodiscensis. — Hieronimus Kamczyc, Ord. S. Basilii M., Consultor Generalis, Monasterii Luceoriensis Confraternitatis Hegumenus. — Silvester Ardecki, Ord. S. Basilii M., Secretarius Generalis ex Provincia Ruthena»; APF, *Ospizio dei Ruteni Pascolo*, v. I, 1639-1800, f. nn.

<sup>47</sup> « Punctum septimum continet, ut Reverendus Pater Protoarchimandrita ad meliorem ordinem, ad bonum et disciplinam religiosam tutius conservanda vel adaugenda semel quotannis consultationem generalem cum suis Consultoribus generalibus ac uno Secretario teneat, qui illi in memoriam revocabunt aut eundem certiore reddent circa omnia, quod ad bonum regimen conferet, aut, si opus esset, humiliter admonebunt»; *Observanda*, c. 5, n. 2; o. c., p. 180.

<sup>48</sup> Lavrysziv. 1626, n. 7; o. c., p. 32.

<sup>49</sup> Zyrovicen. 1629, s. 2, n. 10; *ib.*, p. 34.

*unum tamen de medio nostrum omnino habere volumus, qui bonum internum Religionis nostrae administret et curet, nullo alio implicatus munere nisi hoc uno, ut omnia monasteria nostra visitando obeat attendatque ad bonum ordinem tam in Praesidibus, quam in aliis fratribus, tum in proventibus monasteriorum, omnibus demum iis invigilet, quae conservando atque augendo bono Religionis nostrae inserviunt. Huic administro nomen erit Protoarchimandrita »<sup>50</sup>.*

Quod autem bonum Religionis — secundum Tridentinum — principaliter in disciplinae regularis observantia tam per vota Ordinis propria, quam per « praecepta ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam, victum et vestitum conservanda pertinentia » consistit. Hinc: « omnisque cura et diligentia a Superioribus adhibeatur, tam in capitulis generalibus et provincialibus, quam in eorum visitationibus, quae suis temporibus facere non praetermittant, ut ab illis non recedatur »<sup>51</sup>.

Ex quo ergo patet, inter media ad huiusmodi curam et diligentiam de bono Ordinis praedicto obtinendo tam Tridentinum omnibus Superioribus, quam supra allatam constitutionem Basilianorum Protoarchimandritae in specie extra tempus capitulorum medium efficacissimum indicasse visitationem canonicam.

### 1) - Visitatio canonica.

Praeter caput citatum, Tridentinum alibi etiam hanc Superioribus Ordinum, Episcopis non subiectorum, ex officio peragendam praecepit<sup>52</sup>.

Ad normam ergo Tridentini etiam constitutiones Basilianorum magnum momentum visitationi tribuebant et Protoarchimandritae, propterea, quod periodo prima utrumque munus scil. Generalis et Provincialis in eius officio comprehendebatur, illam peragendam saepe inculcabant, necessitatem eius indicabant et valorem eiusdem ad disciplinam conservandam ostendebant<sup>53</sup>.

<sup>50</sup> S. 2, n. 10; o. c., p. 10. Similiter Metropolita Rutskyj in suis *Regulis Particularibus*: « Continua eius erit cogitatio de augendo bono Religionis et quidquid ei hac in re in mentem venerit, id notabit suoque tempore cum Patribus sibi additis super eo consulat »; cap. 6, n. 3; cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, p. 339.

<sup>51</sup> S. 25, c. 1: de reg.

<sup>52</sup> « Abbates, qui sunt Ordinum capita, ac ceteri praedictorum Ordinum Superiores, Episcopis non subiecti, quibus est in alia inferiora monasteria, prioratusve legitima iurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria, et prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex officio visitent, etiamsi commendata existant »; S. 25, c. 20, de reg.

<sup>53</sup> Novogrod. 1617, s. 2, n. 10; *IB.*, p. 10; *IBIDEM*, nn. 17, 18, p. 11, 12; Lavrysziv. 1621; *IB.*, p. 20, 24; Lavrysziv. 1626, n. 8; *IB.*, p. 32; Vilnen. 1650, s. 5; *IB.*, p. 47; Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 1; *IB.*, p. 76; Zyrovicen. 1671, s. 6; *IB.*, p. 105; Novogroden. 1686, *Nexus*, n. 6; *IB.*, p. 123; CR, c. VIII; *IB.*, p. 172; *Observanda*, c. 3, n. VIII; *IB.*, p. 179; Bytenien. 1698, s. 5, n. 4, *IB.*, p. 139.



Qua etiam de causa, ut cetera omittamus, statim capitulo secundo, cum Metropolita et Protoarchimandrita Rutskyj praedictae obligationi satisfacere non potuisset, eidem Vicarius Generalis electus est, qui praesertim huic obligationi satisfaceret<sup>54</sup>.

1<sup>o</sup> Obligatio eiusmodi visitationis instituendae ligabat per se Protoarchimandritam, hic tamen eandem vi constitutionum capitularium aut pro semper alicui a capitulo stabiliter ad hoc designato aut in casu singulari, exceptionaliter alteri cuicumque, qui tamen secundum mentem constitutionum Consultor generalis praeferrere debuit, committere potuit.

In praxi autem, dum Protoarchimandritae essent Metropolitanae vel Episcopi, Visitator stabilis in persona Vicarii Generalis a capitulo eligebatur. Itaque, prout supra vidimus, erat sub Metropolita Rutskyj.

Sub Metropolita et Protoarchimandrita Sielava mentio in capitulis fit Visitatoris ab ipso Protoarchimandrita determinandi<sup>55</sup>.

Sub sequentibus Protoarchimandritis, scil. Episcopo J. Susza et Metropolita G. Kolenda, uti antea sub Metropolita Rutskyj, Visitatores stabiles in persona Vicarii Generalis a capitulo eligebantur<sup>56</sup>.

Hic tamen ultimus sicut et postea Protoarchimandritae quadriennales ipsi per se ordinarie eandem peragere tenebantur, excepto casu impossibilitatis. Quod enim Vicarios Generales spectat, in constitutione supra citata statuitur, ut « *in persona sua* » monasteria visitet, quoad vero Protoarchimandritas quadriennales sequens constitutio lata est: « *Curet, quantum potest, cognoscere conscientias subditorum sibi, eorum praesertim, qui Superiores sunt, aut majora officia gerunt, maxime in visitando monasteria ipsemet in persona sua, cum poterit, aut per alios, quos certus esset operi eiusmodi satisfacturos. Hi tamen Visitatores, si quid in monasterio quopiam statuunt, valorem non obtinebit, (nisi) id Protoarchimandrita confirmet* »<sup>57</sup>.

<sup>54</sup> « Quia hucusque Illustrissimus Protoarchimandrita ad onus, quod perfectam et completam de fratribus per omnia monasteria curam et visitationem spectat, impotens erat, idcirco in fine congregationis nostrae, Deo adiuvente, omniumque communi sententia in Vicarium generalem Illustrissimi Joannem Dubowicz ad quatuor annos elegimus, qui quotannis unumquodque monasterium in persona sua visitare debet et in unoquoque curare, ut omnes regulae et constitutiones, item praesentis congregationis litterae ad effectum et executionem deducantur; denique eandem visitationem suam secundum instructionem a nobis descriptam peragere debet »; Lavrysziv. 1621, *ib.* p. 24.

<sup>55</sup> « Concedendo Illustrissimo Protoarchimandritae hanc facultatem, ut ipse aut ex hisce quatuor Consultoribus aut aliquem alium idoneum ex exigentia rei et commoditate quotannis in visitationem monasteriorum mandet »; Vilnen. 1650, s. 5, *ib.*, p. 47.

<sup>56</sup> Zyrovicen. 1661, s. 5; *ib.*, p. 68; Berestense, 1667, s. 3; *ib.*, p. 90; Novogrodense 1674, s. 8; *ib.*, p. 106.

<sup>57</sup> *Observanda*, c. 3, n. VIII; *ib.*, 179. Personalem Protoarchimandritae visitationem intendebat iam Metropolita Rutskyj in suis *Regulis Particularibus*: « Visitabit per semet ipsum omnia sui iuris monasteria ibique demorabitur, ubi maior exigerit necessitas, quodsi ob gravia quaequam momenta ipse adire loca omnia non possit, consociatis consiliis cum Patribus Consultoribus mittet alium, loca tamen in quibus existit Novitiatus scholae Religiosorum ipsemet per se diligenter visitabit »; cap. 8, n. 1; cfr. in A. G. WELJKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, p. 340.

Denique pro monasteriis longe a corpore Congregationis dissitis specialis stabilis Visitator etiam sub Protoarchimandritis quadriennialibus a capitulo constituebatur<sup>58</sup>.

2° Visitatio huiusmodi, uti ex dictis patet, semel quotannis instituenda erat; quae vero norma inde a capitulo primo recepta (in Tridentino enim tempus huiusmodi non determinatur; « *suis temporibus* » s. 25 c. 1: de reg.) a posterioribus conservata est<sup>59</sup>.

Quod autem tempus visitationis in singulis monasteriis spectat, norma lata est in capitulo Zyrovicensi 1671: « *Visitationes Vicarius generalis vel per se vel per alios ad hoc munus assignatos in monasteriis, principalioribus intra spatium quatuor hebdomadarum expedire debet, in minoribus monasteriis visitatio dexteritati et conscientiae committitur* »<sup>60</sup>.

3° Expensa denique visitationis ipsa monasteria visitanda sustinere tenebantur<sup>61</sup>.

4° Visitationi huiusmodi Protoarchimandritae etiam simplices Religiosi subiacebant, omnia monasteria in Congregatione SS. Trinitatis unita sive simplicia sive archimandritalia. Quod tamen haec ultima spectat, etiam distinctione facta inter Archimandritas, quos periodo prima potestate propria Protoarchimandrita simplex Religiosus aut Vicarius Generalis visitare non potuit, et eorundem archimandrias; has vacante sede metropolitana et protoarchimandritali initio Vicarius Generalis seu Provincialis cum potestate Protoarchimandritae non visitabat, nisi ab anno 1658, quo eidem super illis (archimandriis) potestas agnita est<sup>62</sup>. Inde tamen a *Nexu* 1686 quoad visitationem archimandriarum etiam episcopalium norma clara lata est, nempe eas visitat Protoarchimandrita, qui tamen ad ultimo memoratas i.e. episcopales litteras expeditorias a Metropolita accipere debuit<sup>63</sup>.

5° Obiectum visitationis canonicae in singulis monasteriis erat status personarum et rerum. Id constat iam e relatione, quam Superiores Protoarchimandritae mittere tenebantur, si casu hic monasteria eorum visitare nequisset<sup>64</sup>.

<sup>58</sup> « Ut in Volynia praeter Protoarchimandritam constituatur vice-Provincialis, qui quotannis visitationis et regiminis illorum monasteriorum strictam rationem Protoarchimandritae reddat »; Bytenien. 1698, s. 5, n. 3; *ib.*, p. 139.

<sup>59</sup> Vilnen. 1650; *ib.*, p. 47.

<sup>60</sup> S. 6; *ib.*, p. 105.

<sup>61</sup> Cfr. supra p. 71.

<sup>62</sup> S. 5; *ib.*, p. 58.

<sup>63</sup> *Nexus* 1686, n. 6.

<sup>64</sup> « Singuli Praesides quolibet anno, eo praesertim, quod ob graviora impedimenta non posset aliquod monasterium visitare Protoarchimandrita, per litteras ei significabunt de statu rerum fratrumque successibus, tam spiritualibus, quam temporalibus; item quae Ecclesia Dei fructum percipiat ex quolibet monasterio et an non difficultates quaspiam patiatur ac impedimenta »; CR. c. XXVIII; *ib.*, p. 174. Cfr. etiam totum caput 9-num e *Regulis Particularibus* Metropolitanae Rutskyj: « *De ratione agendi cum Fratribus in visitatione* »; cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, Romae 1956, p. 341-342.

a) Hinc ad visitatorem pertinebat excessivos iudicare et punire<sup>65</sup>. Immo ipsos Superiores culpabiles punire<sup>66</sup>.

b) Quod autem statum rerum spectat, Visitatoris erat imprimis calculum acceptorum et expensarum lustrare. In instructione Visitatori praescripta dicitur: «*ut ... in expensas et accepta monasteriorum inspiciat*»<sup>67</sup>, et alibi: «*Idem (Vicarius generalis) debet et tenebitur monasteria quotannis visitare et acceptis inventariis calculum a Superioribus audire*»<sup>68</sup>; item alibi: «*Ut visitationes quotannis peragantur et in iisdem calculum a Superioribus fiat proventuum monasteriorum*»<sup>69</sup>.

Idem: «*Visitator ... diligenter inquirere debet de depositis et summis patrum et fratrum, ut usus proprietatis paupertati contrarius amoveatur*»<sup>70</sup>.

Praeterea post *Nexum* 1686 ius et officium Protoarchimandritae erat ecclesias parochiales Basilianis concreditas visitare rationemque circa casus matrimoniales aliosque in iure praescriptos Metropolitae reddere<sup>71</sup>.

2) - Sed etiam extra visitationem canonicam Protoarchimandrita observantiae regulari attendere debuit et praesertim quoad excessivorum punitio- nem. Ultima verba Metropolitae Rutskyj ad Basilianos instauratos prolata, quae capitula generalia notarunt quaeque uti corrolarium praedicti decreti Tridentini habenda sunt, proprie hanc obligationem Protoarchimandritae tangebant: «*In fine inculcabat nobis instantissime diligentissimam observantiam trium votorum commendando, ut Protoarchimandrita, si ipse per se, pluribus implicatus negotiis, id inspicere non potuisset, tunc per Vicarium suum seu Visitatorem illud ad effectum deducat et singulatim et ante omnia, ut excessivi puniantur atque saepius admoniti, si non corrigantur, ex Ordine eiciantur, secundum illud Salvatoris nostri: Si manus tua scandalizat te etc.*»<sup>72</sup>.

Defectui visitationis obvenire debuit relatio Superiorum, ut supra, de statu personarum et rerum<sup>73</sup>.

<sup>65</sup> «*Ut praesentes excessivi et incorrigibiles puniantur, absentes vero Visitator ab Illustrissimo Domino Patre Protoarchimandrita missus iudicet et puniat, in rebus tamen gravioribus cum Illustrissimo Protoarchimandrita conferat*»; Vilnen. 1650, s. 6, n. 2, o. c., p. 47.

<sup>66</sup> «*Idem (Visitator) in Superiore monasterii alicuius culpam animadvertens, eundem sine mora punire debet, ubi autem (ille) ad Dominum Patrem Protoarchimandritam appellare voluisset in re non aequa, idem non est admit- tendus, sed agere agenda, praetendenti tamen iniuriam forum liberum ad Dominum Patrem Protoarchimandritam pateat*»; Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 1; *ib.*, p. 76.

<sup>67</sup> Lavrysziven. 1621; *ib.*, p. 25.

<sup>68</sup> Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 1; *ib.*, 76.

<sup>69</sup> Novogr. 1703, s. 11, n. 4; *ib.*, p. 153.

<sup>70</sup> Vilnen. 1650, s. 6, n. 5; *ib.*, p. 48.

<sup>71</sup> *Nexus*, n. 6.

<sup>72</sup> Vinen. 1636, s. 16; *ib.*, p. 46, item p. 42, s. 13.

<sup>73</sup> CR, c. XXVIII; *ib.*, p. 174.

3) - Praeterea ad idem bonum Congregationis Protoarchimandrita conspire debuit per curam:

1<sup>o</sup>. De notitiatu. Praeter, quod eius erat ad novitiatum candidados admittere <sup>74</sup>, ipsius etiam curae erat sustentationi novitiatu providere; idcirco in quibusdam capitulis vidimus eum quaestionem proposuisse de huiusmodi provisione, uti in cap. Zyrovicen. 1679 <sup>75</sup>. Communiter autem capitula eidem ipsi, ut sustentationi novitiatu provideat, comittebant, e bonis eiusdem provisioni concessis <sup>76</sup>.

2<sup>o</sup>. De studiis. Iam Metropolita Rutskyj Protoarchimandritae curam de scholis ad vitam monasticam praeparatoriis inculcabat <sup>76a</sup>. Praeterea idem Metropolita 22 loca pro studentibus Basilianis in diversis alumnatibus pontificii Europae occidentalis ab Urbano VIII procuravit. Hinc Protoarchimandritae erat alumnos Basilianos ad alumnatu extra Ordinem mittere eorumque viatico, secundum capitulares decisiones, e bonis suis vel aliorum monasteriorum providere <sup>77</sup>.

Item eidem initio saeculi 18 committitur, ut studia saltem philosophica in ipso Ordine locum habeant <sup>78</sup>.

3<sup>o</sup>. Idem curam habere debuit de bibliothecis <sup>79</sup>.

<sup>74</sup> Lavrysziven. 1621; *ib.*, p. 20.

<sup>75</sup> « Postea ipse Reverendissimus Pater Protoarchimandrita quaestionem proposuit, undenam novitiatu provideri deberet... Hinc concorditer statutum est hoc subsidium, ut (nempe) unumquodque monasterium pro cento aureorum proventuum suorum septem aureos contribuat »; S. 6; *ib.*, p. 119.

<sup>76</sup> Zyrovicen. 1675, s. 4; *ib.*, p. 111; 74, s. 9. *Nexus 1686*, n. 10; Zyrovicen. 1694, s. 3, n. 4; *ib.*, 133.

<sup>76a</sup> « Diligens adhibebit studium ut nostri scholam studiumque habeant bene ordinatum, numeroque studentium confertum capaxque, Fratrum etiam aetatis infimae atque legere modo scribereque sciant, quibus communis religiosus elargiendum est vestitus, absque capitiis tamen, modusque vivendi ac exercitiorum praescribendus diversus ab aliis, qui vel vota praestiterunt, vel ad ea sese in Noviciatu comparant, Magistri eis providendi ejusmodi, qui cum literis vita quoque religiosa eos imbuant, simulque cantum ecclesiasticum ac ceremonias edoceant, cumque notabiliter in literis profecerint atque ita ut idoneos sese reddant, alioribus adeundis scholis, tum ad Noviciatum transferentur, quo exacto ad vota religiosa admittentur ad alcioresque mittentur scholas, aut ad alias religiosas occupationes applicabuntur »; R. P., cap. 4, n. 1; cfr. textum editum in A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, Romae 1956, p. 336.

<sup>77</sup> « Pro residentia (Protoarchimandritae) monasterium Berezwezcense et Wierzbilow designatum est, e quorum proventibus Reverendissimus Protoarchimandrita viaticum providere debet pro mittendis et revocandis fratribus ad studia »; Minscen. 1690, s. 5, *ib.*..., p. 130. Alibi vero: « Provisio Protoarchimandritae pro mittendis ad studia propterea quod ex tenuitate proventuum Berezwezcensium currere et sufficere non potest, idcirco quod de computatis a commissariis redditibus monasteriorum, in commodum horum non erogatis, remanebit, cedere debet pro mittendis ad studia »; Novogroden. 103, s. 16, n. 4, *ib.*, 156.

<sup>78</sup> « Ut studia philosophica in Ordine incipiant, de quorum loco et mediis consulat cum Ill.<sup>mo</sup> Metropolitanano Reverendissimus Protoarchimandrita et consultorium venerabile »; Novogrodense 1703, s. 11, n. 4, p. 153.

<sup>79</sup> Lavrysziven 1621; *ib.*, p. 25; CR, c. XXXII; *ib.*, p. 175.

4) - Extra Ordinem vero Protoarchimandritae erat eundem defendere et propagare, coramve auctoritatibus civilibus et ecclesiasticis repraesentare<sup>80</sup>. Hoc etiam erat, quod constitutiones inter qualitates Protoarchimandritae requirebant<sup>81</sup>.

5) - Denique Protoarchimandrita promovere et dirigere debuit actionem totius Congregationis secundum primitivam huius destinationem, imprimis ad conservandam et propagandam Unionem totius Ecclesiae Ruthenae — Hierarchiae ductu — cum Sede Apostolica et ad eiusdem Ecclesiae progressum usque ad statum florescentem<sup>82</sup>. Hinc erat:

1°. Quod capitula generalia Protoarchimandritae committebant in visitationibus canonicis inquirere non tantum de regulari observantia in unoquoque monasterio, verum etiam « *quem Ecclesia Dei fructum percipiat ex quolibet monasterio et an non difficultates quaspiam patiat ac impedimenta* »<sup>83</sup>;

2°. Eiusdem curae tam capitula generalia, quam immo etiam Synodi provinciales Seminaria pro candidatis ad clerum dioecesanum praeparandis gerenda committunt. In capitulo Lavrysziviensi 1626 Religio Basiliana, inspirante Metropolita Rutzkyj, summam ad Seminarium Minscense erigendum, scilicet octavam partem suorum e singulis monasteriis proventuum, solvendam per quadriennium promisit<sup>84</sup>. Eodem adhuc anno, Synodo provinciali Kobrynensi celebrata, eadem summa ab Ordine Basiliano confirmata est, immo totum monasterium Minscense cum suis bonis ad hunc scopum remissum est atque eadem Congregatio: « *Praeceptores latinos ad Rhetoricam usque ex nunc ad eiusmodi magistros, qui idiomate ruthenico disciplinas sacerdotali ordini apprime necessarias tradant, promisit* »<sup>85</sup>.

Protoarchimandritae autem commissa est ab eadem Synodo cura de directione eiusdem Seminarii<sup>86</sup>. Revera Seminarium praedictum apertum et directum est a Basilianis prout e respectivis capitulis constat<sup>87</sup>.

<sup>80</sup> Cfr. Berest. 1667, s. 2; *ib.*, p. 89.

<sup>81</sup> « In rebus exterioribus ea quoque consideranda sunt, quae ipsi auctoritatem non tantum apud viros religiosos concilient, sed et apud saeculares, scilicet clarum genus, quantum fieri potest, maxime vero tamen respicienda in eo est vita exemplaris, doctrina et amplitudo ad peragenda negotia studiumque boni Religionis »; *Observanda*, c. 1, n. VII; *ib.*, p. 176.

<sup>82</sup> Cfr. vol. I, p. 62.

<sup>83</sup> Lavrysziv. 1626, n. 8, 9<sup>o</sup>; *ib.*, p. 32; CR, c. XXVIII; *ib.*, p. 174.

<sup>84</sup> N. 3; *ib.*, p. 31.

<sup>85</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. 1, p. 117; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. I, p. 471.

<sup>86</sup> « Cum autem generalis Synodus Episcoporum celebrabitur, provisores istius Seminarii eligi debebunt, praesente Protoarchimandrita, cui dicti provisores parere, atque omnia ex consilio et arbitrio illius agere et exequi debebunt. Protoarchimandrita autem in generali Synodo horum omnium rationem teneatur facere »; *IBIDEM*.

<sup>87</sup> Minscen. 1652, s. 6, n. 3-4; *ib.*, p. 52; Berest. 1667, s. 1; *ib.*, p. 86. Quod

3°. Praeterea Protoarchimandrita, uti constitutionum capitularium executor, educationi iuventutis, cui capitula providebant, attendere debuit. Quae autem duplicem in concreto accipiebat formam.

a) Aut ipsi Basiliani scholas ad huiusmodi iuventutem Ritus Rutheni educandam aperiebant eique incumbabant ipsi, uti capitulo primo constitutum est de schola Minscensi et Novogrodensi<sup>88</sup>, quarum adhuc capitulo Berestensi 1667 fit mentio<sup>89</sup>, posterius vero famosum collegium Volodymyriense erectum fuit<sup>90</sup>.

b) Aut modo, qui iam capitulo Lavryszivensi 1621 propositus est, « *ut nempe in omnibus monasteriis nostris in civitatibus, quibus Collegia studentium existunt, unus sit pater noster, qui curam haberet de studentibus ruthenis, quibuscum diebus festis, praesertim loco aliquo monasterii, studeret spiritualem cum iisdem habere conversationem. Eiusdem invigilare erit, ut omni die festo Missae cum modestia intersint et quolibet mense atque diebus sollempnibus ad confessionem accedant et communicent* »<sup>91</sup>.

4°. In genere denique ad eundem scopum i. e. conspirandi ad communem utilitatem tam Congregationis Basilianae, quam totius Ecclesiae Ruthenae unitae, sicut et Unionis propagandae Protoarchimandrita vi *Nexus* ex anno 1686 suppeditare debuit Metropolitae et Hierarchiae Ruthenae « *Operarios dignos pro Synodis Dioecesanis, iuvandae curae pastorali et sublevandis laboribus eius* »<sup>92</sup> atque: « *Confessarium Theologum et alios lateri suo assistentes necessarios, quos requireret Metropolita (et Episcopi) providere obligabitur Protoarchimandrita debitis qualitatibus pro eiusmodi muneribus praeditos* »<sup>93</sup>.

## B. ERGA SINGULA MONASTERIA.

Praeter visitationem canonicam, quae communi utilitati inservire debebat, scilicet totius Congregationis et singulorum monasteriorum, quod haec ultima spectat, Protoarchimandrita tenebatur:

revera in effectum deductum est, prout e capitulo Bilensi 1709 constat; « *ut studia philosophica et minora Zyroviciis continentur* »; s. 6, n. 2; *ib.*, p. 161.

<sup>88</sup> S. 8, n. 34; *ib.*, p. 15. Metropolita vero Rutskyj hoc generaliter concipiebat, dum Protoarchimandritae inculcasset: « *Curabit etiam, ut pro docendis quoque iuvenibus saecularibus in locis aptioribus terrarum Russiae erigantur scholae, in quibus diligenter bonoque ordine doceantur tam literae liberales quam pietas christiana* »; R. P., cap. 4, n. 6; cfr. A. G. WĚLYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, p. 337.

<sup>89</sup> S. 1; *ib.*, p. 86 et s. 2, p. 88-9.

<sup>90</sup> Bilense 1709, s. 8, n. 6; *ib.* 164.

<sup>91</sup> Lavryszivense 1621; *ib.*, p. 21.

<sup>92</sup> *Nexus* 1686, n. 7.

<sup>93</sup> *IBIDEM*, n. 17.

- 1) - Clausuram in singulis obsignare de eaque observanda inquirere<sup>94</sup>;
- 2) - Ordinem diurnum in unoquoque praescribere<sup>95</sup>;
- 3) - Patrimonia fratrum respectivis monasteriis applicare<sup>96</sup>;
- 4) - Eius attentionis erat vigilare, ne bona monasteriorum alienentur, summae eorundem leventur, novae fabricae struantur, in quibus omnibus Superiores eorundem licentiam a Protoarchimandrita petere tenebantur<sup>97</sup>;
- 5) - Personas per monasteria, servata horum proportione, distribuere<sup>98</sup>;
- 6) - Instructionem de victu et vestitu singulis praescribere<sup>99</sup>;
- 7) - In maioribus monasteriis zelatores designare<sup>100</sup>;
- 8) - In singulis, ritus, ceremoniarum ecclesiasticarum, itemque vestitus religiosus uniformitatem observandam curare<sup>101</sup>;
- 9) - Superioribus eorundem inquisitores designare<sup>102</sup>;
- 10) - Contributiones singulis monasteriis, servata eorundem proportione inter se, et relatione habita ad singulorum expensas proventusque, imponere; hinc librum habere debuit acceptorum-expensarum omnium monasteriorum, secundum quem contributiones pro bono communi determinaret<sup>103</sup>.

## VII. ERGA SINGULOS RELIGIOSOS.

- 1) - Praeter examen in visitatione canonica cum unoquoque Religioso peragendum, quae erat praecipua erga singulos Protoarchimandritae obligatio, idem debuit etiam sequentia praestare.
- 2) - Singulorum indoli et exigentiis attendere tam in distribuendis officiis, quam in singulorum per monasteria dispositione<sup>104</sup>;
- 3) - « *Curet, quantum potest, cognoscere conscientias subjectorum sibi* »<sup>105</sup>;

<sup>94</sup> Lavrysziven. 1621; *IB.*, p. 25.

<sup>95</sup> *IBIDEM*, p. 19, 15; *CR*, c. XIV; *IB.*, p. 173.

<sup>96</sup> Lavrysziven. 1621; *IB.*, p. 26.

<sup>97</sup> *Cfr. supra* p. . .

<sup>98</sup> Lavrysziven. 1621; *IB.*, p. 25.

<sup>99</sup> *IBIDEM*, p. 25; Novogroden. 1703, s. 11, n. 3; *IB.*, p. 152.

<sup>100</sup> Lavrysziven. 1621, p. 26.

<sup>101</sup> *IBIDEM*, p. 23, 25.

<sup>102</sup> *IBIDEM*, p. 25.

<sup>103</sup> « Statuum denique est, ut prima monasteriorum nostrorum secutura visitatione ab ipso Protoarchimandrita, aut Visitatore ab ipso misso, facienda sit taxa, omnium cujusque monasteriorum proventuum, inscribaturque libro singulari, ad id praeparato, secundum quam praecipiat provisio pro necessitatibus boni communis ». *IBIDEM*, p. 23; 25; *CR*, c. XXXI; *IB.*, p. 174.

<sup>104</sup> « *Observanda* », c. 3, n. 11; *IB.*, p. 179.

<sup>105</sup> *IB.*, n. VIII.

4) - « *Catalogum prae oculis appendet ... personarum omnium, quae in quolibet monasterio sint, qualis quis sit, non tantum professorum, sed etiam novitiorum. Qui catalogus quotannis permutabitur...* »<sup>106</sup>;

5) - In particulari quoad studentes:

a) neminem ante professionem ad studia mittere<sup>107</sup>;

b) cum studentibus in alienis alumnatibus degentibus crebrem communicationem epistolarem habere<sup>108</sup>;

c) sed praesertim cum eorundem alumnatuum Rectoribus saepe communicare<sup>109</sup>;

d) iuvenes e studiis reversos ne statim ad superioratus applicaret, sed nonnisi expletis ab iisdem aliis officiis, i. e. sive docendo<sup>110</sup>, sive praedicando<sup>111</sup>, quae constitutio<sup>112</sup>, speciale momentum et applicationem periodo secunda obtinuit.

### Secunda periodo.

Differentia quoad obligationes Protoarchimandritae inter primam et secundam periodum consistit non tantum in eo, quod plures obligationes Protoarchimandritae secunda periodo in officium Provincialium, quod peculiare nunc erectum est, transierunt, verum etiam in eo, quod ex novis provinciis novisque institutis erectis, novae obligationes illius enatae sunt, quae vero praeterea, uti in genere de institutis iuridicis hac periodo dicendum est magis determinatae magisque specificatae sunt.

In concreto vero, divisionem receptam sequendo, Protoarchimandritae obligationes hac periodo erant:

## I. ERGA ROMANUM PONTIFICEM ET SS. CONGREGATIONES.

1) - Sanctae Sedi Protoarchimandrita imprimis oboedientiam omnimodam debebatur, quam ille peculiariter et expresse in assumendo suo officio iurare tenebatur, uti alibi expositum est<sup>113</sup>.

<sup>106</sup> *IB.*, c. 5, n. III; *IB.*, p. 180.

<sup>107</sup> *Lavrysziv.* 162L; *IB.*, p. 26.

<sup>108</sup> *IBIDEM.*

<sup>109</sup> *Novogrodense* 1703, s. 12, n. 4, p. 153.

<sup>110</sup> *Vilnen.* 1636, s. 1; *IB.*, p. 37.

<sup>111</sup> *Bythenien.* 1698, s. 5, 5<sup>o</sup>; *IB.*, p. 140.

<sup>112</sup> *Cfr.* vol. II, p. 115.

<sup>113</sup> *Cfr.* vol. II, p. 132 ss.



2) - Inde vero ad anno 1752 Protoarchimandrita in bonis monasteriorum alienandis ad Sanctam Sedem recurrere tenebatur<sup>114</sup>. Qua de causa locorum distantiae obveniendō Pius VI Nuntio Ap. Vars. facultatem concessit tribuendi Protoarchimandritae licentiam ad huiusmodi alienationes peragendas, prout e tenore rescripti constat<sup>115</sup>.

3) - In genere Protoarchimandrita huiusmodi recursus ad S. Sedem facere tenebatur, quoties in casibus particularibus dispensationis opus erat sive in constitutionibus apostolicis sive in constitutionibus capitularibus a S. Sede approbatis. Itaque persaepe ratio huiusmodi dispensationis occurebat in commutando loco pro capitulis generalibus designato<sup>116</sup>, atque transferenda vocalitate ex uno ad aliud monasterium<sup>117</sup>; in monasterio residentiali mutando<sup>118</sup>.

Ut nec officii eius, neque eiusdem in potestate esset extra capitulum generale recursum ad eandem S. Sedem in dubiis motu proprio super legibus aut rebus Congregationem tangentibus movendis facere et per Procuratorem resolvenda curare voluit itaque constituit capitulum Berenstense 1772. Sacra tamen Congregatio de P.F. in decreto idem capitulum adprobante constitutionem praedictam mutavit: « *Protoarchimandritam super regulis et rebus ad statum Congregationis spectantibus posse recurrere ad S. Congregationem etiam extra Capitulum dummodo id faciat de consensu sui Consultorii, nec non Provincialium* »<sup>119</sup>.

II. ERGA METROPOLITANUM ET EPISCOPOS Protoarchimandrita obligationibus ligabatur, quae iuribus illorum supra expositis<sup>120</sup> correspondebant.

<sup>114</sup> Cfr. supra p. 94.

<sup>115</sup> « Ex Audientia SS.mi, habita die 27 Julii 1777: SS.mus Dominus Noster Divina Providentia Pius PP. VI, referente me infrascripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, preces P. Porphyrii Skarbek Wazyński O. S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum Proto-Archimandritae ob peculiare circumstantias benigne concessit R.P.D. Archiepiscopo Chalcedonen., Apostolico in Polonia Nuncio, ejusque futuris in eadem Nunciatura successoribus, facultatem tribuendi P. Proto-Archimandritae ipsius Ordinis pro tempore licentiam, vendendi, et commutandi in melius tam fundos, resque immobiles, quam etiam mobiles monasteriorum sui Ordinis, dummodo tamen in praefatis alienationibus accedat consilium Consultorii Generalis et justae gravesque causae concurrant, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus dictae S. Congregationis, die et anno quibus supra. Stephanus Borgia Secretarius (L. S.) »; *Indulgentiae*, P. I, p. 33.

<sup>116</sup> *Decretum SCPF 1752* (26.XI), 5<sup>o</sup>; *Bullae*, P. II, p. 82.

<sup>117</sup> *Decretum SCPF 1759* (30.IV), 2<sup>o</sup>; ib., p. 124; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 132 sg.

<sup>118</sup> Dubnen. 1743, c. 12; Berest. 1747, 1751, c. 12; 1759, c. 15; 1772, c. 16.

<sup>119</sup> Cfr. supra p. 57.

<sup>120</sup> Cfr. vol. I, p. 180-194, et 196-198.

## III. ERGA CAPITULA.

## A. ERGA CAPITULUM GENERALE.

1) - Protoarchimandrita a capitulo electus vi voti oboedientiae officium hoc accipere tenebatur. Quod expresse asseritur a capitulo Zydyczynensi 1788<sup>121</sup>.

2) - Commissa sibi a capitulo explere debuit<sup>122</sup>.

3) - Officii sui turno elabente Protoarchimandrita debuit:

a) Capitulum generale convocare, in eiusque convocatione omnia, quae praescripta sunt, observare<sup>124</sup>;

b) Coram ipso capitulo vi *Nexus* ex anno 1743 rationem reddere tenebatur:

1<sup>o</sup>. De depositione Superioris localis<sup>125</sup>.

2<sup>o</sup>. De delicto alicuius Religiosi, qui ad Metropolitanam a Protoarchimandrita recurrit<sup>126</sup>.

c) Ante electionem denique novi Protoarchimandritae in eodem capitulo officium suum deponere<sup>127</sup>.

<sup>121</sup> « Ex quibus (suffragiis) patuit unico scrutinio ad vota ferme omnium Patrum in Protoarchimandritam totius Congregationis canonicè electum Perillustrem Rev.mum Dominum Porphyrium Skarbek Wazynski, Abbatem Zydyczynensem; qua electione per scrutatores publicata etsi fortiter repugnantem, Patres suis precibus et obligatione voti obedientiae ad acceptandum onus hocce inclinarunt »; Cap. Zydyczynen. 1788, s. 14.

<sup>122</sup> Uti e. g.: « Peracto constitutionum negotio Patres eligendo R.mo Proto-Archimandritae commendatum voluerunt, ut det operam Romae... 2do, (pro impetrandis indulgentiis)... 3tio, pro impetranda Superioribus localibus facultate absolvendi quascumque Christi fideles a casibus S. Sedi reservatis; 4to, pro impetranda sibi facultate eos ad gradum Doctoratus promovendi, qui tradendis Theologicis disciplinis per octennium laudabilem operam impenderunt; 5to, (pro impetranda licentia permittendi lectionem librorum prohibitorum) »; Berest. 1772, s. 5.

<sup>124</sup> Cfr. vol. II, p. 52 ss.

<sup>125</sup> « Ubi vero degradandus esse censeretur Superior per Generalem et Consultorium plenum ob damna illata vel excessus notabiles, degradetur; in Capitulo tamen generali respondere tenebitur Protoarchimandrita »; n. 13.

<sup>126</sup> « Si aliquis Religiosorum censuerit se esse gravatum a Provinciali, sive Vicario Generali suae Provinciae, ad quem immediate recurrere debet, recurrat ad Generalem. Quodsi etiam ab ipso Proto-Archimandrita seu Generali gravetur, recurrat ad Ill.mum Metropolitanum, qui Ill.mus Metropolitanus praemonebit Proto-Archimandritam, ut abstineat a gravamine usque ad Capitulum Generale, redditurus in eo rationem. Haec vero intelligantur de gravamine notorio per injunctas geminatas paenitentias »; *IBIDEM*.

<sup>127</sup> « Omnia officia antiquorum Officialium scilicet Protoarchimandritae... deponentur et reponantur immediate ante electionem novi Protoarchimandritae... »; Capitula 1743, 1747, 1751, c. 15; 1759, c. 18; 1772, c. 37.

Post annum vero 1751 simul cum officio etiam insignia archimandritalia deponere debuit, secundum tenorem privilegii. In actis capitularibus una tantum vice huiusmodi depositionis accuratam invenimus descriptionem et quidem non cum ipso Protoarchimandrita, sed eiusdem Vicario Generali, iisdem facultatibus et privilegiis gavisio<sup>128</sup>.

#### B. ERGA CAPITULA PROVINCIALIA.

1) - Eadem statuto tempore convocare debuit. Constitutiones eandem convocationem tamquam obligationem potius quam potestatem Protoarchimandritae considerant<sup>129</sup>.

2) - Iisdem praesidere. Cum vero vi decreti SCPF 1757 (24.V)<sup>130</sup> licitum esset Protoarchimandritae ad huiusmodi praesidentiam alios delegare, capitulum Berestense 1772 determinavit etiam qualitates et condiciones huiusmodi delegati, quas attendere debuit Protoarchimandrita in delegatione.

Inter condiciones enumerantur:

a) Ratio sufficiens. Cum capitula generalia obligationem Protoarchimandritae praesidendi capitulis provincialibus considerarent personalem, ideoque ad huiusmodi delegationem faciendam rationem sufficientem requirebant, eamque, non tamen taxative, in constitutione capituli generalis Berestensis 1772 determinarent<sup>131</sup>.

b) Ne sit ex eadem provincia ac capitulum<sup>132</sup>.

c) « *Delegatio autem haec fieri debet cum voto et assensu Officialium sui Consultorii* ».

De qualitatibus vero haec habentur: « *aliquem emeritum, gradu et officio*

<sup>128</sup> « Die itaque 22.7bris S. V. electioni praestituta, qua singuli Patres confessi ac Sacra Communione juxta praescriptum Constitutionum nostrarum re-  
fecti, cum ad locum electionis convenerint, illico post praemissam Spiritus Sancti invocationem, Rev.mus Vicarius Generalis Officium suum una cum insigniis Protoarchimandritae, mediante ad Patres accommodato sermone, deposuit ». Zydyczynen. 1788, s. 14.

<sup>129</sup> « Firmatum est... ut R.mus Generalis post quadriennium seu medio officio sui tempore indispensabiliter, nulla obstante legalitate, ad Provincias respectivas pro Capitulo Provinciali celebrando descendat, impensis eius Provinciae ex qua electus fuit »; Berest. 1751, 1759, c. 1.

<sup>130</sup> *Bullae...*, P. II, p. 121; cfr. A. G. WELIKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 99-101.

<sup>131</sup> « Resolutum est, R.mum Proto-Archimandritam in casu infirmitatis, pestis, hostilis grassationis aut alius alicuius publicae calamitatis... jus habere delegandi... virum religiosum, qui loco sui in Capitulis provincialibus vices gerat et praesideat »; Berest. 1772, c. 3.

<sup>132</sup> « Ita, ut ad Capitulum provinciae Poloniae delegandus assumatur ex Provincia Lithuana et e converso, ex Provincia Polona, si delegabitur ad praesidentium Capitulo provinciali Provinciae Lithuanae ». *IBIDEM*.

*conspicuum, prudentia et in rebus agendis dexteritate commendatum virum religiosum* »<sup>133</sup>.

Postea vero cum totus Ordo in quatuor provincias divisus sit, prima conditio applicationem non habuit, quia tunc Protoarchimandrita non solum potuit, verum etiam debuit capitulis trium provinciarum per delegatos praesidere<sup>134</sup>.

Secunda conditio retenta est quidem, sed sine determinatione provinciae<sup>135</sup>.

Servata conditione tertia, additur quarta<sup>136</sup>.

#### IV. ERGA CONSULTORES GENERALES, ET SECRETARIOS.

Hac periodo, sicut et prima, Protoarchimandrita in quibusdam actibus determinatis ligabatur voto sui scil. generalis consultorii, immo in quibusdam etiam provincialis sive provinciae respectivae sive omnium. Hic tamen agimus de casibus tantum, quibus Protoarchimandrita voto sui consultorii ligatus erat. Hinc eidem obligatio erat eorundem votum exquirendi. Antequam tamen casus huiusmodi enumerabimus quaedam praemittenda sunt.

a) Quid veniat nomine Consultorii generalis? Sub hoc intelliguntur Consultores generales et relative Secretarii generales. Dicitur de Secretariis « *relative* », quia, horum officium non semper a personis distinctis gestum est, sed periodo secunda Consultorium generale statis temporibus in hunc modum componebantur:

ab anno 1743 - ad annum 1751 erant 4 Consultores et 2 Secretarii;

ab anno 1751 - ad annum 1780 erant 2 Consultores et 2 Secretarii;

ab anno 1780 - ad annum 1804 erant 4 Consultores tantum, qui etiam ea omnia, quae per Secretarios adimpleri solebant adimplerent<sup>137</sup>. Donec tamen officio Secretariorum generalium personae distinctae fungebantur, eadem aequo iure ac Consultores generales voto in consultationibus sive deliberativo sive consultativo tantum gaudebant<sup>138</sup>.

<sup>133</sup> **IBIDEM.**

<sup>134</sup> « Jus Capitulo provinciali praesidendi obtinet Proto-Archimandrita. Sed quoniam eodem tempore omnibus interesse per se ipsum non potest Capitulis, ea propter ibi per se praesidebit, ubi res rationesque loci sic ferent vel prudentia postulabit, reliquis vero praeerit per Delegatos »; *Codex*, p. 201, n. 4.

<sup>135</sup> « Observandum illud quodque erit, ut Praesides Capitulorum provinciarum delegati sint extranei, hoc est non ex iis assumpti Provincis, quarum Capitula directuri sunt, sed ex diversis »; **IBIDEM**, n. 202, n. 6.

<sup>136</sup> « Praesidium delegandorum delectum instituet cum suo Consultorio, ita tamen, ut deligi non possit alius, nisi vel Ex-Protoarchimandrita vel Abbas, vel Consultor Generalis, vel Ex-Provincialis, aut vir in Ordine nostro benemeritus, probitate, prudentia et doctrina conspicuus »; *ib.*, p. 201, n. 5.

<sup>137</sup> Zydyczynen. 1788, s. 8.

<sup>138</sup> Quod e casibus infra specificatis patebit.

b) Quonam voto Consultorium generale gauderet, deliberativo vel consultativo tantum, seu Protoarchimandrita ad quosdam actus ponendos ab illo consilium tantum vel etiam consensum exquirere teneretur?

Hac in re distinctio fieri debet inter huius periodi spatium ab initio usque ad annum 1759. Hoc enim anno capitulo Berestensi expresse « *sancitum est votis pariter medietate pluribus, Consultores et Secretarios Ord. juxta ac Provinciarum jure suffragii decisivi gaudere, ac in consultationibus res omnes pluralitate votorum definiri debere, in casu autem paritatis solius, si quae forte in provinciali Consultorio contingat, concessum est a Patribus, ut Provincialis duplici voto potiatur* »<sup>139</sup>.

Inde sequendo principia generalia iuris communis<sup>140</sup> dicendum est, post annum praedictum (1759) Consultorii generalis semper consilium pro consensu habendum esse, etiamsi in constitutionibus respectivis capitularibus atque decretis S. Sedis consilium tantum requiretur.

Essetne tamen praedicta constitutio nova? Sine dubio, quia tunc primum, scil. anno 1759, lata est a capitulo « *votis medietate pluribus* ». Ante ergo annum 1759 idem nondum erat decisum seu vim legis non habuit, etiamsi in praxi observatum esset. Hinc usque ad annum praedictum Consultorii generalis consilium tantum vel consensus requirebatur, secundum tenorem legis respectivae. Post annum vero 1759 in omnibus casibus, quibus votum Consultorii a Protoarchimandrita requirendum statuebatur, illud pro consensu requirendo habendum erat.

Inter casus autem, quibus votum Consultorii generalis (consilium vel consensus diverso tempore) a Protoarchimandrita exquirendum erat, quidam statuti sunt per modum legis, quidam vero particulariter. Inter illos autem quidam in norma generali comprehendebantur, alii vero singulariter determinabantur. Illorum etiam plures per totam periodum applicationem habebant, qui vero particulariter statuebantur, ita etiam applicabantur. Quae autem distinctiones e tenore singulorum facile percipi poterunt:

<sup>139</sup> Constitutio haec expresse confirmata est a SCPF anno 1763: « Ad num. 6. Cum sequenti num. (seu constitutione supra citata) septimo Consultoribus, ac Secretariis Ordinis tribuatur jus suffragii decisivi, congruum visum est, ut et ipsi in suo juramento promittant omnimodam obedientiam Sedi Apostolicae »; *Bullae*, P. II, p. 138; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 175 sq. Tunc ultimae constitutiones capitulares capituli Berest. 1772 decretum SCPF explendo idem repetunt: « Quum Sacra Congregatio in toties dicto anni 1763 decreto Resol. 6 censet: « Congruum sibi visum esse, ut etiam Consultores Ordinis et Provinciarum nec non Secretarii, quoniam iure suffragii decisivi gaudent, in suis juramentis promittant omnimodam obedientiam S. Sedi Apostolicae »; const. 7, 9.

<sup>140</sup> Cfr. PIARO: « In aliis Ordinibus (prater S. J.) sunt decisiva. Nam in aliis Ordinibus Definitores sunt collegae et participes Officii Generalis; jam autem ubi id existit, consilium requirendum habetur pro consensu »; t. I, Q. 828, n. 2, p. 664. Et C. *Venerabili*, 37, De off. et pot. iud. dd.

## a) IN CAUSIS CAPITULORUM.

*A. In causis Capituli generalis.*

1<sup>o</sup>. In capituli generalis convocatione Protoarchimandrita iam ante annum 1759 consensum sui Consultorii exquirebat, prout ex eiusdem innotescentialibus constat <sup>141</sup>. Postea capitulo Berest. 1772 inter obiecta potestati Protoarchimandritae reservata, cum voto tamen eius Consultorii, habetur etiam capituli generalis convocatio <sup>142</sup>.

2<sup>o</sup>. In loco capituli generalis ex uno designatis constitutionibus determinando <sup>143</sup>.

*B. In causis capituli provincialis.*

1<sup>o</sup>. In tempore et loco eidem determinando <sup>144</sup>;

2<sup>o</sup>. In Praesidibus a se delegatis determinandis <sup>145</sup>.

*C. In causis communibus utriusque Capitulo.*

1<sup>o</sup>. In schedae vocalium capitularium compositione. Verumquidem ordinarie compositio huiusmodi pertinebat ad capitulum generale, in casibus tamen peculiaribus eandem componebat Protoarchimandrita cum suo et provinciarum Consultoriis, uti ad capitula generalia et provincialia Berestensia 1747 et 1751 <sup>146</sup>, immo eandem cum iisdem etiam vi decreti SCPF 1759 componere tenebatur <sup>147</sup>.

2<sup>o</sup>. In substitutoribus Consultorum generalium a capitulo absentium eligendis <sup>148</sup>.

3<sup>o</sup>. In transferenda vocalitate ex uno ad aliud monasterium <sup>149</sup>.

<sup>141</sup> « Per R.dum Protoarchimandritam de consensu et consilio pleni V. Consultorii Ordinis expeditae fuerant Innotescentiales »; Berest. 1751, s. 1.

<sup>142</sup> « Ut sui quoque officio Protoarchimandritali constant limites, praeter ea, quae sequentibus Constitutionibus praescripta sunt, declaratum est, quod ad Protoarchimandritam suumque Consultorium debeat pertinere. Capitula generalia, consulto Metropolitanano, et Provincialia statis temporibus convocare »; Berest. 1772, c. 16.

<sup>143</sup> Quod iam in *Neru* 1743 requisitum est: « Locus vero et tempus Capitulorum generalium quod in praesenti Capitulo circumscribetur indispensabiliter nisi in hoc praevio consensu Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, exposita et firmiter observetur, ita, ut nulla prorsus necessitate aut legalitate dispensetur, eidem una cum Proto-Archimandrita et Consultoribus utriusque Provinciae solius grassantis (quod Deus avertet) pestis necessitate » (n. 4). Postea idem clare etiam constitutionibus capitularibus determinatum est, uti supra: « Locum pro Capitulis... etiam pro generalibus, unum ex designatis per Constitutiones determinare »; Beresten. 1772, const. 16.

<sup>144</sup> IBIDEM.

<sup>145</sup> IBIDEM, c. 3.

<sup>146</sup> Cfr. vol. II, p. 66.

<sup>147</sup> *Bullae...*, P. II, p. 121 ad 13; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 132 sq.

<sup>148</sup> *Decretum SCPF 1784* (7.II): *Indulgen.*, P. I, p. 55.

<sup>149</sup> *Decretum SCPF 1780* (23.IV); *IB.*, p. 44.

## b) IN CAUSIS OFFICIALIUM GENERALIUM.

In electione extracapitulari: a) Consultoris generalis; b) Secretarii gen. c) Procuratoris gen., uti inde a capitulo Berest. 1751 ceterisque constituebatur decretibus SCPF comprobatur<sup>150</sup>.

## c) IN CAUSIS OFFICIALIUM PROVINCIALIUM.

1<sup>o</sup>. In depositione Provincialis<sup>151</sup>.

2<sup>o</sup>. In electione secundi Vicarii provincialis, cum primus eo ipso vi constitutionum Provinciali succederat, quod tamen nonnisi in capitulo Berestensi 1772 constitutum est<sup>152</sup>.

## d) IN CAUSIS MONASTERIORUM PRAESIDIUM.

1<sup>o</sup>. In Abbatibus iudicandis<sup>153</sup>.

2<sup>o</sup>. In Superioribus monasteriorum insignium: a) nominandis; b) officio privandis, uti supra exposuimus<sup>154</sup>; c) officioque eorundem prorogando<sup>155</sup>.

## e) IN CAUSIS TOTIUS CONGREGATIONIS, PROVINCiarUM ET MONASTERIORUM.

1<sup>o</sup>. Iam primo capitulo norma generalis lata est et postea semper repetita, vi cuius: «*Negotia maioris importantiae tam in spirituali, quam in saeculari foro non prius promoveantur a Protoarchimandrita, quam ineatur consilium cum Consultoribus Ordinis et juratis Secretariis, etiamsi causa totam non tangat Religionem, sed unius tantum sit monasterii*»<sup>156</sup>. Verumquidem hic sermo est de consilio tantum, post annum tamen 1759 propterea, quod Consultores

<sup>150</sup> Constitutio respectiva sonabat: «*Porro in casu obitus vel ascensus ad beneficium incompatible alicuius Ordinis vel Provinciarum Officialis Protoarchimandritae primus Consultor Ordinis titulo Vicarii Generalis succedet, in locum vero aliorum Officialium Ordinis R. mus Proto-Archimandrita cum Conculitorio Ordinis et respectivo P. Provinciali subiectum sibi adsciscet*». Berest. 1751, c. 15; 1759, c. 18; 1772, c. ..., et *Decretum SCPF 1782* (17.XI), in cap. Zydczyn. 1788, s. 3, n. 9<sup>o</sup>.

<sup>151</sup> De qua in *Nexu* 1743 statutum est: «*Quodsi vero Vicarius Generalis cuiusque Provinciae (puta Provincialis) non regulariter vixerit, talem R. mus Proto-Archimandrita ad rectius vivendum et muneri suo satisfaciendum canonicè monebit; si vero monitioni non paruerit, convocatis Consultoribus utriusque Provinciae (puta generalibus et provincialibus ex utraque provincia) et ad minus 20 Superioribus praevia facta inquisitione ad sententiam depositionis procedat*» (n. 12).

<sup>152</sup> «*Quodsi dein ipsum Vicarium provinciale mori vel ascendere contingat, Consulitorium generale cum respectivo provinciali una collatis suffragiis alium surrogabit*»; Const. 36.

<sup>153</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 660, § 5; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, 161 sq.

<sup>154</sup> Cfr. p. 41 sq.

<sup>155</sup> Cfr. p. 55.

<sup>156</sup> Dubnen. 1743, c. 11, Berest. 1747, 1751, c. 11; 1759, c. 14; 1772, c. 15.

et Secretarii iure suffragii decisivi gavisi sunt, i. e. quoties eorundem votum exquiri debebat, etiamsi constitutio citata in sua forma eadem remanserit, consilium pro consensu habendum erat, uti in ceteris etiam causis, in quibus votum Consultorii requirebatur.

2<sup>o</sup>. Similiter et speciatim quoad negotia sive totius Religionis sive provinciarum Romae promovenda constitutum est tam primo quam posterioribus capitulis »: *Protoarchimandrita vero in similibus Religionis et respective Provinciarum negotiis* (i. e. Romae promovendis), *utrum sint promovenda necne, capiet consilia a Venerabili Consultorio generali, etiam ipso Provinciali ac Consultorio ejusdem* »<sup>157</sup>.

3<sup>o</sup>. Item in recursu habendo ad S. Sedem super regulis et rebus ad totam Congregationem spectantibus consensum exquirere debuit a suo consultorio<sup>158</sup>.

4<sup>o</sup>. In tributis pro tota Congregatione imponendis provinciis, uti hoc iam in Resol. 1743 statutum est<sup>159</sup>.

Jure autem constitutionum uti in omnibus rebus maioris momenti a Protoarchimandrita consilium vel postea consensus Consultorii gen. requirendus erat.

5<sup>o</sup>. Dum, urgente necessitate, preces et ieiunia per totam Congregationem indicere voluisset, consensum Consultorum suorum requirere debebat<sup>160</sup>.

6<sup>o</sup>. Capitulo tantum primo constitutio lata est de consilio Consultorii generalis capiendo etiam in consensu a Protoarchimandrita Superioribus loca libus praestando ad combinationes amicales sive ratione fundi sive ratione aliquarum iniuriarum tam cum spiritualibus quam cum saecularibus personis ineundas maioris importantiae<sup>161</sup>.

Postea, cum SCPF ad alienationes fundorum etiam beneplacitum Apostolicum requisiverit atque facultatem Nuntio Apostolico Vars. concesserit licentiam ad huiusmodi alienationes Protoarchimandritae concedendi, illae ab hoc fieri non poterant, nisi praevio consensu sui Consultorii. Verumquidem in facultate memorata sermo est de consilio tantum<sup>162</sup>, at ob rationem supra explicatam etiam hic consilium habendum erat pro consensu.

7<sup>o</sup>. Idem consensus requirendus erat in aedificiorum extruendorum delineamentis, a Protoarchimandrita ultimatim adprobandis<sup>163</sup>.

8<sup>o</sup>. Consilium tantum Consultorii generalis requirebatur in novis quibusdam foundationibus recipiendis Protoarchimandritae a capitulo commissis<sup>164</sup>.

<sup>157</sup> Dubnen. 743, c. 12; Berest. 1747, 1751, c. 12; 1759, c. 15; 1772, c. 16.

<sup>158</sup> Cfr. p. 56 sq.

<sup>159</sup> « Oneribus privatis utriusque Provinciae alterutra non subjacebit; si quae erunt publica futura totius Congregationis unitae, utraque subjacebit, praevius tamen consiliis, quibus competit jure Constitutionum »; Resolutio 5; cfr. const. 17.

<sup>160</sup> Berest. 1772, c. 16.

<sup>161</sup> Const. 13.

<sup>162</sup> Cfr. p. 108.

<sup>163</sup> Quod tamen solo capitulo Berest. 1759, c. 31 constitutum.

<sup>164</sup> Uti e. g. Dubnen. 1743, s. ultima, n. 2<sup>o</sup>.



## f) IN CAUSIS SINGULORUM RELIGIOSORUM.

1<sup>o</sup>. In consensu suo praestando Religiosis ad praelaturas, uti supra expositum est<sup>165</sup>.

2<sup>o</sup>. In Professoribus ad Pontificium Collegium Vilmense nominandis; in decreto respectivo dictum erat: « *audito Protoarchimandritali consultorio* », at, uti alibi, ob eandem rationem, consensus eiusdem requirebatur<sup>166</sup>.

3<sup>o</sup>. In alumnis ad Pontificia Collegia Urbanum, Vilmense et Brunsbergense mittendis<sup>167</sup>.

4<sup>o</sup>. Praeterea aliquando capitulum quaedam negotia singulorum Religiosorum Protoarchimandritae cum respectivo Consultorio decidenda committebat, uti in capitulo Berest. 1747<sup>168</sup>.

Enumeratis causis, in quibus constitutiones capitulares decretaque S. Sedis consultationem convocandam praecipiebant, iam videatur oportet quid illae circa huius convocationem celebrationemque constituerent.

Tempus aliquod definitum circa celebrationem huiusmodi consultationis sive cum solo Consultorio generali sive etiam simul cum provincialibus determinatum non erat, sed ab exigente necessitate dependebat.

Solum capitulum Berest. 1772 circa modum huiusmodi consultationum peragendarum statuit: « *Constitutum est, ut res, quae in Consultationibus tam generalibus, quam provincialibus deliberandae occurrunt, pridie saltem cum suis respectivis communicentur Consultoribus, qui primum privatim secum rem expendant, tandem in crastinum super eo negotio sententias suas in voce, incipiendo ab ultimo Definitore, ferent, in quibus, si quam oriri dissensionem acciderit, dubium eodem ordine per secreta definiantur suffragia* »<sup>169</sup>.

Consultationi plenum Consultorium generale praesens esse debuit, hinc pro casu absentiae alicuius Consultoris vel Secretarii generalis Protoarchimandritae erat illum substituendum curare<sup>170</sup>.

<sup>165</sup> Cfr. p. 49, 85.

<sup>166</sup> *Indulgen.*, P. I, p. 21.

<sup>167</sup> *Decretum SCPF 1775*, ad 17; *Indulgen.*, P. I, p. 19; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>168</sup> « His peractis R.mus Pater Provincialis Polon. institit apud Lithuanam Provinciam, utrum R.P. Martinianus Guzinski, Lithuaniae Provinciae Professor. in Polona nostri Ordinis Provincia permanere possit, quae R.mi Provincialis instantia ad arbitrium R.mi Generalis una cum Consultorio tum Ordinis tum Lithuaniae Provinciae decidenda remissa est »; Beresten. 1747, s. 10, n. 5.

<sup>169</sup> Const. 11.

<sup>170</sup> « Si respectivis alicuius Consultorii Consultor vel Secretarius legitime impeditus consultationi interesse nequiverit, tunc danda erit opera, ut alius eius loco vir gravis et prudens, si talis ex absentis Consultoris provincia praesto fuerit, emisso prius eam in rem consultoriali iuramento subrogetur, alias exquiratur omnino, si per tempus licebit, in re proposita votum absentis Definitoris et negotium in deliberationem adductum cum ejus per litteras accepto suffragio, si id ad pluralitatem accedit, decidatur »; Beresten. 1772, const. 12.

## V. ERGA PROVINCIALES EORUMQUE CONSULTORIA.

Sicut Consultorii generalis, ita etiam Provincialium eorumque Consultoriorum sive omnium sive respectivae tantum provinciae in quibusdam causis consilium tantum, nisi electiones excipias, a Protoarchimandrita capiendum praescribatur. Consilium tantum, quia constitutio illa supra relata ex anno 1759 ad solum Consultorium generale referebatur respectu Protoarchimandritae. Causae autem huiusmodi erant:

1) - In schedae vocalium compositione, a SCPF 1757 anno praescriptae, utriusque provinciae Officia consilium suum dare debebant <sup>171</sup>.

2) - Respectivi autem Provincialis eiusque Consultorii consilium a Protoarchimandrita capiendum erat in negotiis respectivae tantum provinciae Romae promovendis <sup>172</sup>.

3) - Consensus autem seu in electione participatio respectivae tantum provinciae Provincialis eiusque Consultorii inde ab anno 1751 requirebatur in constitutione alicuius Officialis generalis ex illa provincia eligendi <sup>173</sup>.

4) - Eodem modo participatio requirebatur in electione secundi Vicarii provincialis inde ab anno 1772 <sup>174</sup>.

5) - In casu depositionis alicuius Provincialis Protoarchimandrita convocare debuit Consultoria utriusque provinciae <sup>175</sup>.

Quid vero de voto Consultoriorum provincialium in quibusdam casibus supra specificatis Protoarchimandritae reddendo?

Constitutio illa generalis ex anno 1759 sub considerationem sumebat Consultoria consultationesve generalia et provincialia disiunctive, pro se ipsis celebranda, sicut et correspondens constitutio capituli ex anno 1772, immediate supra citata.

Aliae constitutiones particulares, quae a Protoarchimandrita requirebant votum capiendum etiam a Consultoriis provincialibus, exceptis electionibus, loquuntur tantum de consilio. Hinc nec vi illius constitutionis generalis, nec aliarum votum Consultoriorum provincialium erat decisivum, sed consultivum

<sup>171</sup> Bullae..., P. II, p. 121.

<sup>172</sup> Dubnen. 1743; Berest. 1747, 1751, const. 12; Berest. 1759, const. 15; Berest. 1772, c. 16.

<sup>173</sup> Berest. 1751, const. 15; 1759, const. 18; 1772, const. 36.

<sup>174</sup> Berest. 1772, const. 36. Nam primus Vicarius gen. alicuius provinciae erat ipsis constitutionibus designatus, nempe post cessationem ab officio Provincialis, eo ipso huius locum primus provinciae Consultor tamquam Vicarius gen. obtineat. Hoc autem ab officio cessato secundus Vicarius gen. provinciae eligendus erat a Consultoriis: generali et respectivae provinciae.

<sup>175</sup> *Nexus 1743*, n. 12.

tantum. Hinc secundum ius commune consilium eorundem privatim etiam dari potuit<sup>176</sup>.

Verumquidem secundum generale principium iuris, si quis ob propriam industriam, scientiam, prudentiam, eligatur, substitui nequit in suo officio<sup>177</sup>, attamen ob aliam rationem particularem, nempe ob aequalem numerum Consultorum ex utraque provincia, Consultor generalis Basilianus absens, ut constitutio supra allata requirebat, substituendus erat alumno eiusdem provinciae.

## VI. ERGA TOTUM ORDINEM, PROVINCIAS ET MONASTERIA.

In promovendo bono totius Ordinis seu omnium provinciarum monasteriorumque communi, ad quod procurandum Protoarchimandrita expresse iuramento sese obligabat: « *Bonum earum (provinciarum) ac incrementum pro viribus curaturum* »<sup>178</sup>, idem eodem iuramento etiam expresse, saltem a capitulo Berestensi 1772, aequae utrique seu unicuique provinciae se additum fidelemque fore promittebat<sup>179</sup>.

Ex historia enim Ordinis Basiliani inde ab unione duarum Congregationum in unam (1743) patet, quoniam zelo utramque provinciam iura sua aequalia conservare semper et in omnibus contendisse. Quam vero tendentiam demonstrat iam ipsa imprimis alternativa Protoarchimandritae eligendi ex utraque provincia strictissime observari praecepta et speciali inspectioni Metropolitanæ commissa<sup>180</sup>. Idem manifestatur in aequali numero ceterorum Officialium Ordinis constituendo; uti initio 2 Consultoribus et 1 Secretario (simul 4 et 2 s.) ex unaquaque provincia<sup>181</sup>; dein 1 Consultore et 1 Secretario (simul 2 c. 2 s.) ex unaquaque provincia<sup>182</sup> deinde 1 tantum Consultore ex quatuor provinciis<sup>183</sup> et denique 2 Consultoribus ex utraque (simul 4 c. tantum)<sup>184</sup>; item in alternativa Procuratoris generalis in Urbe<sup>185</sup>; in residentia

<sup>176</sup> « Quomodo petendum sit Definitorum votum? Distinguendum est, utrum votum eorum consultivum sit tantum, an vero decisivum. Si prius, privatim dari potest... Si vero posterius, consensus peti et dari debet collegialiter; alias actus esset nullus »; PIARO, o. c., t. I, Q. 829, p. 664.

<sup>177</sup> C. *Quoniam*, 43; *Is autem*, 1, *De officio et potestate iudicis delegati*; C. *In cui*, 12, eodem titulo in VI.

<sup>178</sup> Dubnen. 1743, n. 4; Berest. 1747 et 1751, c. 5; 1759, c. 5; 1772, c. 8.

<sup>179</sup> « Provinciis Lithuanae ac Polonae aequae me addictum fidelemque fore »; Berest. 1772, c. 8.

<sup>180</sup> Omnia capitula c. 1, et *Nexus* 1743, n. 9.

<sup>181</sup> Dubnen. 1743, c. 2; Berest. 1747, c. 2.

<sup>182</sup> Berest. 1751, 1759, 1772, c. 2 et 4.

<sup>183</sup> Torokanen. 1780; cfr. Zydyczyn. 1788, s. 8.

<sup>184</sup> **IBIDEM.**

<sup>185</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149, § 25; cfr. A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sg.

Protoarchimandritae in utraque provincia stabilienda<sup>186</sup>, in locis pro capitulis generalibus designandis<sup>187</sup>, omnibusque officiis capitularibus et praecedentia servanda disponendis<sup>188</sup>, atque oneribus pro bono totius Ordinis a quacumque provincia pro aequali suscipiendis<sup>189</sup>.

Ad quam immo tendentiam ipsa S. Sedes in suis decretis et decisionibus sese accomodabat, uti: a) in aequali numero vocalium capituli generalis determinando<sup>190</sup>; b) in reducendo vel protrahendo tempore gubernii Protoarchimandritae pro utraque provincia aequali<sup>191</sup>; c) in numero Consultorum Secretariorumque generalium diminuendo<sup>192</sup>; et in alumnatibus disponendis<sup>193</sup>.

Ex quo etiam patet gravitas huiusmodi obligationis Protoarchimandritae impositae in iisdem omnibus custodiendis conservandisque, quorum ipse custos ex officio esse debuit.

Hoc autem bonum Ordinis Protoarchimandrita procurare debuit per munus sui secundum constitutiones expletionem, prouti in iuramento suo promittebat: « *ac munus Protoarchimandritale, in quod capitulariter electus sum juxta Constitutiones Ordinis nostri a Sede Apostolica approbatas expleturum* »<sup>194</sup>. Quae autem ultima obligatio generalis comprehendebat omnes eiusdem obligationes et officia, quorum in concreto sub respectu totius Ordinis, provinciarum et monasteriorum haec praecipue urgentur:

1) - Praetermissa generali obligatione secundum Tridentinum observationi regulari<sup>195</sup> respective ad suum officium in toto Ordine incumbendi, Protoarchimandritae erat: « *Causas, quae universam Congregationem concernunt in foro competenti, id est, sive Romae, sive in S. Nuntiatura, sive in Comitibus Regni sumptibus Provinciarum promovere* »<sup>196</sup>; hinc « *... si vel tota Religio vel aliquod monasterium particulare compellatur per citationes ad respondendum, committatur statim attendentia hujus negotii illi Procuratori, qui tali subsellio aderit* »<sup>197</sup>, i. e. a Protoarchimandrita.

2) - Ad eundem pertinebat cura de studiis promovendis.

<sup>186</sup> Dubnen. 1743, Berest. 1747, 1751, 1759, c. 4; 1772. c. 10.

<sup>187</sup> IBIDEM, c. 3 et 5.

<sup>188</sup> Cfr. vol. II, p. 65 et 80.

<sup>189</sup> Dubnen. 1743, resol. 5.

<sup>190</sup> *Inter plures*, § 27; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149; cfr. A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontif.*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>191</sup> *Decretum SCPF 1752 (26.XI)*; *Bullae...*, P. II, p. 82, ad 6um; cfr. A. G. WELYKYJ, *Congreg. Particulares*, vol. II, Romae 1957.

<sup>192</sup> P. 161 sq.

<sup>193</sup> P. 58.

<sup>194</sup> Cfr. vol. II, p. 133

<sup>195</sup> P. 99.

<sup>196</sup> P. 57.

<sup>197</sup> P. 50.

Agitur hic de studiis Religiosorum sive intra sive extra Ordinem. Quoad illa spectat, praeter obligationem e generali cura Protoarchimandritae de bono Ordinis, in quo etiam ratio studiorum continebatur, habebantur etiam quaedam praecepta positiva illam respicientia. Anno nempe 1750 Benedictus XIV occasione quaestionis circa decem monasteria controversa, de qua paulum infra, Protoarchimandritae praecepit quatuor in quaque provincia studia pro Religiosis erigere, 2 nempe philosophica et duo theologica<sup>198</sup>. In consequentia huiusmodi ordinationis, Protoarchimandrita supplicante, quaestio in SCPF anno 1752 proposita est: « An expedit concedere Protoarchimandritae aliquam prorogationem ad erigenda quatuor studia in unaquaque Provincia? », circa quam relata est informatio Nuntii Apostolici: « Recentissime expleta Congregatione part. super his dubiis sub die 13 mensis Xbris ultimo praeteriti anni 1752 D.nus Nuntius Poloniae certam reddidit S. Cong.nem de Propaganda Fide, quod in Provincia Lithuaniae studia quatuor, in Provincia vero Poloniae tria sint jam erecta, ideoque cum supersit erectio quarti studii tantum in Provincia Poloniae, videtur concedenda aliqua prorogatio huic Provinciae satis pauperi et tribus studiis utcumque provisae »<sup>199</sup>. Tunc SCPF decrevit: « Ad decimum quartum: Concedi posse ad annum »<sup>200</sup>. Eadem obligatio Protoarchimandritae supra specificata patet ex erectione collegii Pontificii Vilnensis<sup>201</sup>.

Sed eiusdem etiam erat tam ius quam obligatio alumnos ad Collegia extra Ordinem Pontificia, Romanum et Brusbergense, servata aequalitate respectu utriusque Provinciae mittere<sup>202</sup>.

3) - Cum solius Protoarchimandritae in potestate esset Archimandritas (non Episcopus) omnesque archimandrias inde ab anno 1756 seu post decretalem Benedicti XIV « *Super Familiam* » visitare<sup>203</sup>, immo inde iam a decretali « *Inter plures* » 1744 eidem soli potestas privativa circa bona abbatialia competeret, consequenter: « *Ipsius etiam erit* », ut *Codex* asseruit, « *attendere et urgere, ne contributionum ... ex Archimandritibus monasteriis debita Provinciae solutio temere denegetur aut diutius, quam par est, differatur* »<sup>204</sup>, et in genere iisdem bonis conservandis et non delapidandis attendere. Quae autem cura eiusdem circa illa in praxi maxime adhibenda requirebatur in decessu Archimandritarum sive claustralium sive Episcoporum, seu de sic dicto « *spolio Abbatum* », circa quod plures enatae sunt quaestiones tam in

<sup>198</sup> Cfr. C.P.-SCPF, 1750 (21.IX) cum: « *Instructio pro Nuntio AP* »; APF, CP, 1750-52, v. 114, f. 83 et « *Lettere della S. C. dell'anno 1750* », v. 175, f. 179; cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae...*, vol. IV, pag. 237 sq.

<sup>199</sup> APF, CP. 1750-52, v. 114, f. 205, dubium 14; cfr. A. G. WELYKYJ, *Congreg. Particulares*, vol. II, Romae 1957.

<sup>200</sup> *Bullae...*, P. II, p. 85.

<sup>201</sup> *Indulgentiae*, P. I, p. 20, seu Decretum SCPF, 1775 (11.IX).

<sup>202</sup> Cfr. P. 59.

<sup>203</sup> « *Super Familiam* », § 4; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 660; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 161 sq.

<sup>204</sup> *Codex*, p. 91, n. LXIV.

controversia cum Abbatibus-Episcopis-successoribus, quam praesertim cum omnium Abbatum heredibus-consanguineis, quibus vi legum civilium successio in hereditatem Abbatum reservata fuit. De quibus tamen quaestionibus sermo erit suo loco.

4) - Eiusdem erat limites provinciarum ad normam constitutionum capitularium atque decretorum S. Sedis conservare et attendere, ne Provinciales, uti constitutiones capitulares expresse statuebant, ultra expressos limites suam unquam jurisdictionem respectivam extendant <sup>205</sup>.

Ad cuius obligationis sensum et gravitatem subtilitatemque ostendendam conferet ipsa quaestio circa limites provinciarum historice perpendenda.

1<sup>o</sup>. In capitulo unionis duarum Congregationum quaestio limitum futuram praetermitti non potuit, eo vel magis, quod iam antea eadem, uti alibi exposimus <sup>206</sup>, momentum decisivum in erectione novae Congregationis habuit. Ideoque inter conditiones unionis provinciae Ruthenae conditio 3<sup>ta</sup> sonabat: « Ut monasteria intra viscera praesentis Provinciae consistentia, a Patribus vero Lithuanis possessa, de quibus monasteriis et in praeterita Convocatione Dubnensi anno 1727 coacta requisitio facta fuit in hac sola requisitione non effectuatata, eadem convocatio fuit dissoluta, videlicet praesens Dubnense, Wladimirense, Chelmen., Dorohobuscen., Lublinense, Grodecense, Buczacense, Werchoviense etc. a Patribus Provinciae Lithuanae praesenti Ruthenae Provinciae dimittantur ».

2<sup>o</sup>. Ad quam provincia Lithuana respondit: « Ad 3<sup>ium</sup>. Cum haec causa sit remissa ex Congregatione praeterita Dubnensi anno 1727 celebrata ad Sanctam Sedem Apostolicam, ideo sine resolutione Sanctae Sedis nequeunt manumitti ».

3<sup>o</sup>. Sed deventum est in eodem capitulo ad communem resolutionem: « Limites Provinciae conserventur in suo esse ... Limites autem Provinciarum circumscribendi sequenti Puncto patebunt »: « Provincia Lithuana cedit monasterium Lublinense Provinciae Polonae his conditionibus, ut causae monasteriorum Provinciae Lithuanae subjectorum, si opus fuerit, pari zelo a Procuratore Provinciae Polonae in Tribunali Lublinensi promoveantur et manuteneantur. Pariter ut haec dimissio duret ad decisionem Sanctae Sedis Apostolicae respectu aliorum monasteriorum » <sup>207</sup>.

4<sup>o</sup>. In constitutionibus denique eiusdem capituli statutum est: « Limites Provinciarum, de quibus supra, sint tales, videlicet: ad Provinciam Lithuanam spectabant monasteria ad praesens per eosdem Patres Lithuanos possessa; ad provinciam vero Ruthenam omnia itidem a Patribus Provinciae Ruthenae possessa et simul etiam monasterium Lublinense recenter a Provincia Lithuana cessum, salva semper decisione Sanctae Sedis quoad alia monasteria per Patres Lithuanos hisce in oris possessa, a Patribus vero Provinciae Ruthenae expetita; nec ultra expressos limites Provinciales suam unquam jurisdictionem respec-

<sup>205</sup> 1743, 1757, 1751, c. 10; 1759, c. 19; 1772, c. 29.

<sup>206</sup> Cfr. vol. I, p. 85, nota 13, n. 2, 3.

<sup>207</sup> Resol. 2, 3; cfr. vol. I, p. 85, nota 14, n. 2, 3.

tivam extendunt. Si aliquod in post monasterium de consensu Ordinariorum noviter erigetur, illud ad eam Provinciam spectabit, ad quam ipsi Fundatores et Ordinarii tale monasterium applicabunt »<sup>208</sup>.

5°. Quaestio monasteriorum praedictorum decisioni S. Sedis relicta a Benedicto XIV in decretali subsequenti: « *Inter plures* » attacta quidem est, sed non resoluta<sup>209</sup>.

6°. « Trasmessi per tanto ad sudetto Monsignor Nunzio i documenti esibitigli dall'una e dell'altra Provincia e distribuite dai loro rispettivi Procuratori le vicendevoli scritte in stampa, la Santità Sua si degnò di tenere alla sua presenza una Congregazione Particolare li 12 Febraio 1748, e dopo aver maturamente esaminata la materia, ordinò, che si trasmettesse a M.re Lascaris, Vescovo di Zenopoli..., una Istruzione per avere dal medesimo una esatta informazione sopra alcuni punti i quali esiggevano maggior dilucidazione.

Arrivata questa informazione insieme col di più delle ragioni, che entrambi le Parti hanno creduto di poter nuovamente addurre in favor delle reciproche lor pretensioni, nostro Signore avendo esattissimamente ponderato il tutto in una Congregazione Particolare tenuta alla sua presenza li 21 del corrente mese di Settembre, ha risoluto di voler definitivamente terminare questa pendenza, in effetto di che ha dichiarato legittimo il possesso de monasteri controversi a favore della Provincia di Lithuania ed ha imposto perpetuo silenzio alle Parti »<sup>210</sup>.

7°. « Ma perchè il monastero di Buczacz (uno dei controversi) era molto distante dalla Lituania, dovesse il Mons. Nunzio di quel tempo persuadere ai Superiori Lituani di cederlo alla Provincia di Polonia e che procurasse di persuadere ancora il Conte Protocki, Padrone di esso monastero, che contraddiceva a tal cessione. Da questa determinazione non se nè formò Decreto, ma essendosi scritto: *Scribantur Nuncio Ap.lico Poloniae juxta instructionem*, si scrisse perciò nel 1750 al Nunzio come sopra si è detto, e questo ne significò il tenore al P. Protoarchimandrita con lettera de 24 aprile »<sup>211</sup>.

<sup>208</sup> Const. 10.

<sup>209</sup> « Verum in praesenti rerum statu nos nihil respondere possumus, praeterquam supradictam cessionem monasterii Lublinensis a nobis approbari. Circa reliqua vero, ultiores opportuna facti informationes a vobis exhibendae erunt, ut supra aliorum duodecim monasteriorum pertinentia iudicium nostrum efformare possimus. Equidem in cumulo scripturarum, quae novis communicatae fuerunt, de eorum possessione apud provinciam Lithuaniae minime dubitatur. Illud quoque asseritur, non nulla ex iis fundata fuisse pro Lithuanis. Haec nimirum facta dilucidanda sunt, recognoscendae fundationes, explicandae causae, propter quas provincia Poloniae eorum cessionem nunc sibi debere contendit; quae omnia, si libet, intra breve tempus et absque magna impensa perferri possunt; concordando scilicet factum coram nostro Nuntio apud Poloniae regnum residente, vel coram illius Auditore, seu alio ministro ab eodem deputando, ad hoc ut deinde ad nos remittatur veridica relatio tum facti, tum etiam rationum omnium, quae coram ipso utrinque deducantur; quibus peractis, minime cunctabimur opportunam resolutionem proferre »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 145, § 10; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>210</sup> Instructio de monasteriis controversis data Nuntio Ap. 1750.

<sup>211</sup> Relatio de iisdem monasteriis in C. G. SCPF (10. VIII) 1775. APF, *Acta* 1775, v. 145, f. 461 ss.; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 76-78.

8°. Quae litterae Nuntii Ap. lectae sunt in cap. Beresten. 1751: « De tenore sequenti: — Etsi SS.mus Dominus Noster elapsis mensibus Provinciae Lithuanae monasteria adjudicavit, quae Polona sui iuris esse contendebat, inter quae notatur Buczaczense, situm in Dioecesi Leopoldien iuxta fines Valachiae, advertens tamen quanto locorum longinquitatem Provinciali Lithuanae incommodo sit, illud singulis annis visitare et monachis vicissim in quotidianis negotiis ad Provinciale ipsum recursum habere, optat Sanctitas Sua, ut Provincia Lithuana Polonae sponte illud sua cedat. Id omnino nullaque mora interposita ut fiat, R.mae Paternitatis Vestrae sique Consultorii partes erunt, nec difficile erit Provinciam Lithuanam in eam sententiam adducere, siquidem demonstratur, quod negari non potest, quantum ad conservandam augendamque monasteriorum regularem disciplinam eiusmodi cessio conducere possit »<sup>212</sup>.

9°. « Ast delecti eodem Capitulo novi Provinciae Polonae Moderatores, inito consilio inter se, quam manifestationem per monachum suae Provinciae Hieronymum Oziemkiewicz, eo tunc Superiorem Luceoriensem, in actis Notarii publici et simul Consistorii latini Luceorien. actuarii, sub die 30 Aug. 1752 contra praelaudatum Pontificium Decretum emisissent, quae cum a Congregatione de Propaganda Fide iudicata fuisset injuriosa supremae Sanctitatis Suae et Sanctae Sedis auctoritati ac Nuntii Apostolici dignitati atque digna, ut omnino aboleretur, eamque memorata Provincia Polona nedum improbavit et damnavit, verum etiam in publicum obedientiae suae testimonium ex praefatis actis sub die 27 mensis 9bris 1753 eliminari curavit, ac insuper ut sinceram voluntatis, humillimaeque erga Sanctitatem Suam, S. Congregationem et Sedis Apostolicae Ministros observantiae publicum aliquod extet certum documentum, Provincialis cum Consulario suo et totius Provinciae suae nomine meliori quovis modo scripto declararunt, ipsos suamque Provinciam Polonam Decretum divisionis a SS.mo Benedicto PP. XIV tunc regnante, qua maxima pars est submissione ac reverentia amplecti et acceptare sancteque polliciti sunt nullam in posterum super eadem divisione quaestionem aut controversiam excitaturos, publico instrumento Poczajoviae, die 11 Martii 1754, a Provinciali, Consultorioque ejus sub scripto et in actis Tribunalis nostri sub die 22 ejusdem mensis et anni in certo testati sunt. Buczaczense Monasterium successive novam controversiam excitavit cujusdam Provinciae gubernio assignatum sit; verum Sacra Congregatio de Propaganda Fide sub die 29 9bris 1752. coram s. men. Benedicto XIV habita, ad Dubia in Capitulo Generali Basilianorum, mense Septembri Brestae celebrato, respondens, ad Dubium num. 13: An monasterium Buczaczense omnino cedere debeat Provinciae Polonae? Resolutione ad 13: Dominus Nuntius Poloniae, auditis utriusque Provinciae Provincialibus et ipso Protoarchimandrita, id statuatur, quod aequum et utile ipsi videbitur ac in sequelam ejusmodi resolutionis relaxatae erant ex hoc Tribunali citationes et auditis tam Protoarchimandrita, quam Provincialibus utriusque Provinciae, sententia sub die Veneris 11 Julii 1755 ex controversiis prodiit, qua mediante monasterium Buczaczense iuxta mentem et voluntatem priorum praedicti monasterii fundatorum Provinciae Lithuanae in perpetuum

<sup>212</sup> Capit. Berest. 1751, const. 10.



adjudicatum, adnexum et incorporatum extitit, rejectis exceptionibus nonnullis a Provincia Polona adductis, ut latius in eadem sententia appellata continetur »<sup>213</sup>.

10°. « Nel 1763 furono esibite alla S. Congregazione per l'approvazione le Costituzioni di questo Ordine, esaminate nel Capitolo Generale tenuto in Brest l'anno 1759. In queste Costituzioni si espressero i Monaci che i limiti delle Provincie fossero seguenti.

Spettarono alla Provincia Lituana i monasteri posseduti al presente dal PP. Lituani ed alla Provincia Polacca i monasteri posseduti da PP. Polacchi, come pure il monastero Lublinese, ceduto dalla Provincia Lituana, e fuori di questi limiti i Provinciali non possono estendere la rispettiva loro giurisdizione, se poi in avvenire si errigerà di nuovo qualche monastero col consenso degli Ordinari del luogo, esso spetterà a quella Provincia, alla quale i Fondatori o gli Ordinari la applicheranno.

Contro questa Costituzione per riguardo de sudetti monasteri controversi per lo passato ed anche alora attualmente la Provincia Polona protestò contro la Lituana, la quale in vigore della sudetta lettera del Nunzio de 24 Aprile 1751 riprotestò contro la Polacca, e questa protestò di nuovo e riprotestò contro la Lituana.

Riportati tutti questi fatti nella Congreg. Generale degli 11 Luglio 1763, la medesima decretò: Ad num. 13, circa limites Provinciarum et Monasteria ad unamquamque Provinciam pertinentia servari oportere Decreta fel. rec. Benedicti XIV eaque de re scribendum esse juxta mentem R. P. D. Nuncio Ap.lico; ed a questo in esecuzione fu scritto con mandarlisi copia di questo o degli altri Decreti formati in detta Congregazione, acciò li facesse avere ai Superiori generali di quest'Ordine. Indi s'ingiunse al medesimo Mons. Nunzio di fare ogni sforzo perchè venisse intieramente eseguita la cessione de Monasteri, ordinata già dalla S. Mem. di Benedetto XIV, la quale compiuta, che fosse, imponesse sopra tal questione alle parti un perpetuo silenzio; e quest'ordine fu eseguito, (come si vede delli atti del medesimo) da Mons. Nunzio e fu letto nel presente Capitolo generale alla sess. 3, §. Porrectum quoque est »<sup>214</sup>.

11°. Executio Nuntii. « Nos itaque cum certo nobis constet ex notitiis sumptis ejusmodi cessionem monasteriorum, alias a s. mem. Benedicto XIV ordinatam, plene completam esse, ac Provinciam Lithuanam in quietam et pacificam possessionem dictorum Monasteriorum (olim controversorum) existere, idcirco in executionem ejusmodi resolutionis memoratae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, auctoritate ejusdem nobis hac in parte commissa, perpetuum utrique Parti ac respective Provinciis Lithuaniae et Polonae Basilianae super ejusmodi monasteriorum controversia imponimus per praesentes silentium, ita ut nullo unquam tempore in posterum quaecumque etiam minima praetensio, controversia, qualicumque modo, occasione, praetextu, respectu ejusmodi monasteriorum, jam alias ut supra declarata, decisa et sopita, suscitari, proponi aut promoveri possunt ac omnes ac quoscumque actus sive pri-

<sup>213</sup> Capitulum Berest. 1772, s. 3, Porrectum. Litterae Nuntii Ap. Vars. 1764, 23, I.

<sup>214</sup> Relatio de monasteriis controversis in C. G. SCPF, 10.VII. 1775, l. c.

vatum sive publice factos et gestos aut faciendos seu gerendos, nunc et in posterum nullius roboris, vis, aut efficaciae fore et esse ex nunc declaramus et pronuntiamus. Atque tam R.mo Proto-Archimandritae generali totius Ordinis, Provincialibus, Rectoribus, Superioribus monasteriorum pro tempore aliisque quocumque munere, dignitate et officio fungentibus, nec non caeteris omnibus et singulis particularibus Religiosis utriusque Provinciae, tam Lithuanae, quam Polonae memorati Ordinis, autoritate apostolica ac respective toties laudatae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide districte praecipimus ac in virtute sanctae obedientiae ejusdem formali praecepto inhibemus per praesentes, ne ipse, sive quispiam eorum sive junctim sive singillatim, seu in Capitulis, Consultationibus, Convocationibus, Congregationibus, aliisque quocumque titulo vocitatis seu cognominatis congressibus aut colloquiis sive generalibus sive provincialibus, publicis aut privatis, clam sive palam, quocumque tempore, occasione vel causa, aliquam quaestionem, propositionem, controversiam, dubium, sermonem super huiusmodi cessione monasteriorum, iam per s. mem. Benedictum XIV et Congregationem de Propaganda Fide decretam, factam, declaratam et ordinatam faciant, excitent, instituant, moveant, promoveant aut fieri, excitari, institui, moveri, promoveri, urgere curent aut satagant; idque sub poenis ipso facto, absque alia declaratione incurrendis; videlicet: privationis vocis activae et passivae in Capitulis sive generalibus sive particularibus sive provincialibus, nec non officiorum, quae tunc obtinebunt ac inhabilitatis in perpetuum ad alia obtinenda, tum suspensionis a Divinis et respective etiam a Pontificalibus, ac interdicti ab ingressu ecclesiae atque excommunicationis majoris per singulares personas incurrendos, tum carceris formalis aliisque gravioribus arbitrio SS.mi Domini pro tempore, nec non memoratae Sacrae Congregationis de Propaganda Fide statuendis et exequendis. Declamamus quoque, quod Ill.mus et R.mus Dominus Praeses pro tempore Capituli generalis (cui praesentes nostrae statim in limine Capituli per R.mum Proto-Archimandritam generalem exhiberi debeant) non permittat a quoquam, quamcumque vel minimam super ejusmodi cessione monasteriorum excitari quaestionem vel controversiam. Quin immo, in casu alicuius contraventionis huic declarationi nostrae praemissae, statim et illico absque ullo respectu personarum, officii, dignitatis, ad executionem paenarum superius expressarum procedat et procedere debeat. Volumus insuper quod R.mus Proto-Archimandrita generalis praesentes literas nostras in actis sui Generalatus, nec non respective Provinciales utriusque Provinciae in actis sui Provincialatus registrari curent et faciant testimoniumque super eo ad nos seu Cancellariam Tribunalis nostri cum sui ac Consultorii sui subscriptione in forma authentica transmittant, tum quoque copias authenticas earundem nostrarum praesentium manu sua subscriptas et sigillo officii sui munitas iidem Rectores Provinciales sub paena privationis Officii Provincialatus debeant et teneantur Superioribus locorum transmittere ac unusquisque in sua Provincia sine ulla mora publicare et in unoquoque monasterio, Collegio, Residentia registrari in actis dictorum locorum facere et praecipere, ut omnibus innotescant, ne subinde ullo unquam tempore ignorantiam de praemissis allegare

valeant. In quorum fidem etc. A. E. Archi-Episcopus Ephesinus, Nuntius Apostolicus (L. S.). Petrus Jastrzemski, Cancellarius »<sup>215</sup>.

5) - Prout ex supra dictis patet, novas monasteriorum fundationes secundum voluntatem fundatorum cum consensu Ordinarii loci respectivae provinciae Protoarchimandrita applicare debuit.

6) - Item onera pro bono publico pro aequali inter provincias dividere debuit. Inter condiciones Congregationis Ruthenae primo capitulo positas habebatur etiam haec « *Ut monasteria unius Provinciae ad onera et debita alterius Provinciae sufferenda et deportanda non trahantur, nec obligentur* »<sup>216</sup> ad quam Lithuana respondit: « *Ad onera particularia uniuscuiusque Provinciae altera Provincia non tenebitur. Onera vero totius Congregationis futura congruum erit sustinere* »; tunc in resolutione communi: « *Oneribus privatis utriusque Provinciae alterutra non subiacebit; si quae erunt publica futura totius Congregationis unitae utraque subiacebit, praevis tamen consiliis, quibus competit, jure Constitutionum* »<sup>217</sup>.

7) - In visitationes provinciarum Protoarchimandrita intrudere sese ordinarie non potuit, at recursu facto alicuius monasterii a Visitatore provinciali ad ipsum illud sive per se sive per alium visitare tenebatur<sup>218</sup>.

8) - Ad residentiam in provincia et monasterio determinato tenebatur. In constitutionibus capitularibus et decretis S. Sedis residentia Protoarchimandritae, uti supra vidimus<sup>219</sup>, tam quoad provinciam, quam quoad monasterium accurate determinata est, nec licitum erat eidem citra S. Sedis licentiam alibi sedem suam stabiliter constituere.

9) - Praeterea Protoarchimandritae sive a S. Sede sive a capitulo gen. quaedam negotia particularia totum Ordinem respicientia committebantur; uti:

a) Capitulum generale Zydzyczynense 1788 Officio generali commisit constitutionum Ordinis redactionem<sup>220</sup>.

b) Capitulum vero Berest. 1772 quasdam gratias pro toto Ordine, monasteriis, christifidelibus a S. Sede impetrandas Protoarchimandritae, ut supra<sup>221</sup>, commisit.

<sup>215</sup> Litterae Nuntii Ap. Vars. ad Protoarch. 1764 (23.I); cfr. cap. Berest. 1772, s. 3, § Porrectum...

<sup>216</sup> Conditio 6.

<sup>217</sup> Resolutio 5.

<sup>218</sup> Cfr. supra p. 45.

<sup>219</sup> Cfr. p. 74.

<sup>220</sup> Cfr. vol. I, p. 107.

<sup>221</sup> Cfr. p. 63.

c) Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » eidem simul cum Metropolita ceterisque specificatis monasteriorum tenuiorum unionem seu reductionem commisit, uti alibi indicatum est <sup>222</sup>.

10) - Ipse autem durante suo officio, quod eo vel facilius obtinere potuisset, nullas praelaturas sibi procurare aut oblatas acceptare potuit. Quod statim capitulo primo praecautum est <sup>223</sup>.

Eodem modo capitulo sequenti statutum est <sup>224</sup>.

Tertio tamen capitulo constitutio allata in hunc modum est reformata, quod retento quarto voto, inhabilitas praedicta eorundem Officialium, explicatis rationibus, revocata est <sup>225</sup>.

Vi ergo huius constitutionis Officiales praedicti, inter quos etiam Protoarchimandrita, ad dignitatem promoti documenta ad Archivia respectiva restituere tenebantur <sup>226</sup>.

Interim tamen praedicta constitutio pontificia a Benedicto XIV abrogata est totaque disciplina circa ad dignitates promovendos ad ius commune revocata est <sup>227</sup>, hinc constitutio eadem capituli sequentis iterum novam redactionem obtinuit, inquantum Officiales praedicti ab inhabilitate ad praelaturas

<sup>222</sup> § 29; cfr. vol. I, p. 194.

<sup>223</sup> « Ad vitandas omnes in Ordine et provinciis perturbationes serio praecavetur, ut Protoarchimandrita, Provinciales et alii Officiales Ordinis ac Provinciarum ante expirationem suae functionis, nullas Praelaturas curent, neque oblatas acceptent, qui huic contravenire praesumet, eo ipso ad quamvis promotionem inhabilis reddatur »; Const. 14.

<sup>224</sup> Berest. 1747, const. 14.

<sup>225</sup> « Ad reformandam hanc Constitutionem, quae Officiales Ordinis et Provinciarum a capacitate promotionis ad altiore dignitatem hucusque arcebat, praesens Venerabile Generale Capitulum, gravissimis permotum rationibus, videlicet ne Religiosos nedum in officiis Religionis probatis prae emeritis in Ordine ac rerum gestarum gloria commendatis viris ad dignitates ecclesiasticas et Praelaturas advitales monasticas ascendere contingat, metuendum veniret ne vel Ecclesia probatis destituatur Patribus proindeque disciplinae ecclesiasticae diminutionem patiat vel Religio opportuno regimine destituta cum minus habilibus remanens disciplinae regularis detrimentum ferat, deinde Officiales Ordinis et Provinciarum abhinc pro tempore eligendos a praedicta promotionis inhabilitate immunes decernit, pronuntiat et declarat. Salva tamen 4ti voti indispensabili observantia, iuxta obloquentiam Constitutionis infra numero 22. (Quae praescripsit: a) ne ad praelaturas ex alia provincia promoveantur; b) promovendi consensum tum Provincialis, tum Protoarchimandritae eorumque Consultorum imprimis obtinere tenebantur). Expresse atque his insuper clasulis ut, si quem ex Officialibus Ordinis vel Provinciarum promoveri contigerit, circa dandum ipsi consensum, strictissimam regiminis monasterii, si quod habuerit, det rationem omniaque, si quae apud se habuerit authographa, munimenta et documenta sive Ordini sive Provinciae sive Monasterio cuique serventia ad respectiva Archivia consignet, in locum vero illius mox alius Superior loco destinetur »; Berest. 1751, const. 14.

<sup>226</sup> Nota tamen, hac constitutione capitulari constitutioni pontificiae de petendo consensu Protoarchimandritae et Ordinis, anno 1728 latae, minime derogatum fuisse, inde in illa dicitur: « circa dandum ipsi consensum ».

<sup>227</sup> « *Inclutum* », 1753; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 526; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 134 sg.

durante eorum officio immunes declarantur vi ipsius constitutionis pontificiae Benedicti XIV, in ceteris vero omnia requisita in constitutione capituli praecedentis retenta sunt <sup>228</sup>.

Ultima denique hac in re constitutio lata in capitulo Berest. 1772, retentis omnibus elementis constitutionis capituli praecedentis, votum **expresse edixit**, ne Officiales praedicti, hinc etiam Protoarchimandrita, ad dignitates huiusmodi durante eorum turno evehantur <sup>229</sup>.

11) - Actionem denique Ordinis pro bono totius Ecclesiae Ruthenae-Unionis dirigere debuit.

1<sup>o</sup>. Huic fini inservire debuit imprimis cura Protoarchimandritae de iuven- tute educanda per collegiorum scholarumve directionem supremo illius ductu effectuandam. Quam vero curam presse sublineavit *Codex constitutionum*, qui proposito fine actionis totius Ordinis: « Cum in regionibus, per quas nostra diffunditur Congregatio Orthodoxiam pro viribus tueri et propagare teneamur », Protoarchimandritae, praeter studia Religiosorum interna, inculcat: « Id etiam non in minimis curae suae partibus habeat collatum, ut, quoniam vi Regulae nostrae in educationem puerorum saecularium incumbere obligamur, diligenter istud suum officium nostra persolvat Congregatio, quo aperte scilicet suum Deo placendi et de Patria benemerendi studium publica operae tam utilis professione declarare valeat. Hinc advigilet, ut Scholae, quae pluribus in locis pro iuvenibus saecularibus adapertae sunt et aperiendae sperantur, summa diligentia a Provincialibus promoveantur ac in flore conserventur » <sup>230</sup>.

Eiusdem etiam erat attendere, ut Abbates obligationi suae quoad iuvenum educationem incumbant secundum constituta capituli Zydzycynensis 1788 <sup>231</sup>.

Inter Collegia secunda hac periodo a Basilianis directa famosissimum erat Volodymyriense, scholae vero omne genus penes fere unumquodque monasterium maius iuveniebantur. Ad quam autem iuventutis in genere a Basilianis illo tempore educationem laudabili commemoratione alludit Romanus Pontifex, nunc feliciter nobis regnans, Pius PP. XII, in suis litteris encyclicis « *Orientales omnes* » <sup>232</sup>.

<sup>228</sup> Berest. 1759, const. 17.

<sup>229</sup> « Tametsi totius praesentis Congregationis votum sit, ut Officiales Ordinis et Provinciarum in suis ad lapsum turni immobiles persistent Officiis, minime tamen inhabiles eos censet ad altiores dignitatum ecclesiasticarum obninosos gradus... ». Const. 35.

<sup>230</sup> *Codex*, p. 88, nn. XXXVII, XXXIX, XL.

<sup>231</sup> « Eadem Sessione promovens educationem gentis Ruthenae Ill. mus Praeses, nemores esse voluit Constitutionis Regni, qua Rev. mi Abbates obligantur pauperum Nobilium filios penes suas Abbantias quotannis in Literis instruere convenientemque nobili statui educationem praebere, prout fieri potest. Cui obligationi praesertim quoad filios Nobilium Ritus nostri libenter annuerunt »; Sess. 12.

<sup>232</sup> « In litterarum ludis ac scholis, ab se apertis, iuvenibus, saepe numero ingenio praestantibus, non modo egregiam humanarum divinarumque disciplinarum institutionem impertierunt, sed solidam etiam virtutem suam ita cum illis communicarunt, ut ceteris iidem nullo modo cederent, qui in latinis scholis

2º. Alia forma huiusmodi pro bono totius Ecclesiae Ruthenae et Unionis a Protoarchimandrita dirigendae actionis erat actio missionaria, imprimis inter fideles Ecclesiae Ruthenae, quam supponebat constitutio omnium capitulorum de conditione praerequisita ad officia Ordinis, provinciarum et superioratus obtinenda, scil. sex annorum laboris « sive docendo sive praedicando sive missionibus exercendo »<sup>233</sup>.

Sed neque aliae provinciae extra Ecclesiam Ruthenam unitam positae eiusdem Ritus Rutheni ab eadem cura Protoarchimandritae seclusae esse debebant, inde *Codex* eidem suggerebat: « Occasionem, cum se offeret, subveniendi aliis Ritus nostri regionibus, si adsint, qui apta Dei instrumenta ad rem tantam esse possunt, nec Provinciis notabile sua absentia damnum allaturi videbuntur, libenter arripiat. Quoties autem oblata occasione nostri iuandarum animarum causa in exteris regiones mittendi erunt, curabit ut litteris Metropolitanis muniti mittantur, tum, ut Capiti Hierarchiae nostrae habeatur honor committendi, tum ut ipsis mittendis concilietur major fides auctoritate hujus dignitatis, quae merito gravis apud omnes est. »<sup>234</sup>.

3º. Huic deinde fini inservire debebat etiam cura animarum a Basilianis, si opus esset, suscipienda, uti Benedictus XIV constituit et Protoarchimandritae erat huiusmodi operarios Episcopis requirentibus suppeditare<sup>235</sup>.

4º. Ad quem denique finem Protoarchimandrita conspirare debuit per adiutores dignos lateri tam Metropolitanae quam Episcoporum adistentes suppeditandos, ad quod vi *Nexus* ex anno 1743 tenebatur<sup>236</sup>.

## VII. ERGA SINGULOS RELIGIOSOS.

1) - Singularum in Ordine personarum Protoarchimandrita imprimis notitiam quam maximam accuratamque, praesertim ex actis visitationum hau-

instituerentur. Quod profecto vel dissidentibus fratribus compertum manifestumque erat, quandoquidem non pauci ex eis, domo ac patria relicta, ad haec doctrinarum domicilia libentissime se contulerunt, ut tam suavium fructuum participes et ipsi fierent»; AAS, XXXVIII, p. 51.

<sup>233</sup> Cfr. vol. II, p. 115 ss.

<sup>234</sup> P. 90, n. LIV.

<sup>235</sup> « His autem adiecta sunt alia decreta, quae animarum Christifidelium salutem eorumque spiritualem curam concernunt; quibus edicendis occasionem et causam id praebuit, quod nobis et Apostolicae Sedi innotuit, saepe contingere, ut propter penuriam sacerdotum saecularium Ritus Graeco-rutheni necessario cogantur eiusdem nationis Episcopi monachos praedicti Ordinis ad gerendam animarum curam evocare; ac etiam aliquando nonnullos ex iis ad inserviendum ecclesiis cathedralibus arcescere. Quod itaque spectat ad monachos animarum regimini praeponendos decretum fuit, ut, quoties e clero saeculari sacerdotes ad id muneris revera deficiant, non omittant Episcopi rem cum Proto-Archimandrita communicare, et cum ipso agere, quo sibi eos monachos concedi obtineant, qui in regimine et administratione ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, defectum suppleant saecularium sacerdotum»; « *Super familiam* », § 7, l. c., p. 660; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 161 sg.

<sup>236</sup> « Confessarium, Theologum et alios, si quos lateri suo assistentes et ad Cathedras residentes necessarios requiret et habere voluerit tam Ill. mus Metropolitanus quam Episcopi, suppeditare obligabitur Rev. mus Proto-Archimandrita sive respective Vicarius Generalis debitis qualitatibus pro ejusdem muneribus obundis praeditos et idoneos ». N. 11.

rire debebat, hinc Provincialibus obligatio est imposita, illa quotannis Protoarchimandritae transmittendi, uti in capitulo tam primo statim, quam ceteris statutum est<sup>237</sup>. Berest. vero 1772 ad acta visitationis addit etiam « *scrutinia* » seu examen scriptum peractum a Provinciali cum unoquoque Religioso, durante eadem visitatione.

Ad calcem huiusmodi constitutionum capitularium *Codex* sequentem Protoarchimandritae obligationem formavit: « *Ut Superiores studio monasticae disciplinae praestantes, prudentia in rebus agendis insignes et quantum fieri potest, bene rei administrandae peritos, praeficere Monasteriis semper valeat, capiat quotannis ex Actis visitationum provincialium et scrutiniorum de personis informationes, deque illis a Provincialibus ipsis et Consultoribus suis doceri patiatur, si ex dotibus moribusque ei notae non sunt, quo quam exactissimam hominum Congregationis promovendorum notitiam consequatur* »<sup>238</sup>.

2) - In suo iuramento, inde ab anno 1772, Protoarchimandrita expresse adiungebat: « *Iustitiam distributivam in disponendis et praemiandis personis pro conscientia observaturum* »<sup>239</sup>.

Quandonam applicationem habuerit huiusmodi obligatio iuramento firmata? Ad Protoarchimandritam enim nec personarum per monasteria dispositio, nec ad abbatias promotio, nec Superiorum in monasteriis simplicibus nominatio pertinebat. Unice tantum Superiorum monasteriorum vocalium designatio eiusdem erat competentiae. In praxi autem etiam Archimandritarum promotio non tantum ante annum 1753 vi constitutionis Benedicti XIII, verum etiam post constitutionem « *Inclytum* »<sup>240</sup> a Protoarchimandrita semper dependebat, eo quod Metropolita, cuius ab anno citato privative ad archimandrias promovere erat, ordinarie et citra omnem necessitatem iuridicam ad archimandrias eos tantum promovebat candidatos, quos Protoarchimandrita praesentabat. Hinc *Codicis* statuta, quae tamquam commentarium optimum constitutionum capitularium haberi possunt, iuramenti illius in duabus hisce rebus applicationem indicant<sup>241</sup>.

<sup>237</sup> « Ut tamen Protoarchimandrita possit esse melius informatus de his, quae in Provinciis peraguntur, quilibet Provincialis Acta visitationis suae quovis anno ad eundem Proto-archimandritam comportabit »; 1743, 1747, 1751, c. 6; 1759, c. 9; 1772, c. 23.

<sup>238</sup> P. 87, n. XXXIII.

<sup>239</sup> Const. 8.

<sup>240</sup> Benedictus XIII: « *Cum sicut* », 1728; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 411; Benedictus XIV: v *Inclytum* », 1753; IBIDEM, v. III, p. 526; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 58, 134.

<sup>241</sup> 1<sup>o</sup>. « Ipsius est dare operam, ne vacantes Abbatiae, quae proborum et benemeritorum monachorum praemia esse debent, conferantur aliis, nisi viris dotibus illis omnibus, quas poscunt Leges nostrae et Patriae, instructis. Hinc sciat, se teneri statim ac acciderit aliquem obiisse Abbatem, precibus cum Metropolitano agere quam diligentissimis, ut quem virum ipse cum suo Consultorio

3) - In iisdem Superioribus promovendis rationem habere praeterea debuit candidatorum laboris per sex annos exercitati secundum normas et mutationes alibi expositas <sup>242</sup>.

4) - Cum studentibus in Collegiis extraneis, itemque cum iis, qui missionum causa extra provincias missi sunt, crebrem communicationem epistolarem habere debuit <sup>243</sup>.

5) - Causas Religiosorum via appellationis ad se devolutas, nonnisi in foro iudiciali videre debuit <sup>244</sup>.

6) - Religiosos suae residentiae in loci mutatione constitutionibus praescripta impedire non potuit <sup>245</sup>.

---

censebit dignum, qui in locum demortui sufficiatur, is autoritate sua tuendum ac in gratiam respectivi Patroni ponendum suscipiat ».

<sup>242</sup> « Ad ipsum quoque pertinet Monasteriis insignioribus, hoc est, quae ferendi in Capitulis suffragii jure gaudent, Superiores praeficere una cum Consultorio, praeficiendosque eidem Consultorio proponere. Quare summo nitatur opere, ut dum propositio facienda est, ea omnino justitiae distributivae concors sit, spectetque non monachorum commodum, sed unam regularis disciplinae incolumitatem et monasteriorum utilitatem »; *Codex*, p. 86, nn. XXIX, XXX.

<sup>242</sup> Cfr. vol. II, p. 115.

<sup>243</sup> *Codex*, p. 89, n. LIII, 90, LVI.

<sup>244</sup> « Sancitum est, ut Protoarchimandrita causas via appellationis ad se devolutas, non nisi servato legitimo juris processu cognoscat. Quare Patres censuerunt, praescribendam esse huiusmodi Processus formam et cum monasteriis ab Officio Protoarchimandritali communicandam. Appellantibus vero ad Protoarchimandritam minime ab ejus foro recedere et ad aliud appellare licebit, nisi exacto et absoluto secundum omnes gradus eodem Processu »; Berest. 1772, const. 22.

<sup>245</sup> « Religiosis quoque in Protoarchimandritali monasterio residentibus permissum est, sua, si quae habuerint, circa locum immutandum desideria scripto Provincialibus exponere, nec in eo impediri debere a Protoarchimandrita »; *IBIDEM*, const. 30.





CAPUT IV.

**DE OFFICII PROTOARCHIMANDRITAE TEMPORE  
IN EOQUE SUCCESSIONE**

**ART. 1. - DE OFFICII PROTOARCHIMANDRITAE TEMPORE.**

PRIMA PERIODO.

- 1) Ad vitam.
- 2) Ad quadriennium.

SECUNDA PERIODO.

- 1) Ad quadriennium.
- 2) Ad octennium.

**ART. 2. - DE SUCCESSIONE IN OFFICIO PROTOARCHIMANDRITAE.**

- 1) De successionis conceptu.
- 2) De causis successionis.
- 3) De successoribus.



CAPUT IV  
DE OFFICII PROTOARCHIMANDRITAE TEMPORE IN EOQUE SUCCESSIONE

**Art. 1**

**De officii Protoarchimandritae tempore**

**Prima periodo.**

I. - AD VITAM (1617-1675).

Tempus officio Protoarchimandritae praefinitum tam prima, quam secunda periodo non semper erat idem, aequale, sed ob causas infra specificatas aliquando mutationi subiacebat. Itaque periodo prima secundum constitutiones primitivas officium hoc perpetuum esse debuit seu Protoarchimandrita ad vitam constituendus erat. De hac re constitutio respectiva primi capituli sonabat: « *Protoarchimandrita ad vitam constitui debet* »<sup>1</sup>. SCPF in suo decreto adprobante tam Congregationem SS. Trinitatis, quam praedictum officium, nihil de eiusdem tempore statuit, relinquendo eius determinationem capitulo generali potestate legislativa praedito. Vi autem illius constitutionis capitularis post decretum SCPF cum ceteris aliis a sequentibus capitulis reassumptae primus Protoarchimandrita simplex monachus Raphaël Korsak electus est a capitulo Lavryszivensi 1626 ad vitam. Verumquidem in eius electione nihil dicitur de temporis spatio ad quod electus erat, omnia tamen in hac electione intelliguntur secundum constitutiones capituli primi, quod expresse advocatur<sup>2</sup>.

2) - Idem postea ad dignitatem episcopalem euectus etiam officium Protoarchimandritae, a capitulo confirmatus<sup>3</sup>, usque ad mortem suam retinuit<sup>4</sup>.

3) - In electione sequentis Protoarchimandritae, nempe Metropolitanae Antonii Sielava, officium illud ad vitam huius duraturum in s. d. cautione

<sup>1</sup> AS, t. XII, p. 11, n. 14.

<sup>2</sup> « Qui secundum constitutionem et ordinationem capituli primi Novogrodicensis, nomen Dei advocando, iuramentum praestitit et gubernium, Deo adiuvante, in gloriam hac digni Nominis Eius incoepit »; *IBIDEM*, p. 30.

<sup>3</sup> Vilnen. 1636, s. 6, *IB.*, p. 39.

<sup>4</sup> Epithome...; *IBIDEM*, p. 183.

expresse supponitur, dum in eadem dicitur: « *Ad haec post sera fata moderni Protoarchimandritae Ill.mi D.ni Metropolitae sede vacante (puta protoarchimandritali) regimen Religionis debet pertinere ad Consultorem primum Religionis nostrae* »<sup>5</sup>. Hinc officium Protoarchimandritae electi vacans praevideatur non nisi « *post sera fata* » eiusdem, qui nempe ad vitam electus est.

4) - Post mortem huius Protoarchimandritae in Ordinis scissione, dum nempe duo Protoarchimandritae in diversis capitulis a diversis monachorum partibus electi sint, alter Metropolitae administrator Gabriel Kolenda, alter vero Episcopus Chelmensis Jacobus Susza, ille ad vitam hic vero ad quadriennium tantum electi sunt<sup>6</sup>.

5) - Scissione Ordinis remota novum capitulum ad electionem Protoarchimandritae a Nuntio Ap. convocatum illum in persona memorati Gabrielis Kolenda, iam Metropolitae, ad vitam elegit<sup>7</sup>. Qui tamen Metropolita seriem Protoarchimandritarum ad vitam constitutorum clausit.

6) - Ultimum tentamen perpetui Protoarchimandritae constituendi petatum est a Metropolita Cipriano Zochowskyj, anno 1683, in capitulo Minscensi, quo in talem ille electus est ab una fractione Religiosorum, sed brevi a Romano Pontifice destitutus<sup>8</sup> officiumque illud perpetuo duraturum seu ad vitam Protoarchimandritae nunquam repristinatum est.

## II. AD QUADRIENNIUM (1675-1743).

1) - Sub praedicto Metropolita Cipriano statim initio eius pontificatus officium Protoarchimandritae ad simplicem monachum transit, sed ex perpetuo in quadriennale constitutione capitulari a SCPF approbata mutatum est. Constitutio respectiva capituli praedicti Zyrovicensis 1675 de officio quadrienniali expressa est in formula iuramenti protoarchimandritalis: « *usque dum in hoc officio perduram, i. e. ad annos quatuor* »<sup>9</sup>.

2) - In *Constitutionibus Recognitis* de tempore officii protoarchimandritalis statutum est: « *Protoarchimandrita erit ad quadriennium, juxta breve Urbani VIII, Alexandri septimi, Innocentii XI* »<sup>10</sup>.

Citatio tamen huiusmodi decretorum in ordine ad necessitatem quadriennii officii protoarchimandritalis probandam crism non sustinet. Decretum

<sup>5</sup> Causio Metropolitae Sielava 1642 (5.VIII); APF, CP, 1680-97, v. 29, f. 248.

<sup>6</sup> Cfr. vol. I, p. 150.

<sup>7</sup> « Omnium vota concordia in Ill.mum Metropolitam inveniunt et voce publica omnes secundum constitutionem anni 1617 in congregatione Unitorum latam se ad vitalem elegisse Protoarchimandritam proclamaverunt »; Berest. 1667, s. 3; *IB.*, p. 90.

<sup>8</sup> Cfr. vol. II, p. 151.

<sup>9</sup> *IBIDEM*, p. 111, (s. 3).

<sup>10</sup> *CR*, c. V, *IB.*, p. 171.

enim Urbani VIII intelligitur illud ex anno 1631, quo decretum SCPF ex anno 1624 confirmatum est, concedens novae Congregationi per id ipsum approbatae facultatem convocandi capitula generalia quadriennialia, in quibus etiam electio Protoarchimandritae fieri posset, nullo tamen termino praestabilito eidem officio »<sup>11</sup>.

Alexander autem VII in duobus brevibus electiones illas Protoarchimandritae in scissione Ordinis annullans praecepit, ut monachi ipsi sibi secundum propria iura (puta decretum praedictum) Protoarchimandritam eligant, quo pacto implicite ad decretum illud Urbani VIII revocavit<sup>12</sup>.

Eodem sensu etiam intelligendum est tertium decretum allatum, seu Breve Innocentii XI, quo electio Metropolitanae Cipriani in Protoarchimandritam annullata est et capitulum ad eligendum novum secundum iura Basilianorum convocandum praeceptum<sup>13</sup>.

Sed nullibi in decretis citatis tempus officii protoarchimandritalis explicite vel implicite ad quadriennium limitatum est, quod non nisi vim constitutionis capitularis habuit, ita, ut ab alio capitulo mutari potuisset.

De facto autem constitutio haec de quadriennio officii protoarchimandritalis usque ad finem periodi retenta est et semper erat in vigore.

3) - Immo in nova etiam Congregatione, post Synodum Zamostianam erecta (Protectionis B.V. Mariae) anno 1739, officium Protoarchimandritae ad quadriennium tantum duraturum constitutum est<sup>14</sup>.

## Secunda periodo.

### I. AD QUADRIENNIUM (1743-1751).

In capitulo Dubnensi 1743 Congregatio Ruthena (Protect. BVM), uti conditionem unionis proposuit: « *Ut officium Proto-Archimandritae et aliorum officialium scilicet Vicarii, Consultorum et Secretariorum non diutius duret, quam per quadriennium. Post quadriennium vero novi iterum Proto-Archimandrita, Vicarius, Consultores et Secretarii eligantur* »<sup>15</sup>.

<sup>11</sup> Vide haec decreta vol. I, p. 66-67.

<sup>12</sup> Alexander VII « *Sollicitudo pastoralis* » 1655 (30.V); *Bul. Rom.*, t. 17, p. 36; « *Alias per Nos* », 1666 (4.VI); APF, *Acta 1666*, v. 36, f. 57; cfr. in A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. I, p. 582, 586.

<sup>13</sup> « *Ad Apostolatus* » 1683 (30.X); DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 66; cfr. A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. I, p. 651.

<sup>14</sup> « Quoniam in Congregatione praesenti statutum est pro monasteriis ad eandem Congregationem accedentibus, singulis quadriennis Provincialis seu Protoarchimandrita eligatur... »; Const. 1.

<sup>15</sup> Conditio 13.

Quam tamen propositionem, explicatis rationibus, aegre agnovit Congregatio Lithuana <sup>16</sup>.

Tunc in resolutione communi statutum est: « *A Generali futuro seu Proto-Archimandrita omnia officia nempe Consultoriatus, Secretariatus et Provincialium ad quadriennium durare debent. Post expiratam vero alternativam in Generalem, si videbitur Patribus utriusque Provinciae in Capitulo generali poterint aliud praescribere tempus* » <sup>17</sup>.

In cuius resolutionis sensu intelligenda erat statim subsequens electio primi Protoarchimandritae ab utraque Congregatione, ex nunc provinciis, Polycarpi Mihuniewicz e provincia Lithuana, scil. ad quadriennium.

Denique in eodem capitulo ut consequentia praedictae resolutionis formata est prima constitutio, quae sonabat: « *Quandoquidem Patres utriusque Provinciae Lithuanae scilicet et Ruthenae unanimi sensu in unam Congregationem Unitorum sese reducerunt et unum pro utraque Provincia Proto-Archimandritam ex Provincia Lithuana concordibus votis elegerunt, idcirco ut etiam Provincia Ruthena e medio sui sine magna dilatione similem Proto-Archimandritam videre possit, de consensu omnium statuitur ut officium electi et in post eligendi Proto-Archimandritae non diutius duret quam ad quadriennium. Post expiratum vero quadriennium, iterum nova electio Proto-Archimandritae in Capitulo generali instituat, servato semper et rigorose ordine alternativae, videlicet, ut semel ex una, altera vice ex 2da Provincia Proto-Archimandrita eligatur. Eadem ratione statuitur, ut etiam officium Provincialium, Consultorum et Secretariorum tam Rev.mi Proto-Archimandritae, quam respective Provincialium non sit advitale, sed tantum quadriennale. In futuris tamen Capitulis generalibus, si videbitur Patribus utriusque Provinciae, poterit aliter constitui* » <sup>18</sup>.

Capitulo sequenti eadem constitutio repetita est et de facto novus Protoarchimandrita secundum normam alternativae ex altera, scil. Ruthena pro-

<sup>16</sup> « Facile propter bonum pacis et peroptatam Unionem Congregatio SS.mae Trinitatis condescenderet, quatenus Generalis cum suo Consultorio et Secretario officium duret ad quadriennium, interim dignissima Provincia Polona viderit, ne pro crebris Capitulis generalibus multiplicentur sumptus et deinde, ne continua primarum personarum Religionis mutatio et imperitorum electio detrimentum Religionis causet, ideoque videtur esse magis proficuum, ut Officium Proto-Archimandritae duarum Provinciarum Superioris duret ad octennium, quemadmodum cum esset Superior Congregationis contentae in una Provincia duraverat ad quadriennium. Quod autem attinet Consultores generales, cum pro advitalitate illorum habeatur Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, spectat ad eandem de diuturnitate disponere, nihilominus tamen ratione durationis officii Generalis atque Consultorum illius conferendum erit cum Religiosissimis Patribus Provinciae Polonae »; Conditio 13.

<sup>17</sup> Resol. 8.

<sup>18</sup> Const. 1.

vincia iterum ad quadriennium electus est, cum clausula tamen, quod futurum capitulum, servata aequalitate pro utraque provincia, tempus officii protoarchimandritalis aliud praefinire potuerit.

## II. AD OCTENNIUM (1751-1804).

1) - Tertium capitulum revocans ad constitutiones capitulorum praecedentium, quae futuris permiserunt tempus huiusmodi mutare — idem de facto mutavit a quadriennali in octennale, prout et constitutione respectiva constat<sup>19</sup>.

2) - Constitutionibus huiusmodi a SCPF examinatis, eadem ad quaestionem sibi propositam: « An liceat Capitulis Generalibus determinare, ut Protoarchimandrita eiusque Officiales potrahant suum gubernium ad octennium vel iterum tempus gubernii ad quadriennium reducere? » respondit: « Ad sextum: Licere, servata aequalitate temporis in alternativa utriusque Provinciae »<sup>20</sup>.

3) - Posteriora capitula idem tempus octennale officii protoarchimandritalis usque ad finem periodi retinuerunt<sup>21</sup>, semper tamen iuxta allatam resolutionem SCPF et constitutiones capitulorum praecedentium libertate relicta capitulo generali, servata alternativa, tempus illud mutandi, uti sequens capitulum retulit: « nihilominus tota Congregatio cavet liberum sibi fore in Capitulis futuris generalibus, ut duratio officii Proto-Archimandritalis et Officialium Ordinis post octennium, si ita expedire judicaverint congregati Patres, immutetur, juxta resolutionem, ad 6tum, Sacrae Congr. de Prop. Fide, habitae die 26 Novembris a. 1752 »<sup>22</sup>.

In praxi autem ob diversa adiuncta intacta servata norma, tempus illud aliquoties protrahi debuit. Itaque post capitulum Berest. 1759 officium hoc, data, « *ob tempestates et publicas calamitates Regni aliaque impedimenta* », impossibilitate convocandi capitulum generale, protractum est ad 13 annos, nempe usque ad annum 1772; aliis vero vicibus paucis mensibus, uti post iterum sequens capitulum Torokanense 1780<sup>23</sup>. Sed maxime huiusmodi offi-

<sup>19</sup> « Cumque Ima Constitutio legeretur, qua determinatum erat, ut officium Generalis cum suis Officialibus non diutius protraherentur, quam ad quadriennium, apposita tamen fuisset clausula, in futuris Capitulis, si videbitur Patribus utriusque Provinciae, posse aliter constitui, PP. Congregati, perpensis viarum incommodis atque non levibus expensis, unanimi voce quadragennale tempus, servato inviolabiliter ordine alternativo, ad octennium extenderunt ». Beresten. 1751, const. 1.

<sup>20</sup> Decretum SCPF 1752 (26.XI), ad 6; *Bullae...*, P. II, p. 82; A. G. WELYKYJ, *Congreg. Particulares*, vol. II, Romae 1957.

<sup>21</sup> Beresten. 1759, 1772 const. 1.

<sup>22</sup> Berest. 1759, const. 1.

<sup>23</sup> Cfr. Berest. 1772, introductio; Zydyczynense 1788, introductio.



cium protractum est post capitulum Zydyczynense 1788, nempe usque ad novum capitulum generale ultimum seu Torokanense 1802, post quod brevi (1804) ipsum officium vi decreti imperialis suppressum est<sup>24</sup>.

## Art. 2

### De in officio Protoarchimandritae successione

Agendum est: 1) de successionis conceptu; 2) de eiusdem causis; 3) de successoribus.

#### I. DE SUCCESSIONIS CONCEPTU.

Quidnam in casu constitutiones intelligant sub termino successio? Secundum constitutiones successio in casu intelligitur substitutio Protoarchimandritae in officio adimplendo donec eligatur novus. Hinc a conceptu huiusmodi successionis eliminatur electio novi Protoarchimandritae, intelligitur autem constitutio Vicarii Generalis, vacante protoarchimandria, qui distingui debet ab alio Vicario Generali, nempe vivente Protoarchimandrita.

Successio huiusmodi secundum constitutiones Basilianorum, utraque periodo spectata, duplici modo fieri potuit:

*a)* ipso facto, dum scilicet Vicarius Generalis, constitutionibus designatus, Protoarchimandritam ab officio cessatum ipso facto in officio substitueret;

*b)* per electionem, dum scilicet huiusmodi Vicarius electione constitueretur.

#### II. DE CAUSIS SUCCESSIONIS.

Imprimis notandum est expirationem temporis praefiniti officio protoarchimandritali causam successionis huiusmodi ordinarie non constituisse, propterea, quod antecessoris erat tempore expirante electionem novi Protoarchimandritae praeparare et curare. Causam autem huiusmodi successionis constituere potuerunt:

- a)* Protoarchimandritae ab officio renuntiatio;
- b)* eiusdem depositio;
- c)* eiusdem ad dignitatem incompatibilem ascensus;
- d)* eiusdem mors.

<sup>24</sup> Cfr. vol. I, p. 115.

Ad *a*) Etiam si tam prima, quam secunda periodo constitutiones prohibebant Protoarchimandritae officio suo renuntiare, tamen data iusta et gravi causa ille semper renuntiare modoque allato succedi potuit.

Prima periodo huiusmodi prohibitio continebatur in « *Observandis* », dum neoelecto Protoarchimandritae officium non acceptare prohiberetur: « *Pronuntiatus vero nihil contradicet sub poena expressae inobedientiae* »<sup>25</sup>, et in quantum secundum mentem eiusdem constitutionis eo vel magis renuntiare eodem non debuerit.

Secunda periodo huiusmodi prohibitio clare expressa est nonnisi constitutionibus capituli Berestensis 1772: « *Cautum est ne liceat Officialibus Ordinibus et Provinciarum ante lapsum turni suis officiis renuntiare vel ea dimittere, praeter casum mortis vel ascensus ad Beneficium Ecclesiasticum incompatible cum officio* »<sup>26</sup>, sed subintelligenda est etiam in prioribus capitulis, quibus nempe statuatur, ut officia huiusmodi deponantur nonnisi ante electionem novi Protoarchimandritae<sup>27</sup>.

Ad *b*) Periodo prima, ut vidimus, post capitulum deponens Protoarchimandritam potuit quidem, sed non debuit necessario statim capitulum eiusdem electivum celebrari, uti in casu alibi allato non est celebratum<sup>28</sup>, inde dabatur ratio Vicarii Generalis, vacante protoarchimandria.

Sed neque periodo secunda, in casu depositionis Protoarchimandritae novus statim eligi debuit, sed analogia desumpta e casu mortis vel ascensus eiusdem, ratione aequalis temporis in eodem officio ab utraque provincia obeundo, novus Protoarchimandrita nonnisi exeunte tempore huiusmodi praefinito (quadriennali vel octennali) eligi potuit, substituto interim eius officio a Vicario Generali<sup>29</sup>.

Ad *c*) Dignitas hic intelligitur episcopalis, quae per totam periodum primam inhabilitatem quidem ad officium Protoarchimandritae non constituit; *Nexus* tamen ex anno 1686 huiusmodi dignitate ornatos ab officio Protoarchimandritae vi contractus bilateralis excludebat<sup>30</sup>, quod occasionem dare potuit ad eundem in officio substituendum usque ad electionem novi.

E contra periodo secunda statim ab huius limine eadem dignitas inhabilitatem ad officium protoarchimandritale inferebat, idcirco ipse Protoarchimandrita ad illam evectus officio suo eo ipso privabatur, quod vacans deveniebat usque ad finem turni, seu temporis eidem praefiniti<sup>31</sup>.

<sup>25</sup> *Observanda*, c. 2, n. XVI, 1. c., p. 178.

<sup>26</sup> *Const.* 36.

<sup>27</sup> *Dubnen.* 1743, *Berest.* 1747, 1751, c. 15; 1759, c. 18.

<sup>28</sup> *Cfr.* vol. II, p. 148.

<sup>29</sup> *Cfr.* vol. II, p. 52.

<sup>30</sup> *Cfr.* vol. II, p. 112.

<sup>31</sup> *Cfr.* *ib.*, p. 114.

Notandum tamen est, initio periodi secundae promotio huiusmodi ad dignitatem episcopalem, uti causa cessationis Protoarchimandritae ab officio sub considerationem non veniebat, eo quod eidem uti et ceteris Officialibus Ordinis et Provinciarum eandem curare vel oblatam acceptare usque ad finem turni prohibitum fuit<sup>32</sup>. Quae tamen constitutio capitulo tertio reformata est dictaque inhabilitas revocata, quod dein etiam constitutione pontificia confirmatum est<sup>33</sup>.

Ad *d*) Causa denique mortis Protoarchimandritae semper et in omni hypothesi Vicarium Generalem requirebat.

### III. DE SUCCESSORIBUS.

#### Prima periodo.

1) - Secundum capitulum primum successor in officio Protoarchimandritae designatus constitutionibus, explicite pro casu mortis, implicite autem et analogice pro casu renuntiationis, depositionis vel etiam, spectatis constitutionibus capitularibus, ascensus, qui ipso facto succederet Protoarchimandritae in officio adimplendo usque ad novi electionem, erat Protoarchimandritae Confessarius: «*Post mortem Protoarchimandritae confessarius eiusdem debet esse Vicarius Generalis et Rector totius Religionis*»<sup>34</sup>. Quinam tamen intelligendus esset sub huiusmodi confessario, vide supra<sup>35</sup>.

2) - Cum tamen statim capitulo secundo Vicarius Generalis, vivente Protoarchimandrita, electus est, qui ad instar Protoarchimandritae Ordinem regeret, idem sine dubio etiam illo demortuo hunc regere pergebat usque ad electionem novi Protoarchimandritae, prout cum omni probabilitate admittere possumus factum fuisse post mortem secundi Protoarchimandritae, primi ad vitam constituti, Metropolitanæ Raphaëlis Korsak.

3) - Ad quam conclusionem inducit nos passus e cautione facta a tertio Protoarchimandrita, item Metropolitana, Antonio Sielava, in sua electione anno 1642, ubi inter alia dicitur: «*Ad haec post sera fata moderni Protoarchi-*

<sup>32</sup> «*Ad vitandas omnes in Ordine et provinciis perturbationes serio praecavetur, ut Proto-Archimandrita, Provinciales et alii Officiales Ordinis ac Provinciarum, ante expirationem suae functionis, nullas Praelaturas curent neque oblatas acceptent; qui huic contravenire praesumet eo ipso ad quamvis promotionem inhabilis reddatur*»; Dubnen 1743, Berest. 1747, const. 14.

<sup>33</sup> *Inclytum*, 1753; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 526; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. II, p. 134.

<sup>34</sup> Novogrodovicen. 1617, s. 4, n. 20; AS, t. XII, p. 12.

<sup>35</sup> Cfr. pag. 25.

mandritae Ill.mi D.ni Metropolitae sede vacante regimen Religionis debet pertinere ad Consultorem primum Religionis nostrae ad futuram electionem novi Protoarchimandritae vel, si vivente Proto-Vicarius (?) Generalis electus esset, secundum eandem Congregationem Novogrodecensem... »<sup>36</sup>.

Ab inde ergo norma semper retenta est de successione huiusmodi primi Consultoris Ordinis, aut si Protoarchimandrita-Metropolita Vicarium Generalem haberet, eiusdem.

4) - Ex quo etiam concludendum est, ad huiusmodi successorem post mortem quarti Protoarchimandritae-Metropolitae Gabrielis Kolenda, nempe eiusdem Vicarium Generalem, qui adhuc illo vivente constitutus est, pertinuisse.

5) - Pro toto vero tempore Protoarchimandritarum quadriennialium successor pro casu eorundem mortis, et analogice renuntiationis, depositionis vel ascensus ad dignitatem episcopalem — in *Nexu* a. 1686 designatus est primus Consultor Ordinis: « *In casu obitus Protoarchimandritae primus Consultor, conscio Metropolita, Vicarium generalem moderatoremque totius Religionis aget et cum aliis Consultoribus, usque dum novus eligatur Protoarchimandrita* »<sup>38</sup>.

### Secunda periodo.

Dum hac periodo spatium temporis, quo officium Protoarchimandritae penes unam alteramve provinciam aequale esse debuerit, ideoque successio praedicta, Protoarchimandrita ab officio praemature cessante, maiorem momentum, quam periodo prima habuit. Accidere enim potuit, prout et accidit, ut per plures annos Vicarius Generalis usque ad finem turni Ordinem regeret.

1) - Succedere autem Protoarchimandritae, uti Vicarius Generalis, debebat imprimis Proto-Consultor seu primus Consultor Ordinis, qui de industria ex eadem provincia ac Protoarchimandrita eligi debuit. In *Nexu* capituli primi 1743 statutum est: « *In casu obitus Protoarchimandritae 1-mus Consultor Generalis ex ea Provincia electus, ex qua et ipse defunctus erat Protoarchimandrita, reget cum scitu Metropolitanis Religionem, pro Capitulo autem futuro in tempore praescripto convocabit idem Consultor, praevia conventionione tam cum Ill.mo Metropolitanis, quam Venerabili Consultorio utriusque Provinciae* »<sup>39</sup>.

2) - Constitutionem hanc expresse confirmavit Benedictus XIV cum

<sup>36</sup> APF, CP, 1680-97, v. 29, f. 248.

<sup>37</sup> N. 15.

<sup>38</sup> CR, c. X; 1. c., p. 172.

<sup>39</sup> N. 10.

quadam tamen eiusdem stylisatione correcta: « *Vita functo Proto-Archimandrita decrevit, quod primus Consultor generalis, ex ea provincia eligendus, ex qua erat defunctus Proto-Archimandrita, reget cum scitu Metropolitanæ Religionem; deindeque ea subiungitis, quæ intimationem futuri capituli generalis pro successoris electione concernunt. Loco itaque præmissarum vocum « reget cum scitu Metropolitanæ Religionem » alias hasce substituetis: reget Religionem, certiorato prius de obitu Proto-Archimandritæ Metropolitanæ, eique servaro debito honore et reverentia »<sup>40</sup>.*

Correctio hæc erat consequentia omnimodæ exemptionis a potestate Metropolitana, Basilianis ab eodem Pontifice concessa, ne scilicet illud « *cum scitu* » dependentiam aliquam ab illo intulisset.

3) - In constitutionibus posteriorum capitulorum ad normam eiusdem confirmationis pontificiæ successor *primus* Protoarchimandritæ designabatur semper primus Consultor Ordinis, qui ipso facto illum succedebat<sup>41</sup>.

4) - Dixi autem successor *primus*, quia in constitutionibus capituli Berestensis 1772 sub considerationem venit etiam secundus successor, nempe primo demortuo vel ascenso: « *Pro dicto vero casu mortis vel ascensus statutum est, ut, si ipsum Protoarchimandritam mori vel promoveri contingerit, tunc ipsi succedat primus Consultor Generalis, titulo Vicarii Generalis, præstito juramento, quod pro ipso Proto-Archimandrita præscriptum est præeritque plena cum potestate Congregationi ad finem Proto-Archimandritalis turni. Si vero obierit Vicarius generalis aut incompatibili fuerit potitus officio, tunc convocatis utriusque Provinciae Consultoriis, reliquum Generale Officium per secreta suffragia, ab omnibus ferenda Consultoriis, deliget virum gerendo muneri parem, qui pariter nomine Vicarii Generalis regimen Congregationis assumet »<sup>42</sup>.*

Quæ autem norma conservata est usque ad finem periodi quamque etiam in *Codice* vidimus applicatam<sup>43</sup>

In praxi denique hæc norma sæpius applicationem habuit, uti supra indicavimus<sup>44</sup> et ad quam adhuc etiam anno 1801 revocabat ultimus Vicarius Generalis cum titulo Protoarchimandritæ, ad defendendam uti legalem suam potestatem coram Collegio Iustitiæ pro Romano catholicis erecto in imperio Rossiaco<sup>45</sup>.

<sup>40</sup> « *Inter plures* », § 23; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 148; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88.

<sup>41</sup> « *In casu vero obitus vel ascensus ad beneficium incompatible alicuius Ordinis vel Provinciarum Officialis, Proto-Archimandritæ 1-mus Consultor Ordinis sub titulo Vicarii Generalis succedet* »; Berest. 1751, c. 15; 1759, c. 18.

<sup>42</sup> Const. 36.

<sup>43</sup> *Codex*, p. 93, nn. XIV, XV, XVI, XVII.

<sup>44</sup> Cfr. p. 12.

<sup>45</sup> Cfr. vol. I, p. 114, nota 44.

**PARS II.**

**DE CURIA PROTOARCHIMANDRITALI**



## PRAENOTANDA

### NOMAE COMMUNES OMNIUM OFFICIALIUM CURIAE PROTOARCHIMANDRITALIS

In iure Religiosorum, qui in regimine Ordinum clericalium interno aliquomodo participant, dividuntur in:

1) - Superiores-Praelatos, qui vario nomine et gradu iurisdictionem habent in utroque foro, et

2) - Officiales, qui aliquo titulo regunt personas vel res et qui Superioribus adiunguntur <sup>1</sup>.

« Praelatis seu Superioribus dantur consiliarii, qui, cum agitur de Superiore generali vel etiam quandoque de provinciali, dicuntur Definitores seu Assistentes... ».

3) - Ad negotia Instituti apud S. Sedem agenda, deputatur Procurator generalis » <sup>2</sup>.

Hinc ergo est, quod post tractatum de Protoarchimandrita seu Superiore generali Basilianorum iam de eiusdem Adiutoribus seu Consultoribus, Secretariis et Procuratore generalibus, qui ordinarie cum illo Curiam generalem seu protoarchimandritalem constitutebant agendum erit.

Antequam tamen ad singula huiusmodi instituta singillatim exponenda transeamus, normae quaedam omnibus communes imprimis indicandae sunt, ratione habita primae et secundae periodi. Differentia haec imprimis supponi semper debet propterea, quod prima periodo regimen Ordinis centrale unum erat i. e. generale; dum periodo secunda etiam provinciale; immo hac periodo in ipso etiam regimine generali in pluribus respectus ad provincias haberi debuit.

## Art. I

### Normae communes in eorum officio vigente

1) - Quod spectat Curiam generalem, haec, tam prima, quam secunda periodo constitutebatur: Protoarchimandrita, 4 Consultoribus <sup>3</sup>, uno Procuratore in Urbe et Secretariis; ex his autem prima periodo unus tantum

<sup>1</sup> VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. I. n. 413, p. 244.

<sup>2</sup> *IBIDEM*, p. 245.

<sup>3</sup> Excipiuntur ab hac norma 30 anni secundae periodi, scil. ab anno 1751 ad annum 1780, quibus erant tantummodo 2 Consultores generales, unus ex una,



semper erat Secretarius, secunda vero, donec existebant (ad annum 1780), tunc unus ex una, alter ex altera provincia eligebantur, bino scil. numero. Praeterea prima periodo, donec Protoarchimandritae erant Metropolitanae in constitutionem Curiae generalis ingrediebatur etiam Vicarius generalis Protoarchimandritae.

2) - Omnes enumerati Officiales in capitulo generali eligebantur<sup>4</sup>.

3) - Prima periodo, cum una tantum haberetur provincia, in illis eligendis nullus respectus haberi debuit ad provincias; e contra secunda, omnia officia Ordinis seu generalia ad aequalitatem ex utraque seu ex unaquaque, si plures erant, eligi debebant. Officiales vero singulares uti Protoarchimandrita et Procurator generalis in Urbe alternative ex utraque, seu servato ordine turni, si plures erant provinciae, ex iisdem eligi debebant, hoc tamen observato, ut Procurator generalis ordine determinato semper esset ex diversa provincia quam illa Protoarchimandritae.

4) - Prima periodo Consultores et Secretarius generales ad vitam constituebantur (etiam post reductionem officii Protoarchimandritae ad 4 annos); Procuratori generali nullum tempus constitutionibus determinatum est, sed ad nutum capituli gen. constituebatur. Periodo vero secunda tempus omnium officiorum generalium aequale erat et durabat a capitulo ad capitulum gen.

5) - Residentia Protoarchimandritae utraque periodo, ut vidimus<sup>5</sup>, sita erat in respectiva provincia, dum solus Procurator generalis in Urbe resideret. Prima tamen periodo monasterium stabile Curiae generalis non erat determinatum, sed quovis capitulo determinabatur et Consultores ac Secretarius generales extra illud habitare immo monasteriis singularibus praeesse potuerunt. Quod ultimum conservatum est theoretice etiam initio periodi secundae, sed inde ab anno 1752 ob decretum SCPF iidem ad eandem residentiam ac Protoarchimandrita, excepto semper Procuratore generali, obligati sunt.

6) - Prima periodo sub « *consultorio* » stricte dicto, quod a Protoarchimandrita in quibusdam casibus (uti supra vidimus<sup>6</sup>) consuli, immo illud huic consensum praebere ad valide agendum debebat, intelligebantur omnes et soli Consultores generales, non vero Secretarius et Procurator generalis; e contra, periodo secunda eodem termino « *Consultorium generale* » comprehendebantur tum Consultores generales, tum Secretarii generales, qui omnes aequali voce sive deliberativa sive consultativa tantum, sive, si agebatur de

alter ex secunda provincia, at dato, quod totidem Secretarii generales eadem voce gaudebant ac Consultores, ideoque quantum semper erant, qui officio Consultorum fungebantur.

<sup>4</sup> Cfr. vol. II. p. 124, et 133.

<sup>5</sup> Cfr. p. 69, 74.

<sup>6</sup> Cfr. p. 96.

electionibus, activa in consultationibus gaudebant. Quoad vocem deliberativam Consultorum et Secretariorum generalium in capitulo Berest. 1759 statuitur: « *Occasione mox latae Constitutionis sancitum est votis pariter medietate pluribus Consultores et Secretarios Ord. juxta ac Provinciarum jure suffragii decisivi gaudere ac in consultationibus res omnes pluralitate votorum definiri debere, in casu autem paritatis solius, si quae forte in Provinciali Consultorio contingat, concessum est a Patribus, ut Provincialis duplici voto potiatur* »<sup>7</sup>. Quam constitutionem SCPF anno 1763 expresse approbavit, uti supra ostendimus<sup>8</sup>. Idem etiam, relato decreto, a capitulo Berest. 1772 repetitum est, ut supra retulimus<sup>9</sup>.

7) - Omnes Ordinis Officiales (i. e. generales) iure gaudebant capitulum generale et periodo secunda respectivum etiam provinciale eo ipso ingrediendi, in iisdemque voce deliberativa et in electionibus activa, in generali autem etiam passiva fruendi; quoad vocem passivam in capitulo respectivae scil. propriae provinciae videbimus postea.

8) - Communes etiam normae, quod huiusmodi Officiales spectat, erant in eorundem officio sufficiendo sive constitutione consultoriali, sive capitulari.

## Art. 2

### Normae communes in eorum officio sufficiendo

#### A. DE CONSTITUTIONE CONSULTORIALI SUBSTITUTORIS IN OFFICIO GENERALI.

Tam prima, quam secunda periodo Officiali aliquo generali tempore intercapitulari ab officio suo cessante, sequebatur constitutio eiusdem substitutoris usque ad sequens capitulum generale.

##### I. CAUSAE CESSATIONIS AB OFFICIO.

Causae hae ad sequentes sex reduci possunt: 1) mors; 2) ascensus ad dignitatem cum officio incompatibilem; 3) renuntiatio; 4) depositio; 5) impossibilitas vel nimia debilitas in officio suo adimplendo; 6) dispensatio S. Sedis; causa naturalis mortis excepta, ad singula quaedam notentur oportet.

Ad 2) - Dignitas incompatibilis cum officiis generalibus erat praesertim episcopalis, quae tam prima, quam secunda periodo ad eandem ascendentes semper ad officium generale deponendum cogebat.

<sup>7</sup> Const. 7.

<sup>8</sup> Cfr. p. 112, n. 139.

<sup>9</sup> Cfr. ibidem.

Prima periodo nullibi quidem lex prohibens Episcopis officia Basilianorum generalia sive retinendi sive acceptandi lata est, dato quod neque ab officio Protoarchimandritae iidem lege arcebantur inhabilitanti, immo eiusdem officium neque uti incompatibile cum illorum dignitate ulla lege declaratum est, sed ut tale tantum in praxi considerabatur; ita etiam cetera officia generalia, addito tamen, quod nemo Episcoporum haec officia acceptaret. In praxi vero Officiales huiusmodi ad dignitatem episcopalem eveci officium suum in Ordine statim deponerent. Quam immo depositionem, uti necessariam, capitula expresse supponunt. In capitulo enim Bythenensi 1698 notatur: « *Universim omnes rogabant D. P. Josaphatum Hutorowicz, nominatum archiepiscopiae Smolescensis, ut declaret: utrum maluisset cedere potius privilegio in archiepiscopiam Smolescensem, remanendo in Ordine, vel esse ordinatum ad praedictam dignitatem* ». Responsum ad hanc petitionem refertur infra facto: « *D. P. Josaphat Hutorowicz, nominatus archiepiscopiae Smolenscensis, Secretarius Ordinis S. Basilii M., Superior Polocensis, Archimandrita Onuphriensis et Pustynensis, solemnissime officium secreariatus deposuit, reddendo in manus D. P. Metropolitae sigillum ad hoc officium pertinens* »<sup>10</sup>. Ut patet officium Secretarii generalis incompatibile consideratur cum dignitate episcopali.

Secunda periodo, cum dignitate episcopali insigniti inhabiles ad officium Protoarchimandritae decreto S. Sedis expresse declarati sint<sup>11</sup>, eo vel magis idem dicendum est de inferioribus officiis. In praxi autem initio periodi secundae evecio Officialis Ordinis, immo Provinciarum ad dignitatem episcopalem durante turno officii impossibilis fuit ob constitutionem capitularem: « *Ad vitandas omnes in Ordine et provinciis perturbationes serio praecavetur, ut Protoarchimandrita, Provinciales et alii Officiales Ordinis et Provinciarum ante expirationem suae functionis, nullas Praelaturas curent neque oblatas acceptent; qui huic contravenire praesumet, eo ipso ad quamvis promotionem inhabilis reddatur* »<sup>12</sup>. Constitutio haec a S. Sede approbata est in approbatione capituli Dubnensis 1743, decretali Benedicti XIV « *Inter plures* »<sup>13</sup>.

Verumquidem capitulo tertio Berest. 1751, explicata ratione, prohibitio illa sub poena inhabilitatis *acceptandi* praelaturas oblatas durante turno officii revocata est<sup>14</sup>, dum *curare* illas voto « *non ambiendi dignitates* » semper prohibitum esset, attamen relatio inter dignitatem episcopalem et Officia Or-

<sup>10</sup> AS, t. XI, p. 138, s. 3, n. 6 et p. 139, s. 4, n. 3.

<sup>11</sup> Cfr. vol. II, p. 114.

<sup>12</sup> Dubnen. 1743 et Berest. 1747, c. 14.

<sup>13</sup> § 7. DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 145; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 88.

<sup>14</sup> Cfr. textum constitutionis, supra p. 127, n. 225.

dinis eadem semper remansit, nempe vi decreti S. Sedis, qui dignitate episcopali insignitus est, in Officiale Ordinis eligi non potuit, vel si officium Ordinis iam gereret, hoc eo ipso amittebat.

Quae autem relatio non mutatur etiam post constitutionem Benedicti XIV: « *Inclytum* » 1753, qua anterior constitutio Benedicti XIII (1728) de consensu Protoarchimandritae necessario sub poena inhabilitatis ad promotionem Basilianorum ad dignitates, revocata est et tota disciplina promotionum huiusmodi ad ius commune reducta<sup>15</sup>; sed immo, relatio illa usque ad finem periodi perduravit nunquamve ullus Episcopus in ullum Officiale Ordinis vel Provinciarum electus est, Officialis vero ad dignitatem episcopalem evector eo ipso officium suum amittebat.

Quod autem dignitatem archimandritalem spectat, in eius relatione ad Officia Ordinis haec sunt notanda:

Prima periodo dignitas archimandritalis non erat incompatibilis cum officiis Ordinis, immo Archimandritae saepe in Consultores et Secretarium Ordinis eligebantur aut hi iam durante eorum officio in Archimandritas promovebantur, illo retento. Unica exceptio admittenda est et quidem utraque periodo quoad officium Procuratoris in Urbe, eo quod hic in Urbe residere obligatus fuit; hinc eius officium ob distantiam locorum componi non potuit cum retentione et praesidentia alicui archimandriae in Ecclesia Ruthenae sitae.

Initio secundae periodo Archimandritae saltem suspensi erant in eorum habilitate ad Officia Ordinis, nam huiusmodi eorum causa sub lite erat per 12 annos. Capitulo enim primo Dubnen. 1743 Archimandritae, ut supra vidimus<sup>16</sup>, libere ab electione in Protoarchimandritam personas suas excluderunt, causam remittendo eorum habilitatis ad idem officium decisioni S. Sedis. Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* » causam hanc maturiori examini remisit seu eam sub lite posuit et interim Archimandritas ab ipsa capitulis participatione exclusit.

Lis seu probationum ab utraque parte admissio et examen durabat ab anno 1744 ad 1756; toto illo tempore intermedio Archimandritae a Metropolitana secundum consuetudinem antiquam dependentes, nec capitulis participabant, nec in iisdem ad Officia Ordinis et provinciarum eligebantur. In fine, anno 1756 emanavit secunda summi momenti pro Ordine Basiliano decretalis Benedicti XIV « *Super Familiam* », qua disciplina Archimandritarum ordinata est, subiectis iisdem iurisdictioni Protoarchimandritae et inter alia statuto: « *Secundo statutum est, ut praedicti abbates seu Archimandritae in posterum tam in provincialibus suarum respective provinciarum, quam etiam in generalibus universae Congregationis capitulis, activi et passivi suf-*

<sup>15</sup> Cfr. supra p. 49, n. 169.

<sup>16</sup> Cfr. vol. II, p. 114.

*fragii iure fruantur* »<sup>17</sup>. Ex quo planum est, concesso nunc Archimandritis iure vocis passivae in electionibus omnium Officialium tam Ordinis quam provinciarum « *in posterum* », ante hanc decisionem eodem iure gravisos non fuisse, uti supra exposuimus. Post praedictam vero decretalem, sicut olim periodo prima, eodem iure de facto sempre gravisos fuisse vidimus.

Practerea inde a capitulo gen. Berestensi a. 1772 Officiales Ordinis (Consultores, Secretarii et Procurator generales) inhabiles declarati sunt etiam ad officium Provincialis. Revera usque ad hoc capitulum accidebat aliquando, quod Consultor vel Secretarius generalis in capitulo generali electus, postea in capitulo provinciali intermedio in Provincialem electus est, quo pacto eo ipso primum officium amittebat, quod causam dabat ad illum substituendum, usque ad sequens capitulum generale.

Ad 3) - Quoad renuntiationem. Excepto, ut vidimus, Protoarchimandrita<sup>18</sup>, ceteri Officiales Ordinis periodo prima a renuntiatione nullibi arcebantur, periodo tamen secunda expresse id eis capitulo Berest. 1772 prohibitum est: « *Cautum est, ne liceat officialibus Ordinis et Provinciarum ante lapsum turni suis officiis renuntiare vel ea dimittere praeter casum mortis vel ascensus ad beneficium ecclesiasticum incompatibile cum officio* »<sup>19</sup>. In praxi ergo cum Secretarius Ordinis anno 1776 officium suum deponere voluit, dispensationem a S. Sede petiit<sup>20</sup>, similiter etiam Provincialis provinciae Albo-Ruthenae anno 1782<sup>21</sup>.

Quaestio tantum hic proponi posset, utrum constitutio allata esset omnino nova vel potius nonnisi expressa dispositio, quae iam antea inde a primo capitulo huius periodi implicite in alia constitutione containeretur, nempe: « *Omnia officia antiquorum Officialium, scilicet Protoarchimandritae, Provincialium, Consultorum et Secretariorum deponantur et reponantur immediate ante electionem novi Protoarchimandritae et aliorum Officialium* »<sup>22</sup>. Quaestio proposita pendet a solutione alterius quaestionis, nempe, utrum constitutio nuperrime citata designare intendat solum momentum, quo in capitulis Officialium sua officia deponere debeant, an etiam extensioem habeat sensum, nempe exclusionem omnimodam depositionis seu renuntiationis huiusmodi Officiorum inde ab electione usque electionem in capitulo sequenti? Comparatis ceteris redactionibus eiusdem constitutionis in capitulis sequentibus atque considerato fine eiusdem respondendum videtur negative ad primum, et affirmative ad secundum.

<sup>17</sup> §3. DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 659; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 161 sg.

<sup>18</sup> Cfr. vol. II, p. 123, n. 1.

<sup>19</sup> Constit. 36.

<sup>20</sup> ASV, ARCHE, N. V., v. 69, f. 21, n. 4.

<sup>21</sup> IBIDEM, f. 578, et v. 77, f. 699.

<sup>22</sup> Dubnen. 1743 et Berest. 1747, c. 15.

Capitulo enim sequenti Berest. 1751 eadem constitutio est formata: «*Omnia officia antiquorum Officialium, scilicet Protoarchimandritae, Provincialium, Consultorum et Secretariorum deponantur et deponantur immediate ante electionem Protoarchimandritae et aliorum Officialium, in casu vero obitus vel ascensus ad beneficium incompatible alicuius Ordinis vel Provincialium Officialis Protoarchimandritae 1-mus Consultor... succedet...*»<sup>23</sup>. Ob exceptionem factam in ordine ab obitum et ascensum, depositio illa officii, immediate ante electionem sequentis capituli facienda in constitutione praecepta, involvit exclusionem liberae depositionis eiusdem officii seu renuntiationis ante praedictum momentum.

Finis autem praedictae constitutionis erat, eo vel magis impedire transitum Officialium Ordinis et Provincialium ad praelaturas ecclesiasticas. Quod optime elucet e capitulo primo, ubi primo constitutio illa lata est. Nam in eodem capitulo constitutione 14 prohibetur Officialibus Ordinis et Provincialium cura et acceptatio dignitatum oblatarum usque ad finem turni. Constitutio vero sequens praedicta est tamquam logica consequentia prioris, in eaque statuitur, ut praedicti Officiales officia sua deponant immediate ante electionem sequentem capitularem i. e. finito turno, ne scilicet illis prius depositis seu renuntiatis ad dignitates ecclesiasticas promoveantur. Posterioribus capitulis, cum constitutio 14 mutata sit nexus ille evidens inter utramque perditus est. At sensus constitutionis 15 semper idem remansit. Quibus autem rationibus consideratis dicendum est, secunda periodo iam a primo capitulo omnibus Officialibus Ordinis et Provincialium prohibitum erat officiis suis renuntiare ante finem eorum turni.

Ad 4) - Quoad depositionem. Casus scandali et consequentis depositionis Officialium Ordinis nullibi a constitutionibus capitularibus tam prima quam secunda periodo expresse consideratur. Ob supremam tamen potestatem internam in Ordine atque obligationem vigilantiae super Ordinis disciplina Protoarchimandritae etiam depositio ab officio alicuius Officialis generalis ob delicta urgentia, quae eius dilationem usque ad proximum capitulum generale non patiuntur, adscribenda est.

Itaque prima periodo ad causam huiusmodi videndam usque ad sententiam depositionis ferendam competens dicendus est Protoarchimandrita cum Consultoribus generalibus fuisse, analogice ad substituendos huiusmodi Officiales ob causam mortis vel ascensus ad dignitatem incompatible. Cuius etiam esset, analogice ad eosdem casus depositi substitutorem usque ad proximum capitulum generale cum iisdem Consultoribus eligere, non autem ad vitam, cum Officiales generales ad vitam constituendi, scil. Consultores et Secretarius generales, a solo capitulo generali eligi protuissent.

Secunda autem periodo iudicium cum sententia depositionis huiusmodi Officialium generalium spectasse dicenda est ad eosdem, qui competentes

<sup>23</sup> Const. 15.

erant in aliis casibus illorum substitutores eligere, secundum normas infra expositas.

Utique, in praxi huiusmodi depositio non accidisset sine appellatione depositi ad Metropolitanum prima periodo vi *Nexus* 1686, n. 4, et secunda periodo vi *Nexus* 1743, n. 13; immo ad ipsam S. Sedem.

Revera tamen in praxi exempla huiusmodi depositionis criminalis Officialis Ordinis duo tantum dantur e prima periodo. Nempe primo in antica-pitulo Minscensi 1683 conabatur Metropolita Ciprianus Zochowskyj in Protoarchimandritam Ordinis a fractione quorundam monachorum electus deponere antiquos Officiales (Consultores et Secretarium) generales ad vitam electos, eorumque munus ad quadriennium limitare. Attamen eius conamen a S. Sede impeditum est, dum depositiones illae cum ceteris gestis anticapituli illius annullatae sunt<sup>24</sup>. Causa autem huius annullationis tam totius dicti anticapituli, quam in specie depositionum, erat illegimitas, convocationis illius et nullum crimen depositione dignum.

Secundus casus depositionis Consultoris generalis habetur tempore posteriori, nempe in capitulis generalibus successive eodem anno 1719 celebratis (Chelmensi et Novogrodensi), quibus simul cum Protoarchimandrita Maximiano Witrynskyj depositus est etiam unus e Consultoribus generalibus in criminibus illius comes, Firmianus Wolk<sup>25</sup>.

Etiamsi quidem depositiones indicatae in capitulo generali de facto peractae sunt, nihil tamen obstat, ut Protoarchimandrita easdem vi suae potestatis in casu urgente extra capitulum modo supra indicato perageret.

Ad 5) - Impossibilitas vel nimia debilitas in officio adimplendo erat etiam causa sufficiens, ex rei natura, ad substituendum Officiale Ordinis. Revera casum unicum huiusmodi invenimus periodo prima, dum ob « *vires decrepitas et exhaustas laboribus* » Consultoris generalis « *si iste non sufficere vel nolle sufficere videbitur* » (ergo non agitur de libera renuntiatione officii), electus sit a capitulo eiusdem substitutor ad tempus debilitatis illius, non vero a capitulo novus Consultor eligitur, quia ille ad vitam constitutus est<sup>26</sup>. At neque Protoarchimandritae cum cetero Consultorio extra tempus capituli huiusmodi potestas deneganda videtur; quod etiam de secunda periodo dicendum est.

Ad 6) - Cum ergo saltem periodo secunda prohibitum esset Officialibus Ordinis officiis suis renuntiare eaque dimittere, ideoque in casu necessitatis S. Sedes dispensatione adimplere id debuit.

<sup>24</sup> Cfr. Innocentii XI: « *Ad Apostolatus* », 30.X.1683; *Bullae...*, P. I, p. 62; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 651.

<sup>25</sup> Cfr. vol. II, p. 147 ss.

<sup>26</sup> Torokanense 1656, n. 7; AS, t. XII, p. 53.

## II. DE MODO CONSTITUTIONIS CONSULTORIALIS SUBSTITUTORUM OFFICIALIUM ORDINIS.

In hisce omnibus casibus enumeratis Officiali Ordinis ab officio suo cessante tempore intercapitulari sequebatur constitutio eiusdem substitutoris usque ad sequens capitulum generale. Quae constitutio dici potest consultorialis, quia peragebatur a Consultorio generali. Si vero cessatio ab officio accidisset tempore ipsius capituli gen., tunc sequebantur, excepta debilitate periodo prima, electio novi Officialis a capitulo generali modo ordinario.

Constitutio substitutoris consultorialis prima periodo fiebat in consultatione generali per electionem peragendam a Protoarchimandrita et ceteris Consultoribus generalibus, praesente Secretario, si de constitutione Consultoris generalis actum est. Ita enim iam primo capitulo illius periodi statutum est: « *Si vero aliquis eorum (Consultorum generalium) mortuus sit, tunc Protoarchimandrita ipse cum illis tribus reliquis debet eligere sibi quartum usque ad tempus ordinariae congregationis omnium Superiorum religiosorum et legatorum monasteriorum* »<sup>27</sup>. Eodem modo in *Constitutionibus Recognitis* a. 1686 statutum est: « *Si vero aliquis eorum vita fungatur, tunc ipse Protoarchimandrita cum reliquis tribus eliget sibi quartum, donec solita adveniat congregatio omnium Praesidium et Legatorum ab unoquoque monasterio* »<sup>28</sup>. Supra iam animadvertimus, casum ascensus ad dignitatem incompatibilem ab hisce constitutionibus considerari non nisi in capitulo generali accessurum, quem inde consequi debuit ordinaria electio novi Officialis. At si accidisset extra capitulum, tunc applicanda erat eadem norma ac in casu mortis. Eodem modo dicendum est de cessatione officii e ceteris causis enumeratis. Immo eadem norma applicanda erat, etiam cessationi ab officio Secretarii generalis et Procuratoris in Urbe, etiamsi de iisdem constitutiones praedictae non loquuntur.

Haberetne etiam Secretarius generalis vocem activam in huiusmodi electione? E primo capitulo citato nihil concludi potest, quia tunc officium Secretarii nondum erectum est. Quo autem erecto, in iisdem constitutionibus nulla facta est mutatio, prout patet ex iisdem constitutionibus anno 1686 recognitis. Inde nullum habeatur argumentum, vi cuius etiam Secretario vox activa in huiusmodi electione adscribi possit, dato, quod etiam in aliis rebus constitutiones capitulares iubent Protoarchimandritam consulere vel consensum exquirere a solis Consultoribus generalibus, requisita tantum praesentia Secretarii in consultationibus generalibus.

Secunda periodo constitutio consultorialis substitutoris praedicti inde ab anno 1751 determinari coepit, secundum tenorem respectivarum constitutio-

<sup>27</sup> Novogrodovicense, 1617, s. 3, n. 15; *ib.*, p. 11.

<sup>28</sup> *CR.*, c. VI; *ib.*, p. 171.



num. Itaque capitulo Berestensi anno praedicto constitutio respectiva sonabat: « ... *in locum vero aliorum Officialium Ordinis R. mus Protoarchimandrita cum Consultorio Ordinis et respectivo Provinciali ... subiectum eligent sibi-que adsciscent* »<sup>29</sup>. Eadem constitutio in capitulo sequenti Berest. 1759 ita formatur. « ... *in locum vero aliorum Officialium Ordinis R. mus Protoarchimandrita cum Consultorio Ordinis et respectivo P. Provinciali subiectum idoneum sibi adsciscent* »<sup>30</sup>. Denique in capitulo Berest. 1772 modo sequenti: « ... *in simili casu aliorum Officialium Ordinis etiam ipsius Procuratoris Generalis Romani Consultoria utriusque Provinciae convenire tenebuntur et una cum Consultorio generali deligere alium idoneum sufficiens etiam ex absentibus, qui susceptus sive Consultor sive Procurator generalis iuramentum praestabit in manibus Protoarchimandritae vel eius locum tenentis* »<sup>31</sup>.

Hinc substitutorem Officialis generalis inde a capitulo Berest. 1751 usque ad 1772 annum eligere debebat Protoarchimandrita, 2 Consultores generales, qui hoc numero ab anno 1751 constituebantur, 2 Secretarii generales et P. Provincialis respectivae Provinciae, cuius erat Officialis sufficiens.

Inde vero a capitulo Berestensi 1772 usque ad finem periodi eundem eligere debebat Protoarchimandrita cum Consultorio generali, i. e. usque ad annum 1780 cum 2 Consultoribus et 2 Secretariis generalibus, post praedictum autem annum cum 4 Consultoribus generalibus, qui soli existebant, dein insuper cum utroque Consultorio provinciali, i. e. Provincialibus eorumque Consultoribus et Secretariis; post annum 1780 cum 4 Consultoriis provincialibus<sup>32</sup>.

Quae vero constitutio seu electio substitutoris intellecta erat tam prima, quam secunda periodo ad capitulum tantum sequens generale, non vero, periodo prima, ad vitam, uti in constitutione supra relata expresse dicitur, nam constitutio seu electio Officialis « *advitalis* » pertinebat ad capitulum generale privative; inde et constitutio illa in his verbis finitur: « *Congregatio i. e. capitulum autem Patrum aut illum confirmabit aut alium eliget* ».

<sup>29</sup> Const. 15.

<sup>30</sup> Const. 18.

<sup>31</sup> Const. 36.

<sup>32</sup> Ad calcem ultimo allatae constitutionis capituli Beresten. a. 1772 formata est etiam constitutio respectiva in *Codice*: « Dum alius etiam quicumque Consultor generalis, sive mortis causa, sive propter repugnantem officio gradus episcopalis accessionem, locum deserit suum, pariter sunt cogenda Provinciarum Consultoria, ut una cum Consultorio generali per secreta medietate plura suffragia deligant sufficiens, etiam, si placuerit, ex absentibus, dummodo sufficiens sit idoneus et Alumnus ejusdem Provinciae, ac post sui electionem iuramentum in manibus Protoarchimandritae sive Vicarii Generalis consuetum edat »; *Codex*, p. 94, n. XVIII.

## B. DE CONSTITUTIONE CAPITULARI SUBSTITUTORIS OFFICIALIUM ORDINIS.

Haec constitutio locum habuit prima tantum periodo, nempe qua Officialia generales erant ad vitam constituendi.

1) - Occasionem huic constitutioni unica tantum causa praebebat, nempe electio alicuius Officialis generalis « *advitalis* » in Protoarchimandritam vel huius Vicarium Generalem quadriennales. Nam donec Protoarchimandritae perpetui erant Metropolitae, eorum officia in Ordine in praxi explebat eorundem Vicarius Generalis, ad quadriennium in capitulo generali eligendus, in quem, si aliquis Officialis generalis (Consultor vel Secretarius) electus sit, hic officium suum « *advitale* » non amittebat, sed tantum in eodem explendo ad quadriennium suspendebatur, electo ad idem sufficiens alio. Eadem ratio substitutionis applicabatur iisdem Officialibus inde ab anno 1675 in Protoarchimandritas quadriennales electis.

2) - Modus constitutionis huiusmodi substitutorum erat capitularis seu electione consueta capitulari (uti alibi expositum est<sup>33</sup>).

Explicatis huiusmodi normis communibus, pro omnibus Officialibus generalibus iam ad singula huiusmodi Officia secundum tum constitutiones capitulares tum decreta S. Sedis exponenda transimus.

---

<sup>33</sup> Cfr. vol. II, p. 125 et 145.



## CAPUT I.

### DE CONSULTORIBUS GENERALIBUS

ART. 1. NUMERUS CONSULTORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 2. OFFICIUM CONSULTORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 3. IURA CONSULTORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 4. TEMPUS ET SUCCESSIO IN OFFICIO CONSULTORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 5. DE PROTOCONSULTORE.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 6. DE VICARIO GENERALI PROTOARCHIMANDRITAE-METROPOLITAE.



## CAPUT I.

### DE CONSULTORIBUS GENERALIBUS

Est traditio prisca et semper in disciplina monastica conservata, ut Superior Religiosorum habeat penes se adiutores in consilio religioso « *tum gradu, tum prudentia* — καὶ βαδμῶ καὶ συνέσει — *conspicuos* »<sup>1</sup>. Quod principium ab aliquibus « *sacrosanctum* » vocatur: « Praeceptum sacrosanctum est totaque monastica traditione confirmatum »<sup>2</sup>.

Quod inde, si initio in monasteriis singularibus uti omnino necessarium applicabatur idem eo vel magis uti res plane necessarieque adhibenda animadvertitur in plurium monasteriorum co-agmentatione regenda in Ordinibus Religiosorum occidentalibus. Itaque Magistro Ordinis Praedicatorum additur Definitorium generale, item Fratrum Minorum Ministro adduntur Definitores, analogice Praeposito generali Societatis Jesu - Assistentes.

In Ordine Basiliano Ecclesiae Ruthenae Superiori Generali seu Protoarchimandritae adduntur 4 Consultores generales ad consilium vel etiam in rebus gravioribus consensum suum praebendum. Qui numerus Consultorum conservatur non tantum usque ad finem periodi primae, verum etiam saltem de facto per totam etiam periodum secundam. (De facto, quia erat phasis periodi secundae, qua locum duorum Consultorum in consultationibus generalibus obtinebant duo Secretarii generales cum iisdem iuribus et obligationibus ac Consultores). Accuratius, quod numerum eorum spectat, in spatio duarum periodorum sequentes latae sunt constitutiones capitulares vel decreta S. Sedis:

#### Art. 1

#### Numerus Consultorum generalium

Prima periodo capitulum primum 1617 constituit: « *Idem Protoarchimandrita habebit penes se electos ab iisdem Praesidibus ad attendendum ut ipse muneri suo satisfaciat, qui erunt numero quatuor advitales* »<sup>3</sup>. Quae

<sup>1</sup> S. BASILII M., *RF*, 48.

<sup>2</sup> DE MEESTER P., *De Monachico Statu iuxta disciplinam Byzantinam*, T. P. Vaticanis 1942, p. 267, art. 46, n. 1.

<sup>3</sup> Novogrodovicense 1617; AS, t. XII, s. 3, n. 15, p. 11.

Inde difficile concipitur qua de causa Metropolita Rutskyj in suis *Regulis*

constitutio ad verbum ad s. d. *Constitutiones Recognitas* anno 1686 transiit<sup>1</sup>. Revocatio ad respectiva decreta S. Sedis explicabitur paulum infra. Hinc usque ad finem dictae periodi nec mutatio aliqua, neque quaestio circa hunc numerum aliquando orta est.

Secunda periodo, capitulo primo Dubnen. 1743, idem numerus Consultorum ac periodo prima retentus est, introducta aequalitate eorundem respectu duarum provinciarum: « *Sub tempus Capituli generalis quolibet quadriennio celebrandi in sessionibus communibus, ab omnibus simul utriusque Provinciae Patribus sub Praesidentia Ill.mi Metropolitanis, vel ab eo Delegandi eligentur, per vota secreta, tam ipse Rev.mus Proto-Archimandrita, quam Consultores generales 4 et duo Secretarii ejusdem Proto-Archimandritae; semper tamen id observabitur, ut duo Consultores et unus Se-*

---

*Particularibus* statueret, ut tres sint tantum huiusmodi Consultores generales: « Tres Patres affuturos a Consilio designabit ei Capitulum, qui iis in locis degent in quibus frequentius diutiusque eum morari contingat, quibuscum super maioribus momentis conferet, quod si quis eorum eodem loci (sic) adesse non possit per literas conveniendus erit. Ex iisdem diligetur unus ab eodem Capitulo qui ei assistat maneatque quando opus sit. Idem quoque comitabitur iter agentem, in quo loco monebit dum alicubi consistet atque omni in re auxilio ei erit. Integrum quoque erit Proto Archimandritae adhibere in Consilium in rebus occurrentibus Praesidem Monasterii illius in quo tunc temporis deget, itemque Patres Consultores ipsius aut aliquem illorum imo alios etiam interdum, de quibus existimet bene negotio super quo deliberatur consulturos. Quod si nec hi adesse possint, per literas sententiam illorum explorabit, si quem autem ex assignatis a Capitulo, qui ei assistant Patribus mori contingat, poterit ante Capitulum adhibito consilio reliquorum duorum superstitem eligere sibi tertium, qui deinde a Capitulo aut confirmetur, aut mutetur »; (cap. 2, n. 1; cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolarum J. Rutskyj*, Romae 1956, p.

Solutio huius difficultatis obrudi posset facillima, affirmando *Regulas* praedictas fuisse a dicto Metropolita iam antea in praeparatione capituli primi, quod numerum illum mutavit elaboratas. At id affirmatu difficile est eo, quod *Regulae* istae capitulum primum supponunt, in *Regulis* nempe *Consultorum generalium* dicitur: « Relegent ea omnia de ipsis in Actis Constitutionibusque Capituli Generalis nostri primi et quae in observandis circa electionem Proto Archimandritae habentur » (n. 1);

Hinc solutio unica rationabilis haec esse videtur quod dictus Metropolita praeparando primum capitulum partem huiusmodi *Regularum* conscripsit (quae ab officio Protoarchimandritae incipiunt) in eaque solum 3 Consultores generales intendebat constituendos, sed postea capitulum primum hunc numerum mutavit et tota legislatio Basiliana posterior eundem mutatum retinuit. De officio vero Consultorum generalium Metropolita scribebat postea seu post capitulum primum, quod illis in mentem revocavit.

Hanc nostram opinionem confirmant vel ipsae litterae eiusdem Metropolitae scriptae immediate post capitulum primum ad Card. Borghese, Secretarium Status, ubi ille dicit: « *Regulas* item Officialium Religionis scripsi, aliquas nunc scribo, in quibus maiorem adhuc quam in *Regulis* communibus habeo difficultatem » (videsis vol. I, Appendix I, p. 202).

<sup>1</sup> « Idem Protoarchimandrita habebit penes se electos ab iisdem Praesidibus, qui attendant, ut ipse muneri suo satisfaciatur. Hi erunt numero quatuor advitalesque sicut per Breve Innocentii XI et per decretum Eminentissimorum Cardinalium de propaganda fide statutum est »; CR, c. VI; IB., p. 171.

*cretarium ex una, ac itidem duo Consultores et Secretarius alter ex 2da Provincia immutabiliter assumantur* »<sup>5</sup>.

In litteris decretalibus Benedicti XIV « *Inter plures* » haec constitutio nullam peculiarem attentionem obtinuit, sed adprobata est in generali adprobatione eiusdem capituli.

Capitulo sequenti Berestensi 1747 ante constitutionum revisionem orta est quaestio de eodem numero<sup>6</sup>. Inde in constitutionibus eiusdem capituli constitutio capituli praecedentis supra relata nonnisi repetita est<sup>7</sup>.

Sed capitulo iterum sequenti Berestensi 1751, prout praecedens constituit, eadem constitutio revera mutata est, reducto scilicet numero 4 Consultorum ad duos, et iterum relicta ulterioribus capitulis potestate eundem mutandi secundum iudicium: « *Sub tempus Capituli generalis quolibet octennio celebrandi, in sessionibus communibus ac omnibus simul utriusque Provinciae Patribus sub praesidentia Ill.mi Praesidis eligentur per vota secreta tam ipse Rev.mus Proto-Archimandrita quam Consultores Generales duo et Procurator Romanus alternative atque Secretarii duo Ordinis, id tamen observabitur ut unus Consultor ex una et unus Secretarius et itidem Consultor unus et Secretarius unus ex altera assumantur Provincia, nisi de numero Consultorum Generalium aliter congregatis ex utraque Provincia Patribus in futuris Capitulis pro meliori bono Ordinis statuere visum fuerit* »<sup>8</sup>.

Qua constitutione sub examen a SCPF sumpta, formatum est in eadem dubium: « An liceat Capitulis Generalibus constituere, ut loco quatuor Consultorum et duorum Secretariorum generalium, eligantur deinceps duo Consultores et duo Secretarii? Resolutio: Ad septimum. Licere, servato tamen aequali numero personarum ex utraque Provincia »<sup>9</sup>. Quo in examine ad dubium ortum ex eo, quod capitulum Dubnen 1743 approbatum a Benedicto XIV « *immutabilitatem* » huius constitutionis statuit, SCPF respondit: « *sed immutabilitas huius constitutionis videtur non referri ad numerum, ut sic, sed ad aequalem numerum eligendorum ex unaquaque Provincia* »<sup>10</sup>.

Cum autem capitulo iterum sequenti Berestensi 1759 constitutio capitali praecedentis ex anno 1751 ad verbum repetita sit et approbationi SCPF missa, tunc SCPF: « *deberi mandavit haec verba: Nisi de numero Consultorum*

<sup>5</sup> Const. 2.

<sup>6</sup> « Die 18 mensis Augusti, hora pomeridiana 3, ad illationem V. P. Secretarij generalis ex Lithuana Provincia, utrum scilicet generalium Consultorum numerus in praeterito Dubnen. Capitulo determinatus servari, an idem numerus ad unum saltem Consultorem et alterum Secretariorum ex unaquaque Provincia reduci et imminui possit, resolutum fuit, ad praesens solitum debere servari, in futuro tamen Capitulo pro placito utriusque Partis reformari et innovari posse »; S. 5.

<sup>7</sup> Const. 2.

<sup>8</sup> Const. 2.

<sup>9</sup> *Decretum SCPF 1752 (26.XI). ad 7; Bullae...*, P. II, p. 82.

<sup>10</sup> APF, CP, 1750-52, v. 114, f. 207.



Generalium congregatis Patribus in futuris deinceps Capitulis pro meliori bono Ordinis aliter statuere visum fuerit. Non enim placuit praefixum Consultorum generalium numerum augeri, neque id licere voluit ipso Capitulo generali »<sup>11</sup>. Tunc Protoarchimandrita meditans divisionem Ordinis in quatuor provincias facultatem a SCPF capitulo generali concedendam augendi praedictum numerum petiit: « Praeterea idem Proto-Archimandrita universae congregationis nomine supplicat, ut libertas augendi numerum definitorum generalium, alias ab EE. VV. denegata, suo Capitulo generali benignissime restituatur, saltem pro casu divisionis faciendae inter Provincias, de qua, utpote ad religiosae perfectionis incrementum et meliorem ordinem constabliendum maxime accomodata Congregationis suae Alumni cogitare pergunt, « ad quod SCPF respondit: « Ad V et VI: Decreverunt quod proponi debeat excutienda in proximo capitulo generali, ea lege, ut quod resolutum fuerit, ad S. Congregationem postea transmittatur, ut ab eadem, quod factu opus fuerit, definiatur »<sup>12</sup>.

Inde in constitutionibus capituli generalis 1772 duo tantum Consultores generales eligi praecipuntur, neque vi decreti supra citati ex anno 1763 numerus ille futuris capitulis mutari permittitur<sup>13</sup>.

At anno 1780 Ordine in quatuor provincias diviso etiam numerus Consultorum generalium auctus est ad quatuor (unus scilicet ex unaquaque provincia), supresso officio Secretariorum Ordinis a personis distinctis gerendo, quod omne, non habitis prae manibus actis huius capituli, ex actis sequentis capituli patefit, nempe Zydzczynensi 1788: « Post huiusmodi quaestionis determinationem venit altera in eadem sessione determinanda, utrum numerus Officialium Ordinis generalium juxta Brestensis capituli morem ad personas quatuor, scilicet Consultores duos et Secretarios duos, an vero eodem ac est in praesentiarum in Capitulo Torokanensi (1780) immutatum, nimirum ut loco Secretariorum duorum Consultores alij duo Officium Generale componant cum onere exequendi ea omnia, quae per Secretarios adimpleri solebant ».

Tunc venit decisio ab eodem capitulo pro turno futuro, resoluta scil. quaestione proposita in hunc modum: « Sed et haec communi Patrum Capitularium voto ita est decisa, ut pro Officio generali quatuor Consultores, libera omnium voce, pro Officiis autem provincialibus per vota secreta tres Consultores et Secretarius unus, habito utraque hac in materia ad Capituli generalis Torokanensis formatas Constitutiones respectu, fuerint determinati »<sup>14</sup>.

<sup>11</sup> *Decretum SCPF 1763* (11.VII); *Bullae...*, P. II, p. 138.

<sup>12</sup> *Decretum SCPF 1766* (1.IX), ad V et VI; *Bullae...*, P. II, p. 149.

<sup>13</sup> *Const.* 4.

<sup>14</sup> S. 8. Idem patet (de capitulo Torokanensi 1780) e relatione circa electionem Officialium generalium Nuntio Ap. a Protoarchimandrita admissa: « In ge-

At differentia inter constitutiones capituli memorati Torokanensis (1780) et ultimo citatam constitutionem consistit in eo, quod illae respiciebant quatuor provincias desumendo ex unaquaque unum Consultorem, dum haec ultima respiciebat solum duas provincias i. e. Lithuanam et Polonam, nam aliae duae sub imperio Rossiaco Albo-Ruthena et sub imperio Austriaco Galiciensis hoc capitulo non participabant, nec communicationem cum illis habere potuerunt, ita ut constitutio ultimo citata et relata constituendo pro duabus provinciis 4 Consultores generales ad numerum pristinum Consultorum reverteret, qui etiam munus Secretarii generalis gerere tenebantur. Quae constitutio erat ultima norma valoris iuridici in praxi applicata.

## Art. 2

### De officio Consultorum generalium

#### Prima periodo.

1) - Secundum constitutiones primitivas, Consultorum erat attendere, ut Protoarchimandrita officio suo satisfaciat, uti in supra relata constitutione vidimus, quod accuratius reddidit constitutio de Consultorio generali quotannis convocando: « *Septimo puncto includitur, ut Reverendus Pater Protoarchimandrita pro meliori ordine et accuratiori observantia et augmento boni et disciplinae religiosae semel quotannis habeat consultorium generale cum suis Consultoribus generalibus et uno Secretario, qui tenebuntur in mentem ei revocare vel certiores eum reddere de omnibus rebus ad rectam gubernationem pertinentibus itemque, si opus esset, humiliter admonere* »<sup>15</sup>.

2) - Sed, uti ethymon eorum indicat, eorundem erat consilium Protoarchimandritae in rebus gravioribus Ordinis praestare, prout in « *Observanda* » dicitur: « *Alterum auxilium (Protoarchimandritae) situm erit in bonis Consultoribus ad ordinanda et dijudicanda negotia gravia. Item statuenda, quae necessaria essent in Religione* »<sup>16</sup>.

nerali Basilianorum Ruthenorum Capitulo Torokanensi mensibus Augusto et 7-bri celebrato anno 1780 electi sunt: In Proto-Archimandritam seu Abbatem Generalem Perillustris R. mus P. P. Iosephus Morgulec.

In 1um Consultorem generalem R. mus P. D. Hierotheus Korczynski

In 2um » » R. mus P. D. Joachimus Czudowski

In 3um » » R. mus P. D. Anthymus Liguziewicz

In 4um » » R. mus P. D. Maximilianus Nikolski.

In Procuratorem general. R. P. D. Vicentius Zielonka; ASV, N. d. V.; v. 125, folia n. p.; « *Basiliani* ».

<sup>15</sup> Lavryszivense 1626, n. 7; o. c., p. 32.

<sup>16</sup> *Observanda*, c. 5, n. VIII; o. c., p. 181.

3) - Supra vero indicavimus quamam voce Consultores gavisi sunt in consultationibus et quibus in causis consulendi<sup>17</sup>.

4) - Praeterea ex iisdem constituendum erat forum iudiciale Protoarchimandritae ad iudicandos fratres, uti in diversis capitulis indicatur<sup>18</sup>.

Idem supponitur in *Nexu* ex anno 1686<sup>19</sup>.

Idem repetitur in punctis capituli Novogrodensis 1703<sup>20</sup>.

Hinc patet Consultorum fuisse simul cum Protoarchimandrita iudicare et punire fratres delinquentes.

5) - Visitatio canonica. Verumquidem obligatione visitationis peragendae ligabatur per se Protoarchimandrita, qui tamen substitui in hoc potuit sive habitualiter, uti Protoarchimandritae - Metropolitanae per Vicarium Generalem, sive in singulis casibus. Substitutores vero sive huius sive illius in casibus singularibus ordinarie ad mentem constitutionum deberent esse Consultores generales<sup>21</sup>.

Quod eo vel firmitus statuitur a quo Protoarchimandrita simplex monachus eligi coepit, qui Vicarium Generalem non habuit, nempe a capitulo Zyrovicensi 1675<sup>22</sup>. In quo ergo sensu intelligendae sunt constitutiones posteriores, quae Protoarchimandritae obligationem huiusmodi imponunt sive per se sive per alios seu imprimis Consultores generales implendam<sup>23</sup>.

6) - In *Nexu* ex anno 1686 Consultoribus generalibus obligatio im-

<sup>17</sup> Supra p. 96.

<sup>18</sup> «Sabbato lecta est epistola ab uno fratre nostro delinquente scripta, qua excusabatur; auditis autem et enumeratis ejus excessibus causa dilata est ad peculiare consilium Domini Patris Metropolitanae et Patris Protoarchimandritae cum Patribus Consultoribus Ordinis nostri de modo, quo esset puniendus». Vilnen. 1636, s. 13; o. c., p. 42.

<sup>19</sup> «Item aliis quoque licebit recurrere (scil. ad Metropolitanam) in suis necessitatibus. Cui Legi addendum censuimus, ut si quis forte gravetur a Protoarchimandrita et Consultoribus in re gravi, recursus ei pateat ad Metropolitanam, quodsi inique appellet, graviter castigabitur»; N. 4.

<sup>20</sup> «Ut gravatis a protoarchimandrita et consultoribus liber recursus pateat ad Dominum Patrem Metropolitanam»; S. 11, n. 3; o. c., p. 152.

<sup>21</sup> In capitulo enim Vilnen. 1650 electis vel confirmatis duobus novis Consultoribus generalibus statuitur: «id ill.mo Protoarchimandritae (qui tunc Metropolitanus Sielava erat) in vim dando, ut ipse vel aliquem ex hisce quatuor Consultoribus vel etiam quemvis alium idoneum ex exigentia rei et commoditate quotannis in visitationem mittat monasteriorum»; S. 5; AS, t. XII, p. 47.

<sup>22</sup> «Hac die postmeridie, sedentibus secundum morem, intulit Dominus Pater Metropolitanus esse nobis impossibile Vicarium generalem eligere ob defectum sumptorum et provisionis pro eo. Quisnam ergo visitationes peraget, cum vix ipse Dominus Protoarchimandrita huic obligationi satisfacere potuerit. Tunc statutum est, ut ex consilio Consultorum in visitationem (aliquis) mittatur»; S. 4; o. c., p. 112.

<sup>23</sup> *Nexus* ex anno 1686, n. 6, et «*Observanda*» c. 3, n. VIII; AS, t. XII, p. 179.

ponitur referendi quotannis Metropolitae circa huius auxilium Ordini necessarium<sup>24</sup>.

7) - Insuper capitula peculiaris quaedam negotia sive solis Consultoribus sive cum Protoarchimandrita perficienda committebant; uti:

a) In capitulo Novogrodensi 1686 constitutionum redactionem<sup>25</sup>;

b) Semper vero fundationum receptionem eisdem committebant, uti: in cap. Bythenen. 1698<sup>26</sup>. Eodem modo in capitulo Novogrodensi 1703<sup>27</sup>, et Bilensi 1709 in casu archimandriae Czerejensis depaupertatae per actualement Archimandritam<sup>28</sup>.

c) Communitur negotia quae accuratori studio et longiori tempore indigebant ad Consultorium generale a capitulo remittebantur<sup>29</sup>.

d) Consultoribus committitur electio socii Protoarchimandritae<sup>30</sup>.

8) - Vacante metropoli atque protoarchimandria et demortuo Vicario Generali Consultorum erat capitulum generale convocare, ut et Zyrovicense 1661 convocatum est<sup>31</sup>; item Torokanense 1656<sup>32</sup>.

9) - Ad residentiam in monasterio protoarchimandritali non tenebantur; habitare quidem potuerunt in aliis monasteriis, sed non nisi vicinioribus, ut facile consuli potuissent, sive simul sive non longe a se ipsis, excepto uno, qui cum Protoarchimandrita habitare debebat<sup>33</sup>.

De hac re quaestio postea non est mota, nisi in capitulo Vilenensi 1636 inter puncta Metropolitae Rutskyj eadem sub considerationem sumenda est proposita<sup>34</sup>. Constitutio tamen primitiva semper erat conservata et inter *Constitutiones Recognitas* anni 1686 est recepta<sup>35</sup>. Omissa scilicet necessitate habi-

<sup>24</sup> N. 4.

<sup>25</sup> S. 9; o. c., p. 126.

<sup>26</sup> « Consensu totius congregationis concessa est licentia solis Consultoribus cum Secretario pertractandi cum Illustri Domino Patre Metropolita et Gedeone Wojna-Oranski, Episcopo Chelmensi in negotio Torokaniarum »; S. 9, n. 2; o. c., p. 143.

<sup>27</sup> S. 3, n. 2; o. c., p. 145.

<sup>28</sup> S. 10, n. 3, 11; o. c., p. 168.

<sup>29</sup> E. g. capitulum Zyrovicense 1675: « Post haec, omnia desideria, praetensiones, interesse, res, responsa ad litteras, nomine totius congregationis activitati, decisionem et debitam executionem D. P. Protoarchimandritae, collato consilio cum DD. PP. Consultoribus et Secretario commendavimus et plenam potestatem (iisdem) dedimus; S. 4; o. c., p. 112.

<sup>30</sup> Novogroden. 1703, s. 16, n. 5; o. c., p. 156.

<sup>31</sup> O. c., p. 63.

<sup>32</sup> O. c., p. 52.

<sup>33</sup> Ita enim constitutum est capitulo primo: « Hi vero erunt quatuor adventales, unus penes ipsum (Protoarchimandritam) habitabit et tres in aliis monasteriis sive simul sive non longe a se ipsis »; N. 15; o. c., p. 11.

<sup>34</sup> « De Consultoribus adventalibus et eorum habitatione penes Protoarchimandritam »; O. c., p. 37.

<sup>35</sup> « Hi in principalioribus degent monasteriis sive simul sive non longe unus ab alio »; CR, c. VI.

tandi tam unius penes Protoarchimandritam, quam ceterorum in monasteriis vicinioribus protoarchimandritali, quae substituta sunt principalioribus.

In eodem sensu lata est constitutio etiam in « *Observanda* »<sup>36</sup>.

### Secunda periodo.

Sicut periodo prima, ita etiam secunda: « *primi et maximi in munere Proto-Archimandritali Adjuutores* »<sup>37</sup> in *Codice* indicantur et erant Consultores generales.

1) - Circa eorum vocem consultativam vel deliberativam quibusve in casibus a Protoarchimandrita exquirendam supra retulimus<sup>38</sup>.

2) - Ex quo etiam patet, maximam eorum potestatem et obligationem, in qua essentialiter positum erat eorum officium consultorium fuisse consultationem, quae inde principale etiam erat eorum iuramenti obiectum.

Obligatio iuramenti etiam ab ipsis praestandi eos ligabat statim inde a capitulo primo huius periodi, uti e constitutionibus eiusdem patet: « *Tam Proto-Archimandrita, quam Consultores generales et Secretarii ejusdem post sui electionem in manibus Ill.mi Praesidis ... iuramenta praestabunt* »<sup>39</sup>. At sequentibus duobus capitulis nulla fit mentio huius obligationis Consultorum, etiamsi Protoarchimandritae et Secretariorum urgeatur<sup>40</sup>; ex quo videtur concludendum Consultores ad illud praestandum illo tempore intermedio obligatos non fuisse. Ad quod tamen praestandum nonnisi a capitulo Berestensi 1759 expresse et videtur primo, prout tenor constitutionis indicat, obligati sunt: « *Statutum est ad suffragia medietate plura, ut Consultores et Secretarii tam generales, quam provinciales sint iurati et iuramentum suum praestent in manibus Praesidis* »; non esset enim ratio constituendi suffragiis medietate pluribus, si iam antea ad idem obligati essent. Postea idem semper urgetur<sup>41</sup>.

Obiectum autem huiusmodi iuramenti secundum formulam eiusdem ex anno 1772 duplicem respectum habuit, nempe erga S. Sedem et erga consultationem.

1°. Omnimoda obedientia S. Sedi. Hoc obiectum in iuramentum consultorum expresse ingressum est nonnisi post decretum SCPF 1763. Occasionem ad hoc obiectum iuramenti praecipendum dedit Sacrae Congregationi constitutio capituli Berest. 1759, qua statutum est, ut votum Consultorum

<sup>36</sup> « Et hi quoque erunt praestantes dignitate habitabuntque in principe aliquo monasterio et peragent ea, quae reliqui Patres monasterii »; C. 5, n. VIII; o. c., p. 181.

<sup>37</sup> *Codex*, p. 92.

<sup>38</sup> Cfr. p. 112 ss.

<sup>39</sup> Const. 5.

<sup>40</sup> Const. 5.

<sup>41</sup> Const. 6.

in consultationibus sit decisivum<sup>42</sup>. Qua constitutione nisa, SCPF praecepit, ut Consultores, uti iam antea Protoarchimandrita, in suis iuramentis omnimodam obedientiam promittant S. Sedi Apostolicae<sup>43</sup>, secundum omnia iura, constitutiones et decreta ab eadem S. Sede lata ac juxta praescripta in litteris decretalibus « *Inter plures* » et « *Super familiam* » Benedicti XIV. Quod in formula eorum iuramenti in capitulo Berest. 1772 expressum est<sup>44</sup>.

2<sup>o</sup>. Tunc, praeter dictam obedientiam S. Sedi et Protoarchimandritae praestandam, in eodem iuramento enumerantur obiecta, quae omnia ad consultationem referuntur: « *atque officium consultoriatu fideliter gesturum* » i. e.:

a) « *neque a Consultationibus sine legitimo impedimento abfuturum* ». Hic sese offert occasio de residentia Consultorum tractandi, quod tamen ordine hic recepto requirente infra refertur;

b) « *propositaque in Consultationibus negotia diligenter pro viribus tractaturum* ».

Pro eadem diligentia adhibenda Protoarchimandrita, ut vidimus, debuit pridie saltem Consultoribus obiectum consultationis futurae manifestare<sup>45</sup>. Codex vero, praxi forsitan recepta nisus, media etiam remota et proxima huiusmodi diligentiae adhibendae in praeparatione consultationis indicavit<sup>46</sup>.

c) « *et super iis, secundum Deum et conscientiam absque omni spe, metu et respectu personarum mere pro bono communi sententiam meam daturum* »<sup>47</sup>.

d) « *Iustitiam distributivam pro viribus observaturum* ».

<sup>42</sup> Berest. 1772, c. 9.

<sup>43</sup> Bullae..., P. II, p. 138, ad 6.

<sup>44</sup> « Ego NN. Provinciae N. Professus electus in Consultorem Ordinis juro Deo Omnipotenti, in Trinitate Uni, me omnimodam S. Sedi Apostolicae et R.mo Proto-Archimandritae secundum omnia iura, Constitutiones et Decreta ab eadem S. Sede Apostolica lata ac iuxta praescripta in Litteris fel. rec. Benedicti XIV Decretalibus, quarum initium est « *Inter plures* » et « *Super familiam* » obedientiam praestitutum »...; Constit. 9, Berest. 1772.

<sup>45</sup> Eodem capitulo c. 11.

<sup>46</sup> « II. Ut exactius muneris sui Patres administrent, singulari boni communis studio teneantur et ad eius adamussim exigant suas sententias ».

« III. Decreta et Resolutiones S. Sedis, nec non Constitutiones Congregationis nostrae crebra lectione familiares sibi reddant, ne interdum decisiones suae a mente nostrarum Legum aberrant ».

« IV. ... Rem in deliberationem adductam bene expendant, praemissaque oratione, sententiam dicant, praesertim in difficillibus. Quodsi maturiore examine rem indigere judicaverint, tempus deliberandum a Protoarchimandrita dari petant ». Hinc etiam acta visitationum inspiciere potuerunt.

<sup>47</sup> Codex vero ad haec omnia adnotat:

« In approbatione personarum ad Superioratus, privato animi affectu abduci se non sinant, sed seposito amore, odio, et metu, suffragia ferant sua, semper publicum Religionis commodum, privatis quibuscumque utilitatibus praefereendo. Quem in finem ut emisi a se iuramenti formam in limine cuiusque consultationis praelegi sibi curent, districte praecipimus ».

Punctum hoc ad iuramentum additum est nonnisi capitulo Berest. 1772, quo: « *Patribus vero Congregatis id etiam justum visum fuit, ut iidem (scilicet Officiales Ordinis et Provinciarum) justitiam distributivam in disponendis et premiandis personis se pro viribus servaturos jurarent* »<sup>48</sup>. Justitia haec tangebatur inter alia praesertim constitutionem de sex annis laboris requisiti ab evehendis tam ad officia Ordinis et Provinciarum et superioratus, quam a candidatis ad dignitates (episcopalem et archimandritalem) proponendis a Protoarchimandrita, consentientibus Consultoribus, Metropolitae<sup>49</sup>.

e) « *Secretum tractatorum in consultationibus negotiorum malitiose et in fraudem boni communis nunquam proditurum* »<sup>50</sup>.

f) « *utriusque Provinciae aequaliter addictum fore* ».

Iam nobis constat de provinciarum tendentia ad aequalia iura in omnibus habenda. Cum vero Consultores ob eandem tendentiam ex unaquaque provincia eligendi et electi facile iura propriae provinciae praeferre potuissent bono communi, hinc ipsis specialis obligatio iuramento firmata imponitur.

Haec erant obligationes Consultorum generalium, quae saltem ab anno 1759 iuramento eorundem expresse firmabantur et, ut patet, in consultationibus praesertim observandae erant. Spectata autem earum natura generali, non sunt dicendae novae et nonnisi capitulo illo introductae, sed nonnisi ab hoc in formam reassumptae.

Ceteras constitutiones et praxes modum huiusmodi consultationum determinantes supra iam retulimus<sup>51</sup>.

3) - 1<sup>o</sup>. Quaestio residentiae Protoarchimandritae, quam et eius adiutorum sub considerationem venitiam capitulo primo et: « *Pro Residentia Proto-Archimandritae et Consultorum ac Secretariorum ejusdem in Provincia Lithuana designatur Monasterium Torokanense, in Provincia Ruthena Monasterium Poczajoviense* »; cum sequenti tamen relaxatione pro Consultoribus generalibus: « *si tamen videbitur R.mo Proto-Archimandritae et Patribus utriusque Provinciae pro futuro Generali Capitulo congregatis, poterunt Consultores Proto-Archimandritae in Monasteriis distinctis, dummodo a Residentia ipsius Proto-Archimandritae non multum distantibus, ita ut pro consiliis necessariis brevi convocari possint, residere et manere* »<sup>52</sup>.

<sup>48</sup> Const. 9.

<sup>49</sup> Vol. II, p. 115, 3.

<sup>50</sup> In codice ad hoc notatur:

« X. Caveant autem, ne id, quod ipsis a Protoarchimandrita propositum fuit, vel super quo consultatum, multo vero minus id, quod definitum est, aliis revelent, donec ab ipso Proto-Archimandrita suo tempore et loco fuerit promulgatum »; Omnes hae adnotationes ad officium Consultorum habentur in Codice p. 92-93.

<sup>51</sup> Cfr. p. 116.

<sup>52</sup> Const. 4.

2<sup>o</sup>: Benedictus XIV in sua decretali « *Inter plures* » hanc quaestionem non tetigit: ideoque constitutio illa ad verbum a sequenti capitulo repetita est.

3<sup>o</sup>. Sed tertio capitulo facultas praecedentibus capitulis concessa in effectum deducta est <sup>53</sup>.

4<sup>o</sup>. At ita formatam constitutionem noluit confirmare SCPF suo decreto ex anno 1752, mota praesertim rationibus a Nuntio Apostolico explanatis <sup>54</sup>.

Qua de causa Sacra Congregatio ad propositam sibi quaestionem: « An liceat Consultoribus et Secretariis Generalibus non residere in monasterio, in quo degit Proto-Archimandrita, sed in monasteriis vicinioribus, quibus ipsi praesunt? », respondit: « ad octavum. Non licere » <sup>55</sup>.

5<sup>o</sup>. Quae resolutio recepta est a sequenti capitulo et inter eius constitutiones inserta <sup>56</sup>.

6<sup>o</sup>. Ob adiuncta peculiariter facta est instantia a Protoarchimandrita Sacrae Congregationi anno 1766, ut ad tempus Consultores extra residentiam eius residere possint <sup>57</sup>.

7<sup>o</sup>. Quaestio edhuc eorundem residentiae mota est in capitulo Zydzynensi 1788, utrum nempe haec in uno semper monasterio citra respectum

<sup>53</sup> « Quod spectat residentiam Officialium Ordinis ex decisione praesentis Capituli Venerabiles Consultores generales et Secretarii in monasteriis suarum respective Provinciarum residere eaque regere poterunt, dummodo illa monasteria non procul distant a Residentia Proto-Archimandritae, ita ut vocati pro consiliis non tracta mora comparere possint »; Const. 4.

<sup>54</sup> « Certum est, D.num Nuntium Ap. Poloniae visa incongruitate secundae partis huius constitutionis habitoque oraculo SCPF praecepisse Consultoribus et Secretariis, ut penes Generalem residerent, cum absurdum sit eos toties quoties opus erit convocari, praecipue cum sit falsum, ut tam facile convocari possint »; APF-CP, a. 1750-52, v. 114, f. 208.

<sup>55</sup> *Bullae...*, P. II, p. 83.

<sup>56</sup> « Illud porro sancte servandum erit, quod saepe laudata Sacra Congregatio Particularis de Propaganda Fide, habita die 26 9bris anni 1752 in resolutione ad octavam praescripsit. Non licere nimirum Consultoribus et Secretariis generalibus non residere in monasterio in quo degit Proto-Archimandrita, sed in monasteriis vicinioribus quibus ipsi praesunt ». Berest. 1759, const. 4.

<sup>57</sup> « Sed cum Poczajoviense monasterium, ubi nunc temporis residet Proto-Archimandrita, non modica indigeat reparatione, nec propterea capax sit sustentandi eos monachos, quos hucusque sustentare consueverat, hinc humillime supplicat, ut praedicti Consultores a residentia in eodem monasterio dispensentur, quousque huiusmodi reparatio perficiatur, manendo nihilominus, quo ad fieri potest, in vicinioribus monasteriis, ut facile ad consilium vocati convenire possint ». Sed neque in hoc casu SC supplicationi de facto indulsit, eo quod petitionem ad decisionem futuri capituli remisit, post quod illa applicationem habere iam non potuit, quia tunc secundum constitutiones novus Protoarchimandrita residere debuit in secundo monasterio pro residentia alternativa designato, nempe Torokanensi. *Decretum SCPF a. 1766*, ad V; *Bullae...*, P. II, p. 147



ad alternativam inter provincias esse debeat. At capitulum quaestionem hanc feliciori reliquit tempori decidendam, ut supra vidimus<sup>58</sup>.

8°. Haec omnia colligendo *Codex* propositionem constitutionis de hac re formavit: « Consultores... in Monasterio, in quo degit ipse Proto-Archimandrita, residere semper tenentur »<sup>59</sup>.

Quibus documentis perspectis patet, Consultores generales de facto per totam secundam periodum in residentia Protoarchimandritae residere obligatos fuisse.

4) - Uti supra vidimus eisdem durante eorum officio licitum non erat: 1°. Curare vel oblatas acceptare praelaturas, sed hoc ad annum 1751 tantum, ut vidimus<sup>60</sup>; 2°. Nec officio suo renuntiare potuerunt ut indicavimus<sup>61</sup>; 3°. Eligi in Provinciales non potuerunt. De hac re bis erat quaestio in capitulis. Imprimis in capitulo Berest. 1759<sup>62</sup> dein capitulo Berest. 1772 ad eandem quaestionem propositam, « *resolutum est per suffragia medietate plura, non posse* »<sup>63</sup>; 4°. Item officio suo renuntiare non potuerunt, ut supra.

5) - In casu ascensus authographa restituere tenebantur ad respectiva Archiva sive Ordinis provinciae sive monasterii<sup>64</sup>.

7) - Praeterea a capitulis ipsis committuntur negotia peculiariora sive solis sive cum Protoarchimandrita; uti:

1°. Capitulo Dubnen. 1743 propositio animadversionum ad fundationem Principis Radziwil pro Seminario Alumnorum<sup>65</sup>.

2°. A capitulo Berest. 1747 decisio de transitu Religiosi professi ex una ad alteram provinciam<sup>66</sup>.

3°. A capitulo Zydyczynensi 1788 revisio Constitutionum<sup>67</sup>.

<sup>58</sup> Cfr. p. 74.

<sup>59</sup> *Codex*, p. 92, n. 1.

<sup>60</sup> Supra p. 150.

<sup>61</sup> Supra p. 152.

<sup>62</sup> « Hac occasione cum quaesitum fuisset, imo: An Consultores et Secretarii generales possint, stante sua functione, in Capitulis post quadriennium respectivum suarum Provinciarum celebrandis eligi in Provinciales Visitatores? ... Ad 1-mum itaque resolutum est ad suffragia medietate plura, posse ». Const. 19.

<sup>63</sup> Const. 38; *Codex* inde notavit: « Propterea neque posse eosdem durante officio in Capitulis respectivum Provinciarum celebrandis in visitatores Provinciales eligi » (p. 92, n. I). Sed ante constitutionem illam cap. Berest. 1772 Consultores gen. in respectivos Provinciales eligi poterant uti et eligebantur. Itaque e. g. in cap. Provinciali Poczajoviensi 1755 in Provinciale electus est P. Hypatius Bilynskyj, Ex-generalis et actualis Consultor generalis, S. 2, ASV. ARCH. N. VAR., v. 108, f. 37.

<sup>64</sup> Berest. 1751, c. 14; 1759, c. 17; 1772, c. 35.

<sup>65</sup> S. ultima n. 2.

<sup>66</sup> S. 10.

<sup>67</sup> S. 8.

8) - Item SCPF iisdem quaedam negotia committebat, uti:

1<sup>o</sup>. Decreto ex anno 1757 iisdem commissa est compositio schedae ingredientium capitula <sup>68</sup>;

2<sup>o</sup>. Epistola ex anno 1785 iisdem committuntur regulae Abbatum-Coadiutorum componendae <sup>69</sup>.

9) - Iidem uti ceteri Officiales Ordinis officium suum immediate ante electionem Protoarchimandritae in capitulo generali deponere debebant.

### Art. 3

#### De iuribus Consultorum generalium

1) - Potuerunt esse Superiores monasteriorum.

Hoc ius competeat Consultoribus generalibus nonnisi prima periodo, nam, ut vidimus, periodo secunda iisdem de facto semper ad residentiam cum Protoarchimandrita tenebantur. Illa vero periodo capitulo primo statutum est: « *at hi poterunt esse Superiores monasteriorum, si opus esset* » <sup>70</sup>. Et revera in praxi iisdem erant saepe Superiores monasteriorum praestantiorum vel etiam ipsi Archimandritae, uti e diversis capitulis patet <sup>71</sup>.

2) - Titulus.

Initio primae periodi terminologia titulorum accurate determinata non erat et Consultoribus communiter titulus omnibus Patribus communis « *Re-*

<sup>68</sup> *Bullae...*, P. II, p. 121 ad 13.

<sup>69</sup> *Indulgentiae*, P. I, p. 58.

<sup>70</sup> S. 3, n. 15, A. S., t. XII, p. 11.

<sup>71</sup> 1<sup>o</sup>. « Electus per calculos in Consultorem Ordinis nostri Reverendus Dominus Pater Nicolaus Korsak, Archimandrita Polocensis, Nominatus Vilnensis »; Minscen. 1652, s. 5; AS, t. XII, p. 51.

2<sup>o</sup>. « Congregati sumus Bythenii ego in persona Petrus Mimonski, Ordinis Sancti Basili Magni Protoconsultor; Constantinus Witopolski, Superior Zyrovicensis et Consultor Ordinis; Pachomius Ohilewicz, Consultor Ordinis; Sebastianus Kaczynski, Superior Brestensis, Ordinis Consultor »; Bythenien. 1657; o. c., p. 53.

3<sup>o</sup>. Subscriptiones capituli Zyrovicensis 1675: « Stephanus Martyszkiewicz, Consultor Ordinis Divi Basilij Magni Secretarius, Superior monasterii Bytheniensis »; o. c., p. 113.

4<sup>o</sup>. Capitulo Novogrodensi 1686 statuitur: « Consultores possunt esse Superiores monasteriorum secundum ius antiquum, si hoc necessitas postulasset »; S. 4, punctum 3; o. c., p. 124.

5<sup>o</sup>. Idem patet ex subscriptionibus aliorum capitulorum, uti ex immediate supra citatis et Bilensi 1709; S. 12, punctum 10; *ib.*, p. 170.

6<sup>o</sup>. Denique *Constitutionibus Recognitis* idem ius iisdem agnoscitur: « Hi in principalioribus degent monasteriis, sive simul. sive non longe unus ab alio, possuntque esse Praesides monasteriorum, si necessitas poscat »; C. VI; *ib.*, p. 172.

*verendus* » dabatur, si vero illi ex Archimandritis electi sunt, tunc ratione huius dignitatis titulum accipiebant « *Reverendissimus* »<sup>72</sup>.

Secundum in capitulo Vilnensi 1667 norma etiam quoad titulos stabilita est, vi cuius Consultoribus generalibus tam a Metropolitano, quam ab omnibus aliis titulus: « *Venerabilis et Reverendus in Christo Pater* » dandus erat<sup>73</sup>. Et ita conservatur in posterum; e. g. in capitulo Minscensi adhuc anno 1690 idem titulus iisdem applicatur<sup>74</sup>.

Secunda periodo, norma hac in re statim capitulo primo statuta est, vi cuius Consultoribus competebat titulus: « *Venerabilis et admodum Reverendissimus* »<sup>75</sup>. Postea capitulum Berest. 1751 mutare voluit huiusmodi titulos et Consultoribus praescripsit titulum « *Religiosissimi et admodum Reverendi* »<sup>76</sup>, sed SCPF in approbatione huius capituli quoad titulos reverti praecipit ad titulos stabilitos capitulo Dubnen. 1743<sup>77</sup>, quos revera capitula posteriora retinent et urgent<sup>78</sup>.

### 3) - Praecedentia.

In hoc iure distinctio fieri debet inter praecedentiam Consultorum generalium quoad Religiosos simplices et Archimandritas.

A. Quoad Religiosos simplices nunquam ulla erat controversia vel dubium tam prima, quam secunda periodo, sed Consultores generales semper praecedebant omnes Religiosos simplices, exceptis Protoarchimandrita utraque periodo et secunda etiam Provincialibus. Quod prima periodo constat e *Constitutionibus Recognitis*<sup>79</sup>.

Secunda vero periodo idem patet iam a primo capitulo<sup>80</sup>. Quae constitutio quoad praecedentiam Consultorum respectu ceterorum Religiosorum simplicium immutabilis retenta est per omnia capitula<sup>81</sup>. Immo norma haec pro praecedentia capitulari statuta, tamquam unica ubique applicanda erat.

<sup>72</sup> In capitulo Zyrovicensi 1658 dicitur: « ibique ad intimationem Reverendissimi Patris Provincialis praesentes erant Reverendus Pater Sebastianus Kaczynski, Superior Brestensis; Reverendus Pater Constantinus Witopolski, Superior Zyrovicensis, Reverendus Pater Pachomius Ohilewicz, S. Theologiae Doctor, Ord. Divi Basilij Magni, Consultores ». *ib.* p. 56.

<sup>73</sup> S. 9; *ib.*, p. 102.

<sup>74</sup> « Post statutam tunc legem electi sunt imprimis Consultores ad duo vacantia haec obeunda munia, Venerabilis admodum Reverendus Pater Josephus Pietkiewicz, secundus autem Consultor Venerabilis admodum Reverendus Pater Symeon Ohurcewicz »; S. 3; *ib.*, p. 129.

<sup>75</sup> Const. 9.

<sup>76</sup> Const. 9.

<sup>77</sup> *Bullae...*, P. II, p. 84 ad 12.

<sup>78</sup> Berest. 1759, c. 12; 1772, c. 28.

<sup>79</sup> « Post Protoarchimandritam et Consultores generales considebunt Praesides »; Caput XXVI; AS, t. XII, p. 174.

<sup>80</sup> « Ut in capitulis non interveniant contentiones de locis, statuitur et praecustoditur, ut immediate post Proto-Archimandritam sedeant Provinciales utriusque Provinciae, post Provinciales Consultorium generale »; Const. 16.

<sup>81</sup> Berest. 1747, et 1751 c. 16; 1759, c. 20; 1772, c. 39.

B. In ordine vero ad Archimandritas pluries quaestio praecedentiae emergebat, sicut et in parte de Protoarchimandrita vidimus, tam prima quam secunda periodo. Quae tamen duae quaestiones identificari non possunt. Nam admissa praecedentia Protoarchimandritae super Archimandritis, quaestio adhuc remanebat praecedentiae Consultorum generalium super iisdem, etiam si ambae aliquando coniungebantur.

Prima periodo norma quaedam stabilis hac in re non observabatur.

1°. In actis tempore Metropolitae Rutskyj quaestio haec non patefit, eo vel magis, quod mens dicti Metropolitae erat officium Archimandritarum supprimendi.

2°. Sub posterioribus Metropolitis, qui influxum suum super Ordine tramite Archimandritarum extendere conabantur, erat omnino naturale, ut illi, ubi potuissent, praecedentiam super consultoribus generalibus, communiter monachis simplicibus, Archimandritis concederent, uti in capitulo Suprasliensi 1665<sup>82</sup> aliisque s. d. anti-capitulis, uti Minscensi 1683<sup>83</sup> et Novogrodensi 1684<sup>84</sup>, ubi Archimandritae subscribunt statim post Episcopos et nonnisi post illos Consultores.

3°. Immo praecedentia Archimandritis super ceteris omnibus Religiosis, comprehenso Protoarchimandrita, concessa est etiam in Synodo Zamostiana et post eam defensa est ab Hierarchia Ruthena coram SCPF, uti alibi exposuimus<sup>85</sup>.

4°. In actibus vero Ordinis internis, excepta periodo memorata influxus Metropolitanani, norma potius vigeat praecedentiae Consultorum generalium super Archimandritis. Itaque primum documentum, quod in quaestione huiusmodi praecedentiae certum invenitur est capitulum Torokanense 1661, ubi personaliter quisque manifestat, se huic capitulo participasse<sup>86</sup>.

5°. In capitulo autem Berestensi 1667, quo ad concordiam inter Metropolitanam eiusque partem et Officiales Ordinis deventum est, praecedentia

<sup>82</sup> O. c., p. 79.

<sup>83</sup> *IBIDEM*, p. 194.

<sup>84</sup> *IBIDEM*, p. 201.

<sup>85</sup> Cfr. vol. II, p. 80, nota 86.

<sup>86</sup> « Nos infrascripti Ordinis Officiales et monasteriorum Praesides et Legati: ego idem, qui supra in persona mea Benedictus Terlecki, Provincialis, Archimandrita Vilmensis, Bythenensis Hegumenus, Venerabilis et admodum Reverendus Pater Petrus Mimonski, Ordinis Consultor et zelator. per litteras dando legalitates suae absentiae; ego Pachomius Ohilewicz, S. theologiae doctor, Consultor Ordinis, socius in officio Reverendissimi Patris Provincialis in persona mea; ego Sebastianus Kaczynski, monasterii Biteniensis Superior in persona (qui erat etiam Consultor); ego Christophorus Milenkiewicz, Ordinis Secretarius, monasterij Zirowicensis Superior in persona; (tunc demum sequuntur Archimandritae) ego Michael Paszkowski, Archimandrita Trocensis, monasterij Novogrodensis Superior in persona... » (et sequuntur ceteri participantes); AS, t. XII, p. 61.

servata est correlativa, nempe a dexteris Metropolitae sedebant Episcopi et Archimandritae, a sinistris vero Vicarius Generalis cum Consultoribus<sup>87</sup>.

6°. Sed in capitulo Novogrodensi 1686 refertur: « *Lectum est, quomodo considerare in congregatione debeant Superiores et Legati; Consultores tamen post Episcopos primum acceperunt locum supra Archimandritas, secundum iura antiquiora* »<sup>88</sup>.

7°. Idem in posterum conservatum est, saltem ad Synodum Zamostianam, nam capitulum supracitatum norma evasit pro posterioribus, in quo scilicet constitutiones Ordinis sunt recognitae seu recognosci decisae a Consultoribus quaeve recognitae usque ad finem periodi observabantur. Quod patet etiam a capitulo posteriori, nempe Zyrovicensi 1694, ubi similis praecedenti invenitur passus<sup>89</sup>.

Secunda periodo, quaestio de praecedentia iterum mota, agitata et in nova forma decisa fuit.

1°. Statim capitulo primo Dubnen. 1743 ab eius limine orta est controversia inter Consultoria Congregationum uniendarum et Archimandritas, ut vidimus<sup>90</sup>, circa praecedentiam et resoluta in instanti a Metropolita in favorem Archimandritarum.

2°. Benedictus XIV quaestionem hanc distulit ad posteriorem solutionem, dependentem a solutione quaestionis generalis, scilicet dependentiae Archimandritarum<sup>91</sup>.

3°. Usque tamen ad novam ordinationem dependentiae eorundem per 12 annos praxis praecedentiae huiusmodi nos latet, quia toto hoc tempore capitulis, quae pro ceteris actibus constituebant normam, Archimandritae non participabant. Analogice tamen ad decisionem Benedicti XIV ad interim latam, vi cuius Protoarchimandrita in actibus monasticis praecedere debebat Abbates, in reliquis vero solitum observandum erat, idem applicandum videtur fuisse etiam ad ceteros Officiales Ordinis, nam in hac decisione, sicut et in illa controversia capitulari Protoarchimandrita totum Officium generale repraesentabat.

4°. Cum solutione autem quaestionis generalis circa dependentiam Archimandritarum, soluta est etiam quaestio praecedentiae, nempe decreto

<sup>87</sup> S. 9; AS, t. XII, p. 102.

<sup>88</sup> S. 2, n. 3; o. c., p. 121.

<sup>89</sup> « *Lectum est, quo ordine in congregatione considerare debeant personae ad illam vocatae. Itaque secundum iura antiquiora Consultores post Episcopos primum locum acceperunt supra Archimandritas* ». S. 2, n. 2; o. c., p. 131.

<sup>90</sup> Supra p. 73.

<sup>91</sup> « *Inter plures* », § 16; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 147; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

SCPF anni 1757<sup>92</sup>, secundum quod in capitulis servari debuit praecedentia correlativa, in quantum ad dexteram Protoarchimandritae sedere debebant Archimandritae, ad sinistram vero Consultores iuxta suum gradum, i. e. ordine alibi constitutionibus determinato<sup>93</sup>, scilicet imprimis Patres Provinciales, dein Consultores et Secretarii generales, tunc provinciales, uti alibi exposuimus<sup>94</sup>.

In ceteris actibus monasticis omnes Officiales Ordinis Archimandritas praecedebant, uti id iam ex ipsis litteris innotescentialibus Protoarchimandritarum patefit<sup>95</sup>.

In actibus denique non monasticis, praesertim ritualibus, Archimandritae ratione dignitatis ecclesiasticae praecedentiam habebant super Consultoribus Ordinis.

C. Inter se denique Consultores generales prima periodo praecedebant ordine antianitatis electionis in Consultorem.

Substitutor tamen ultimum locum inter Consultores occupabat, ea ratione, quod ceteri erant ad vitam constituti, ipse vero solum per quadriennium officium hoc implere potuit.

Secunda periodo imprimis Consultores e provincia Protoarchimandritae actualis praecedunt Consultores alterius provinciae vel, si postea de quatuor provinciis actum est, tunc secundum ordinem turni protoarchimandritalis; eiusdem vero provinciae ordine electionis.

Quod substitutores spectat, extra capitulum electos, duplex suppositio supponi debet. Donec erant duo Consultores ex eadem provincia, tunc substitutor accipiebat locum secundi Consultoris eiusdem provinciae, etiamsi substitueret primum eo, quod alter in capitulo electus est. E contra, si unus tantum erat Consultor ex unaquaque provincia, tunc substitutor plene accipiebat

<sup>92</sup> *Bullae...*, P. II, p. 121; ad 14.

<sup>93</sup> Dubnen. 1743, const. 16.

<sup>94</sup> Cfr. vol. II, p. 81.

<sup>95</sup> Itaque litterae huiusmodi ad capitulum Berestense 1772 convocatoriae schedam vocalium ordine praecedentiae compositam in hunc modum continent: « Ex Provincia autem Lithuana, praeter Abbates Grodnensem, Zydzczynensem, Braclaviensem, Dorohobuscensem et nonnullos Superiores, quorum quidam se ab adventu litteris excusarunt, legitimi vocales comparuerunt:

- 1) - R.mus P. Nicodemus Karpinski, Provincialis;
- 2) - R.mus P. Georgius Szallatowicz, electus in locum Perill'ris R.mi Beyner, Abbatis Zydzczynensis, qua Consultoris Ordinis;  
R.mus Pr. Theodosius Rostocki, Secretarius Ordinis;
- 3) - Perill'ris R.mus Cyprianus Bulhak, Abbas Leszczynensis,  
Perill'ris R.mus Augustinus Novosielski, Abbas Kobrynensis,  
Perill'ris R.mus Alexander Jodko, Abbas Dermanen, et Dubnen;
- 4) - Rl.mus Sylvester Artecki, Protoconsultor Provinciae;  
Rl.mus Benedictus Eliaszewicz, 2dus Consultor Provinciae;  
Rl.mus Pater Justinus Czezckowski, 3tius Consultor Provinciae,  
Rl.mus P. Samuel Nowicki, 4tus Consultor Provinciae,  
Rl.mus P. Caesarius Czudowski, Secretarius Provinciae... »; s. 1.

locum substituti, etiam in succedendo in officio Protoarchimandritae, si ex huius erat provincia, propterea quod Vicarius Generalis semper ex provincia Protoarchimandritae esse debuit, ut nempe penes eandem provinciam per totum quadriennium vel octennium esset regimen generale.

4) - Intrabant eo ipso capitula.

Tam prima, quam secunda periodo Consultores generales eo ipso intrabant capitulum generale, periodo vero secunda etiam respectivum provinciale seu propriae provinciae; generale quidem cum voce activa et passiva utraque periodo, provinciale vero periodo secunda solum cum voce activa, non vero passiva eo, quod saltem ab anno 1772 in Provinciales eligi non potuerunt.

Quoad primam periodum, idem patet e praxi, quia omnibus aderant capitulis, et in Vicarium Generalem vel Protoarchimandritam quadriennem eligebantur, idemque in pluribus constitutionibus supponitur, etiam si nulli libi expresse assertur, uti in constitutione de praecedentia capitulari: « *Post Protoarchimandritam et Consultores generales considebunt Praesides seu Hegumeni* »<sup>96</sup>, et alibi: « *Protoarchimandritam eligere debet Metropolita cum Superioribus omnium monasteriorum, cum PP. Consultoribus generalibus et Legatis* »<sup>97</sup>.

Secunda periodo de ingressu et voce activa Consultorum generalium in capitulo generali expresse loquitur Benedictus XIV in decretali « *Inter plures* »<sup>98</sup>. Passivam vero in eodem capitulo, secundum decretum SCPF 1742, habere debent omnes et singuli monachi professi totius Congregationis, non habentes canonicum impedimentum<sup>99</sup>.

5) - Intrabant in Synodum provincialem.

I<sup>o</sup>. De Kobrinensi 1626 non constat utrum eidem Consultores generales Ordinis participarent vel non. Affirmativum responsum tamen requirent tam acta ipsius Synodi citatae, quam praxis posterior. In actis dictae Synodi praesentes nominantur inter alios: « *Archimandritae et Igumeni* »<sup>100</sup>, quorum principales habebantur semper Consultores generales, qui, ut vidimus, poterant et de facto semper erant Superiores monasteriorum praestantiorum. Synodi vero posteriores illos etiam vocabant.

<sup>96</sup> CR, c. XXVI; AS, t. XII, p. 174.

<sup>97</sup> Novogrodivicen. 1617, s. 3, n. 12; o. c., p. 10.

<sup>98</sup> « *Ut in capitulis generalibus, quando agitur de electione Proto-Archimandritae, suffragium ferre debeant, praeter Metropolitanum capitulo praesidentem, Consultores, Secretarii generales* »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149, § 27; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>99</sup> *Bullae...*, P. I, p. 73, n. 3.

<sup>100</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 116, § 2; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. I, p. 471 sq.

2<sup>o</sup>. In Zamostiana Synodo 1720, praeter Protoarchimandritam, e Curia generali enumerantur: « *Venerabilibus admodum Reverendis Patribus*: 1) *Basilio Procewicz, Consultore Ordinis, Superiore Chelmen.*; 2) *Demetrio Zankiewicz, Consultore Ordinis, Superiore Nowogrodecen.*; 3) *Antonio Tomilowicz, Ordinis Secretario*<sup>101</sup>; supra vero inter Archimandritas memoratur; 4) *Iacobus Solikowski, Ordinis Pro-Consultor* »<sup>102</sup>.

3<sup>o</sup>. Quod tertiam spectat, anno 1765 celebrari habendam, in documentis tam Supremi Pontificis, quam SCPF etiam Consultores generales Basiliani inter illam ingressuros enumerantur. Litterae Clementis XIII ad Synodum invitatoriae diriguntur etiam ad Consultores generales<sup>103</sup>.

E quibus litteris postea dubium ortum est tantum de participatione eidem Synodo Consultorum provincialium, non vero generalium, quod SCPF solvit pro his solis<sup>104</sup>.

De voce tamen deliberativa in hisce omnibus Synodis Consultorum generalium non constat, quoad ultimam vero celebrari habendam expresse illa iisdem denegata est<sup>105</sup>.

6) - Quod denique electionem Metropolitae spectat, prout e documentis supra allatis constare potest<sup>106</sup>, saltem vi conventionum inter Hierarchiam Ruthenam et Ordinem Basilianum ius participandi in electione sive constitutione Metropolitae etiam Consultoribus generalibus eiusdem Ordinis competebat.

1<sup>o</sup>. Ita enim in conventione Metropolitae V. Rutskyj cum Ordine, in primo capitulo anno 1617, Coadiutor Metropolitae cum iure successionis eligi debuit a Metropolita, consultis Protoarchimandrita et Consultoribus generalibus<sup>107</sup>.

2<sup>o</sup>. Dein, secundum decretum SCPF 1643, praeter Episcopos, Coadiutorem Metropolitae cum iure successionis eligere debuerunt etiam « *Praelati* », qui, secundum alia documenta eiusdem S. Congregationis, intelligebantur,

<sup>101</sup> Cfr. p. 36.

<sup>102</sup> Cfr. p. 35.

<sup>103</sup> « *Dilectis filiis Protoarchimandritae, Provincialibus et Consultoribus Ruthenis Ordinis S. Basilii Magni* »; et infra: « *Verum dilecti filii, cum vestra quoque auctoritas, doctrina et prudentia haud parum huic sancto operi conferre valeat, ideo vos in Domino hortamur ac petimus, ut, quemadmodum alias impigre fecistis, eidem Synodo adesse atque in medium proferre velitis quidquid opportunum videbitur tum Dei gloriae amplificandae, tum cleri et populi moribus reformandis, ne sordes neglectae in morbum evadant et gravius inde discrimen oriatur* »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. IV, p. 118; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 188.

<sup>104</sup> Supra p. 79.

<sup>105</sup> IBIDEM.

<sup>106</sup> Supra p. 80 ss.

<sup>107</sup> Novogrodovicense 1617, s. 4, n. 21; AS, t. XII, p. 12.



non tantum Abbates seu Archimandritae, verum etiam Protoarchimandrita et Consultores generales Basiliani <sup>108</sup>.

3<sup>o</sup>. Sed conventio hac in re inter Hierarchiam Ruthenam et Ordinem Basilianum, quae maximam creavit difficultatem pro huiusmodi quaestionis solutione theoretica anno 1747, erat *Nexus* conclusus in capitulo generali Dubnensi 1743, vi cuius etiam Consultores generales electionem Metropolitanæ convenire debuissent: « *Rev.mus Proto-Archimandrita cum pleno Venerabili Consultorio utriusque Provinciae intrabit cum votis in electionem tum Ill.mi Metropolitanæ, tum Coadiutoris illius una cum Abbatibus* » <sup>109</sup>.

Nam revera *Nexus* ille, constituens partem capituli praedicti, erat confirmatus a Benedicto XIV decretali « *Inter plures* » eo, quod inibi fit confirmatio generalis totius capituli neque *Nexus* ille ullomodo a confirmatione excluditur, uti aliae quaedam quaestiones; immo quaedam puncta eiusdem expresse in decretali citantur. Illatio inde ad ius praedictum Consultorum generalium erat tam clara, ut S. Congregatio illud non agnoscere non potuerit, sed immo hoc facto iuridico consternata, nonnisi ad ipsum Romanum Pontificem pro declaratione eius mentis quoad confirmationem illam recurrit <sup>110</sup>.

Hinc ergo dicendum est, solutionem implicitam quaestionis praesentis, ut supra <sup>111</sup>, fuisse potestativam, non declarativam, i. e. S. Sedes utendo sua potestate quaestionem participationis Basilianorum in electione Metropolitanæ solvit « *motu proprio* », sine respectu ad actualem statum iuris; quod tamen fecit ob rationes non iniustas.

Ratio enim intima illius solutionis revera non erat ius, quod recentissima documenta probabant, sed magna inconvenientia enascens e numero superante electorum Basilianorum, quam indicabat iam S. Congregatio in supra allato recurso ad Romanum Pontificem <sup>112</sup>.

Fuse vero eandem rationem explicavit Romano Pontifici Secretarius SCPF in sua relatione: « *Il Segretario di Propaganda prende l'ardire di umiliare*

<sup>108</sup> APF, *Acta 1707*, v. 77, f. 352; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. II, p. 222.

<sup>109</sup> N. 6.

<sup>110</sup> « Spetta pertanto a Vostra Santità di dichiarare se con ciò ha voluto anche approvare gl'altri Punti del Nesso; e quello in particolare, che riguarda l'intervento del Generale e Consultori nella elezione del Metropolitanò; tanto più, che secondo l'avviso di Mons. Nunzio, tale è l'opinione e de Vescovi e de Monaci »; Relatio SCPF facta Suae Sanctitati; APF, *Elezione del Metropolitanò 1748*, v. 102, ff. 120.

<sup>111</sup> Supra p. 84.

<sup>112</sup> « In questo caso però è anche degno di riflessione, se, oltre al Generale, debbano, secondo il Nesso, intervenire all'elezione e li Consultori, e gli Abbati, e tutti questi con voto distinto. Presentemente i Vescovi Ruteni sono sei, essendo vacanti le due Chiese di Smolensko e di Leopoli; gl'Abbati sono incirca a tredici, i Consultori Generali quattro ». (L. c.).

alla S. V. alcune riflessioni intorno all'escludere il Protoarchimandrita dal dare il voto nella elezione del Metropolitanano »<sup>113</sup>.

Revera secundum hoc votum soluta est quaestio participationis Basilianorum in electione Metropolitanae anno 1747 et posterioribus, uti supra vidimus, exclusis scilicet tam Consultoribus generalibus, quam Abbatibus ipsis<sup>114</sup>.

#### Art. 4

#### De officii Consultorum generalium tempore in eoque successione

##### Prima periodo.

I. Hac periodo Consultores generales electione capitulari ad vitam constituendi erant et revera per totam periodum ita constituebantur, non obstantibus conatibus afficium hoc ad quadriennium, sicut Protoarchimandrita ab anno 1675, reducendi.

1°. Capitulo primo Novogrodovicensi 1617 perpetuitas Consultorum generalium primo statuitur: « *Idem Protoarchimandrita habere debet penes se ab iisdem Superioribus electos, qui attendant, uti ipse muneri suo satisfaciat iidemque erunt quatuor, advitales* »<sup>115</sup>.

2°. De perpetuitate eorundem loquitur etiam Metropolitanus Rutskyj in capitulo Vilnen. 1636<sup>116</sup>.

3°. Idem patet e praxi posteriori, nam Consultor electus in Vicarium Generalem Protoarchimandritae-Metropolitae ad quadriennium officio suo non

<sup>113</sup> « I Vescovi della Russia essendo otto, pare, che i Vescovi non acconsentiranno mai, che il Protoarchimandrita con i quattro suoi Consultori e gl'Abbatì, che sono incirca a tredici, abbiano voto nella elezione del Metropolitanano, atteso che l'elezione dipenderebbe più dalli Monachi, che dalli Vescovi, avendo quelli la pluralità de voti.

Vostra Santità si degnerà osservare che nel 1714 il solo Protoarchimandrita diede il suo voto nella elezione del Metropolitanano, e non apparisce che dalli Vescovi si fosse fatta alcuna opposizione.

Quando pertanto Vostra Santità volesse per grazia speciale, e senza pregiudizio delle ragioni di ambedue le parti permettere, che il solo Protoarchimandrita per questa volta intervenisse col voto alla elezione del Metropolitanano, si può credere che i Vescovi non farebbero opposizione sull'esempio precedente; ed all'altro canto la Congregazione de Basiliani Ruteni, la quale da Vostra Santità è stata col molte dimostrazioni di paterno affetto distinta, attribuirebbe questa grazia ad un nuovo segno della sua pontificia beneficenza. Aggiungesi, che può darsi il caso, che questo esempio, benché provvisoriale, determini col tempo li Vescovi, ed i Monaci a supplicare Vostra Santità di rendere stabile per il solo Protoarchimandrita e terminerà con ciò l'antica controversia»; APF, *Elezione del Metropolitanano 1748*, vol. 102, f. 118.

<sup>114</sup> Supra p. 84.

<sup>115</sup> S. 3, n. 15, AS, t. XII, p. 11.

<sup>116</sup> « De Consultoribus advitalibus et eorundem habitatione penes Protoarchimandritam ». O. c., p. 37.

privabatur, sed ad idem tempus ab eodem exercendo suspendebatur, ab alio substitutus; hinc planum est, illum fuisse ad vitam constitutum<sup>117</sup>.

4°. In controversia tamen Ordinis cum Metropolita Cypriano Zochowskyj in capitulo Minscensi 1683, a fractione monachorum cum dicto Metropolita celebrato, inter alia statutum est: « *Statutum (est), Consultores et Secretarium Ordinis eorumque officia, quia fuere hactenus advitalitia, ideoque onerosissima et in aliquibus scandalosissima, ad quadriennium tantum duratura, quandoquidem et munus ad quadriennium tantum* »<sup>118</sup>. Quod eodem capitulo in effectum deductum fuit: « *Consultores Ordinis electi, R. P. Pachomius Ohilewicz, R. P. Bonifacius Puczkowski, R. P. Joannes Korzeniewski, R. P. Barsanophius Kobylnicki; Secretarius R. P. Eustachius Wienczek, nonnisi ad quadriennium* »<sup>119</sup>.

Tunc, causa Romam delata, editum est Breve Innocentii XI: « *Ad Apostolatus* » quo inter alia Metropolita dictus a Pontifice repraehendebatur quia: « *Consultores, qui perpetui esse solent ab eorum muneribus amovere non dubitavit* », ideoque, concludit idem Pontifex: « *amotiones dictorum Consultorum ... Autoritate Apostolica tenore praesentium cassamus, irritamus, invalidamus et annullamus viribusque et effectu penitus et omnino vacare ac cassa, irrita, invalida et nulla viribusque et effectu vacua et nullius omnino momenti esse et fore decernimus et declaramus* »<sup>120</sup>.

Cum tamen — convocato iterum non rite nec legitime capitulo Novogrodeci anno sequenti 1684 — Metropolita eadem gesta capituli praecedentis repeteret ac approbaret Sacramque Congregationem, ut approbentur, rogaret<sup>121</sup>, tunc SCPF, tota hac causa in Congregatione Particulari visa, edidit decretum, quo inter alia statuit: « *Quo vero ad alia gesta in 3a s., §: Descensum ... declarentur nulla et reintegrentur Consultores et Secretarius ad sua officia vitalitia, cum solitis facultatibus* »<sup>122</sup>.

5°. Post huiusmodi praeliminaria celebratum est capitulum Novogrodense anno 1686, in legislatione Basiliana periodo prima summi momenti, quo inter alia in eiusdem s. d. *Constitutionibus Recognitis* lata est etiam constitutio de Consultoribus: « *Idem Protoarchimandrita habeat penes se electos*

<sup>117</sup> Ita, expresse exposita ratione, fit e. g. in capitulo Berestensi 1667: « *sed propterea, quod Vicarius electus ad quadriennium simul erat Protoconsultor advitalis et non potuit simul esse Vicarius et Protoconsultor, officio Protoconsultoris ad quatuor annos cessit et electus est in eius locum item ad quatuor annos Reverendus pater Stephanus Martyszkiewicz Businski, Superior monasterii Vilmensis* ». S. 3; o. c., p. 91.

<sup>118</sup> S. 2; o. c., p. 189.

<sup>119</sup> S. 3; o. c. p. 191.

<sup>120</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. II, p. 66, § 3; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. I, nr. 612.

<sup>121</sup> S. 3, AS, t. XII, p. 199.

<sup>122</sup> *Decretum SCPF 1684* (17.VII); APF-CP, 1680-97, v. 29, f. 86.

*ab iisdem Praesidibus, qui attendant, ut ipse muneri suo satisfaciat. Hi vero erunt numero quatuor advitalesque, sicut per Breve Innocenti XI et per decretum Eminentissimorum Cardinalium de propaganda fide statutum est»*<sup>123</sup>.

6°. Confirmata huiusmodi constitutio capituli primi per nuper allatam constitutionem « C. R. » videbatur firma ac indiscutibilis in posterum fore. Attamen, etiamsi de facto usque ad finem periodi conservata est, non deerant tamen quaedam nova tentamina ad eandem mutandam. Iam enim anno 1698 nata est huiusmodi quaestio, ut acta capitularia ostendunt<sup>124</sup>.

7°. Novum tentamen huiusmodi officium e perpetuo in quadriennale mutandi factum est anno 1713 in capitulo Vilnensi; cuius tamen acta prae manibus habere non potui, factum vero constat e documentis SCPF, ubi huiusmodi quaestio diu tractata est<sup>125</sup>.

Habebantur de eadem quaestione anno sequenti 1715 duae Congregationes Generales eiusdem Sacrae Congregationis, nempe die 16.IX, et 17.XII<sup>126</sup>; at sine ullo effectu, deficientibus informationibus Nuntii Apostolici.

<sup>123</sup> CR, c. VI; AS, t. XII, p. 171.

<sup>124</sup> « Orta quaestione num Consultores cum Secretariis advitales esse deberent et non ad quadriennium, lectum est decretum S. Congregationis de propaganda fide praecipiens, ut sint advitales, quo exaudito advitalitas Consultorum et Secretarii admissa est »; Bythenense 1698, s. 4, n. 2; o. c., p. 138.

<sup>125</sup> De quo ita in actis S. Congregationis anni 1714 (17.XII): « Mons. Kiszka, Vescovo di Vladimiria et Amministratore della Metropolia di Russia, con altri Vescovi Ruteni uniti rappresenta all'EE. VV. come nel Capitolo Generale dei Monaci Basiliani tenuto in Vilna nel mese di Luglio dell'anno passato, aspirando alcuni di quei Religiosi ad innovazioni contro i diritti e privilegij del medesimo Ordine, mossi da qualche particolare livore contro uno de Consultori, pretesero di ridurre la perpetuità de Consultori già da un secolo praticata, stabilita con le Costituzioni dell'Ordine e confermata con Decreti di questa S. Congregazione, a un tempo determinato di quatro anni. I Consultori però per mitigare tale loro pretensione, stimarono espediente che per allora si venisse all'elezione de Consultori, che mancavano; e che quanto alla perpetuità, o quadriennio si dovesse tal questione decidere dall'EE. VV.; non acquietandosi con tutto ciò li medesimi Religiosi si protestavano, o di ritirarsi dal luogo del Capitolo, o pure annullare la detta perpetuità.

I medesimi Prelati perciò mossi dal zelo della S. Unione per ovviare a scandali, che potevano per tal cagione seguire nella città di Vilna, condescesero all'elezione de Consultori ad quadriennium, con pensiero di ricorrere conforme fanno all'EE. VV., affinché dichiarino nullo et invalido il decreto estorto in detto Capitolo per l'elezione de Consultori ad tempus, confermando i Decreti antecedenti per la perpetuità di detto officio.

Della qual grazia con foglio a parte ne supplicano anco il Protoarchimandrita ed altri monaci dell'istesso Ordine ».

Tunc referuntur in hac materia documenta praecedentia, i. e. constitutio capituli primi saepe citata; decretum SCPF ex anno 1685; et ex anno 1688. In fine rescribitur:

« Rescriptum: — D. Nuntio pro informatione et certioretur de singulis contentis in adnotatione et iuxta suam prudentiam studeat componere partes vinculo charitatis »; APF, Acta, 1714, v. 84, f. 742, n. 23.

<sup>126</sup> APF, Acta 1715, v. 85, f. 501, n. 5, et f. 647, n. 1; cfr. A. G. WELYKYJ, Acta S. C. de Prop. Fide, vol. III, p. 133-134, n. 950, 952.

Denique ultima Congregatio Generalis eiusdem Sacrae Congregationis habita est anno 1716 (22.XII), de hac quaestione in qua recessus quorundam Religiosorum a sua oppositione perpetuitati Consultorum gen. signatur<sup>127</sup>.

8°. Anno sequenti 1717 tenebatur novum capitulum generale, ex quo item habentur nonnisi excerpta, e quibus non constat de facti specie.

9°. Quod tamen norma et praxis perpetuitatis Consultorum generalium usque ad finem periodi perduravit, patet maxime e duobus capitulis in limine eiusdem celebratis.

a) In capitulo enim Leopoliensi 1739, ab alia Congregatione celebrato, electus est in eiusdem Protoarchimandritam Patricius Zyrawskij, qui hucusque, ut inibi expresse signatur, erat in Congregatione SS. Trinitatis Consultor ad vitam constitutus, ideoque etiam in hac altera Congr. Protectionis B. V. Mariae contra huius constitutiones ad eundem Consultorem vitalitium electus est, substituendus per quadriennium officii protoarchimandritalis gerendi ab alio pro-Consultore<sup>128</sup>.

b) Alterum capitulum quod normam et praxim illam conservatam demonstrat, est iam primum capitulum periodi secundae, nempe Dubnense 1743, quo ad conditionem Congregationis Ruthenae, ut Consultores generales sint quadriennales, Congregatio Lithuana respondit: « Quod autem attinet Consultores generales, cum pro advitalitate illorum habeatur Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, spectat ad eandem de diuturnitate disponere »<sup>129</sup>.

## II. Quod autem successionem in officio Consultorum generalium spectat

<sup>127</sup> « Il P. Procurator Gn.le de monaci Ruteni espone all'EE. VV. d'haver lettere del suo P. Generale con avviso, che quei Religiosi, che s'opponevano alla perpetuità de Consultori e volevano, che fossero ad tempus, vedendo che questa loro istanza non haveva fondamento, hanno tralasciato l'impegno, ne sono più comparsi avanti al Mons. Nunzio, avanti de quale pendeva et ancor pende tal controversia. Onde Oratore supplica anco per parte della sua Religione l'E. VV. a degnarsi di confermare con loro Decreto la pratica dell'istessa Religione circa l'elezione de Consultori a vita e perpetui, acciocchè in avvenire non s'innovi sopra di ciò cosa alcuna.

Et io mi fo lecito suggerir all'EE. VV., che sopra tal materia fu nell'anno passato replicatamente scritto per informazione a Mons. Nunzio di Polonia, da cui non si hebbe risposta. Il P. Procuratore però non esibisce alcun documento sopra l'assertiva, che i PP. non si oppongano più alla perpetuità de Consultori, conforme altre volte hanno fatto. Rescriptum: — D. Nuncio Poloniae pro informatione, iuxta, esposita»; APF, *Acta 1716*, v. 86, f. 420, n. 11.

<sup>128</sup> « Die Veneris trigesima prima Augusti, invocato Spiritu Sancto, Ill.mus et Excellentissimus Dominus Praeses Congregationis, per brevem ad singulos allocationem, intimavit electionem Consultorum simulque Secretarii Ordinis et mox communi omnium consensu R.dmus in Christo Pater Patricius Zyrawski, Congregationis praesentis Protoarchimandrita, in primum eumque advitalem Consultorem, ex ea ratione quod Consultorum et Superiorum advitales in Congregatione SS. Trinitatis deseruit, electus est»; S. 5.

<sup>129</sup> *Conditio 13.*

normae generales supra expositae<sup>130</sup>, tam quoad constitutionem substitutoris eiusdem consultorialem, quam capitularem, omnino valent.

In praxi autem crebra erat hac periodo praesertim constitutio capitularis s. d. pro-Consultoris seu substitutoris Consultoris electi vel in Vicarium Generalem Protoarchimandritae-Metropolitae vel post annum 1675 in Protoarchimandritam quadriennem<sup>131</sup>.

### Secunda periodo.

I. Statim capitulo primo huius periodi, ut immediate supra vidimus, quaestio mota est de diuturnitate officii Consultorum generalium, quos Congregatio Ruthena quadriennales voluit, Lithuana vero vitalitios, concedendo tamen, ut quaestio ad decisionem S. Congregationis mittatur. In resolutionibus tamen communibus utriusque Congregationis resolutum est, ut Consultores generales uti ceteri Officiales Ordinis et provinciarum pro hoc turno sint quadriennales, relicta in posterum libertate capitulis hoc tempus mutandi: « *A Generali futuro seu Protoarchimandrita omnia officia nempe Consultoriatu, Secretariatu et Provincialium ad quadriennium durare debent. Post expiratam vero alternativam in Generalem, si videbitur Patribus utriusque Provinciae in Capitulo Generali, poterunt aliud praescribere tempus* »<sup>132</sup>.

Quo pacto tempus officii Consultorum generalium cum tempore capituli generalis ligatum est, seu officium hoc a capitulo ad capitulum durare debuit.

Ad calcem huiusmodi resolutionis formata est eodem capitulo constitutio, qua de Consultoribus statuabatur: « *Eadem ratione statuitur, ut etiam officium Provincialium, Consultorum et Secretariorum tam Rev.mi Proto-Archimandritae, quam respective Provincialium non sit advitale, sed tantum quadriennale. In futuris tamen Capitulis generalibus, si videbitur Patribus utriusque Provinciae, poterit aliter constitui* »<sup>133</sup>.

Quo capitulo a Benedicto XIV approbato, sequens capitulum constitutionem allatam nonnisi repeteret<sup>134</sup>.

Iterum vero sequens capitulum Berestense 1751, facultate sibi in praedictis concessa tempus tam Protoarchimandritae, quam ceterorum Officialium generalium e quadriennali in octennale prolongavit<sup>135</sup>.

<sup>130</sup> Supra p. 149 ss.

<sup>131</sup> Berest. 1667, s. 3; o. c., p. 91; Vilnen. 1667, s. 1; o. c., p. 93; Novogr. 1686, s. 8; o. c., p. 126; Zyrovicen. 1694, s. 2, n. 3; o. c., p. 131; Bytenen. 1698, s., o. c., p. 142; Novogrod. 1703, s. 15; o. c., p. 156; Bilen. 1709, s. 11; o. c., p. 169.

<sup>132</sup> Resol. 8.

<sup>133</sup> Const. 1.

<sup>134</sup> Const. 1.

<sup>135</sup> « Cumque 1-ma Constitutio legeretur, qua determinatum erat, ut officium Generalis cum suis Officialibus non diutius protrahatur quam ad quadriennium,

SCPF in decreto capitulum hoc adprobante constitutionem hanc expresse approbavit, ut supra vidimus<sup>136</sup>.

A quo inde capitulo norma octennalis officii omnium Officialium Ordinis usque ad finem periodi conservata est, etiamsi in praxi ob diversa adiuncta illud quibusdam vicibus protractum est, uti in officio protoarchimandritali vidimus<sup>137</sup>.

II. Successio in officio Consultorum generalium hac periodo nonnisi consultorialis esse potuit, eo quod, ut vidimus, officium eorundem a capitulo ad capitulum tantum durabat, et secundum normas pro omnium Officialium successione communes supra expositas peragenda erat<sup>138</sup>.

Officia et iura huiusmodi substitutorum eadem erant ac Consultorum reliquorum.

## Art. 5

### De Protoconsullore

Primus Consultor electus seu Protoconsultor tam prima, quam secunda periodo praeter officia iuraque ceteris Consultoribus communia quaedam etiam sibi propria obtinebat.

apposita tamen fuisset Clausula, in futuris Capitulis, si videbitur Patribus utriusque Provinciae, posse aliter constitui, PP. congregati perpensis viarum incommodis, atque non levibus expensis, unanimi voce quadriennale tempus, servato inviolabiliter ordine alternativo, ad octennium extenderunt»; (Const. 1).

<sup>136</sup> Supra p. 139.

<sup>137</sup> Supra p. 139.

<sup>138</sup> In praxi vero habentur quaedam exempla electionis consultorialis Consultorum generalium, uti:

a) anno 1782, quae bene describitur in rescripto SCPF ex eodem anno: « Beatissime Pater. — Josephus Morgulec, Ordinis S. Basilij M. Congregationis Ruthenorum Protoarchimandrita, humillimus Sanctitatis Vestrae Orator obsequentissime exponit subsecutam fuisse anno currenti mortem unius ex Consultoribus generalibus suae Congregationis, in cuius locum, quoniam juxta Constitutiones ultimi Capituli Bresten. subrogari debuit alius per vota secreta reliquorum Consultorum generalium, una cum votis Consultorum singularum Provinciarum, medietate plura eligendus, iuxta vero novissimi Torokanensis, numerus eorundem occasione exdivisionis in eodem factae in quatuor Provincias auctus est: iste vero tempore electionis completus haberi non potuit, eo quod Provincialis Albae Russiae et Galliciae cum suis respectivis Consultoribus ob publicata Edicta illorum locorum omnem Congressum et communicationem quantum ad hunc casum nobiscum severissime vetantia, nullomodo intervenire potuerint, prout litteris suis palam contestati sunt. Hinc electionem novi Consultoris peractam esse per solos dumtaxat Consultores Provinciae Lithuaniae et Poloniae cum reliquis Consultoribus generalibus electumque esse in Consultorem generalem ex Provincia Lithuana per vota medietate plura P. Partenium Terlecki, Provinciae Lithuaniae Professum, n. Abbatem Braclaviensem. Quam electionem, ut, non obstante absentia supradictorum Consultorum Provinciae Albae Russiae

1) - Prima periodo, ipse imprimis fuisse videtur ille « unus » e Consultoribus, qui secundum capitulum primum cum Protoarchimandrita cohabitare tenebatur<sup>139</sup>. Quae tamen constitutio in desuetudinem transiit, nam omnes Consultores, vidimus, fuisse simul Superiores, immo Archimandritas monasteriorum singularium, quae inde constitutio in *Constitutionibus Recognitiis* non repetitur.

2) - Usquedum Protoarchimandritae erant Metropolitanae cum suis Vicariis Generalibus idem, qui vivente Protoarchimandrita-Metropolita, etiam post huius mortem in administratione Ordinis usque ad electionem novi Protoarchimandritae remanebat<sup>140</sup>.

Sed ex quo Protoarchimandritae incipiunt esse simplices monachi quadriennales, qui Vicarios Generales durante eorum officio non habebant, illis ab officio ante capitulum quadriennale cessantibus, regimen Ordinis tamquam Vicarius Generalis assumebat ipso facto Protoconsultor, cum iisdem potestatibus ac Protoarchimandrita. Quod patet tam e *Nexu* ex anno 1686, quam e *Constitutionibus Recognitiis*<sup>141</sup>.

3) - Secundum praxim in capitulis receptam ipse erat etiam scrutator in electionibus capitularibus<sup>142</sup>.

et Galliciae, Sanctitas Sua benigne approbare velit, quemadmodum eorundem Officialium factam electionem, paulo ante in Capitulo Torokanen. confirmare dignata est, non obstante quod ejusdem Capituli Constitutiones nec dum confirmatae sint et ad futurum Capitulum suspensae maneant, Orator praedictus supplex exposuit. Quam gratiam etc. ...

Ex Audientia SS.mi Domini Nostri Pij Divina Providentia Papae VI, habita per me infrascriptum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarium die 17 9bris 1782: SS.mus, attentis expositis, electionem Patris Parthenij Terleckyj in Consultorem Generalem Ordinis s. Basilij M. Congregationis Ruthenorum ex Provincia Lithuana benigne confirmavit, juxta petita, quibuscumque in contrarium non obstantibus. — Datum Romae, ex aedibus ejusdem Congregationis, die et anno quibus supra (L. S.). Stephanus Borgia, Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretarius».

b) Alia vero huiusmodi electio substitutoris consultoris generalis habetur anno 1791. Evecto nempe Protoarchimandrita Skarbek-Wazyński Porphyrio ad dignitatem episcopalem, eidem successit in officio ad finem turni, tamquam Vicarius Generalis, primus Consultor ex eadem provincia, Maximilianus Wilczynski, qui a Romano Pontifice titulo Protoarchimandritae praeditus est. Inde ad complendum numerum Consultorum generalium electus est ex eadem provincia substitutor Consultoris P. Laurentius Rymaszewski; APF, *Lettere 1791*, v. 260, f. 8.

<sup>139</sup> S. 3, n. 15; AS, t. XII, p. 11.

<sup>140</sup> Quod patet e capitulo Zyrovicensi 1675. Usque enim ad annum 1674 Protoarchimandrita Ordinis erat Metropolita Gabriel Kolenda, qui hoc anno mortuus est. Capitulo autem eius mortem subsequente, Pachomius Ohilewycz, qui anno 1671 in capitulo Novogrodensi dicti Protoarchimandritae Vicarius Generalis electus est, etiam adhuc « administrator Protoarchimandritae », scil. a morte illius usque ad capitulum praedictum vocatur. S. 3, n. 4; o. c., p. 111.

<sup>141</sup> *Nexu* 1686, n. 15, et CR, c. XX; o. c., p. 172.

<sup>142</sup> In capitulo enim Berestensi 1667 refertur: « Tunc invocato Spiritu Sancto Reverendissimus Pater Paphnutius (lege Pachomius) Ohilewicz, Ordinis Protoconsultor et Reverendus Pater Christophorus Milenkiewicz, Ordinis Secretarius, secundum legis praescriptum insurgunt, chartulas distribuunt ». Ad quod allu-



Secunda periodo Protoconsultor Ordinis semper e provincia Protoarchimandritae eligendus erat, qui hoc ante finem turni ab officio cessante regimen Ordinis accipiebat.

Ita etiam constitutum est primo capitulo in *Nexu* Ordinis cum Metropolita concluso<sup>143</sup>. Ad quod *Nexus* punctum postea alludebat Benedictus XIV in decretali «*Inter plures*»: «*Vita functo Protoarchimandrita, decrevistis, quod primus Consultor generalis, ex ea provincia eligendus ex qua erat defunctus Proto-Archimandrita, reget cum scitu Metropolitanis Religionem; deindeque ea subiungitis, quae intimationem futuri capituli generalis pro successoris electione concernunt. Loco itaque praemissarum vocum: "reget cum scitu Metropolitanis Religionem", alias hasce substituetis: "reget Religionem, certiorato prius de obitu Proto-Archimandritae Metropolitanis, eique servato debito honore et reverentia"* »<sup>144</sup>.

Potestas eius et obligationes eadem erant ac Protoarchimandritae in cuius plenum officium ingrediebatur. In constitutionibus capituli Berestensis 1772 dicitur: «*praeritque plena cum potestate Congregationi ad finem Proto-Archimandritalis turni* »<sup>145</sup>. Hinc etiam *Codex Constitutionum* constitutionem respectivam formavit<sup>146</sup>.

Attamen non gaudebat privilegiis personalibus Protoarchimandritae, uti e. g. privilegio pontificalibus uti seu insigniis archimandritilibus, etiamsi quidam Vicarii quoque Generales speciali privilegio sibi a Romano Pontifice concesso usu huiusmodi insigniorum, durante eorum vicariatu, gaudebant, utpote Hierotheus Korczynskij illud obtinuit anno 1786<sup>147</sup>, item Maximilianus Wilczynskij anno 1789<sup>148</sup> et Athanasius Falkowskij<sup>149</sup>, quorum duo ultimi titulum etiam Protoarchimandritae ab eodem Romano Pontifice speciali privilegio acceperunt<sup>150</sup>.

---

dendo capitulorum collector affirmat: «*Protoconsultor et Secretarius de jure sunt scrutatores in electione Protoarchimandritae* ». Notari autem debet, collectorem hunc fuisse Leonem Kiszka, posteriorem Metropolitanam (1714-1728), qui antea diu Secretarii Ordinis munere fungens, praxim allatam bene novit. S. 3; o. c., p. 90.

<sup>143</sup> *Nexus* 1743, n. 10.

<sup>144</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 148, § 23; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88.

<sup>145</sup> Const. 36.

<sup>146</sup> «*Praerit proinde illo casu Vicarii Generalis nomine Congregationi pleno jure usque ad lapsum Proto-Archimandritalis turni, iisdemque facultatibus omnibus in administranda Congregatione, quibus ipse Protoarchimandrita, gaudebit*»; *Codex*, p. 93, n. XIV.

<sup>147</sup> *Indulgentiae*, P. I., p. 60.

<sup>148</sup> APF, *Scrit. orig. rif. CG. 1790*, v. 885, f. 259.

<sup>149</sup> 1793 (23 XI); ASV, ARCH. N. VARS., v. 71, ff. nn. ultimum.

<sup>150</sup> Cfr. vol. I, p. 114, nota 44.

## Art. 6

## De Vicario Generali Protoarchimandritae - Metropolitanæ

Officium Vicarii Generalis Protoarchimandritae in constitutionibus capitularibus, scilicet Protoarchimandrita in munere suo remanente, erat hypotheticum tantum, in quantum scilicet non erat necessarium, neque de facto existebat, nisi prima periodo in hypothesisi, quod officium Protoarchimandritae a Metropolitana vel Episcopo obtineretur. Cum vero, uti constat, prima periodo quatuor primi Metropolitanæ simul officio Protoarchimandritae ad vitae tempora in Congregatione SS. Trinitatis fungerentur, qui scilicet negotiis totius Ecclesiae Ruthenae addicti, negotiis ipsius Ordinis haud peculiariter occupari potuerunt, hinc brevi necessitas urgere coepit ad munus Protoarchimandritae recte obeundum constituendi aliquem alterum tamquam adminiculum, qui iam capitulo secundo seu Lavryszivensi vel Ruthaensi 1621 revera constitutus est venitque sub nomine Vicarii Generalis<sup>151</sup> vel Provincialis<sup>152</sup> in sensu tamen peculiari, nam eius potestas non ad aliquam tantum partem Ordinis seu provinciam, verum ad totum Ordinem extendi debuit, limitata tamen ad certam tantum potestatum provinciam.

Verumquidem etiamsi communiter Vicarius praedictus munus Visitoris obire debuit et inde etiam aliquando Visitor denominabatur; ille tamen cum hoc semper identificari non potest, sed immo in actis capitularibus fit suppositio trium personarum distinctarum scilicet: Protoarchimandritae (Metropolitanæ vel Episcopi), Vicarii Generalis et Visitoris occasionalis aut Protoarchimandritae-Metropolitanæ et Visitoris occasionalis sine Vicario Generali.

Nomine dein Provincialis designabatur etiam Officialis Ordinis, qui, sede vacante tum metropolitana (1655-1665) tum etiam protoarchimandritali, Ordinem rexit cum potestate Protoarchimandritae ad tempus tamen determinatum eligendus.

Distinguendus est etiam praedictus Vicarius Generalis vel Provincialis a Vice-Provinciali, qui ultimus item aliquando vocabatur Provincialis eratque Praepositus monasteriorum partis in determinato territorio, scilicet longe a principali Congregationis corpore sito, quae erant monasteria Volynensia, in omnibus a Protoarchimandrita quadriennali et monacho simplici dependens, a capitulo tamen eligendus<sup>153</sup>.

In fine denique Vicarius ille Generalis Protoarchimandritae-Metropolitanæ distinguendus est etiam a Vicario Generali, qui supremum regimen Ordi-

<sup>151</sup> AS, t. XII, p. 19-24.

<sup>152</sup> O. c., p. 25.

<sup>153</sup> Cfr. cap. Bythenen. 1698, s. 5, n. 3; o. c., p. 139; Bilen. 1709, s. 10, n. 3; p. 168.

nis obtinebat, Protoarchimandrita a munere suo cessante, qui ultimus, spectatis omnibus constitutionum redactionibus, de regula semper primus Consultor generalis seu Protoconsultor esse debuit, munus huiusmodi Vicarii eo ipso, non vero per electionem, obtinens, quo pacto distinguebatur ab illo Provinciali sede vacante protoarchimandritali a capitulo eligendo.

Omnia haec officia, ultimo Vicario Generali (Protoconsultore) excepto, efformata sunt et applicationem habebant prima tantum periodo; quod autem principalem figuram in hoc articulo seu Vicarium Generalem Protoarchimandritae-Metropolitae spectat, hic nonnisi prima medietate periodi primae, usque dum nempe officium Protoarchimandritae Metropolitae retinebant, applicationem habuit.

I. Quod vero HISTORIAM huius Vicarii spectat, sequentia sunt notanda.

1°. Sub primo Protoarchimandrita-Metropolita, ipso J. V. Rutskyj, iam secundo capitulo supra citato electus est primus huiusmodi Vicarius Generalis seu Provincialis, Joannes Dubowycz, ad quatuor annos <sup>154</sup>.

2°. Item secundus Protoarchimandrita, imprimis Episcopus, dein idem Metropolita, Raphaël Korsak, huiusmodi Vicarium habuit, quem commemorat ipse Metropolita V. Rutskyj in sua ultima oratione in actis capitularibus notata, nempe in capitulo Vilnensi 1636: « Denique adhortabat nos ad diligentissimam trium votorum observantiam, commendando, ut, si haec omnia ipse Protoarchimandrita per se ipsum adinspicere non potuisset ob sua negotia, deducat hoc ad effectum per Vicarium vel Visitatorem suum » <sup>155</sup>.

3°. In documentis e tempore tertii Protoarchimandritae-Metropolitae, Antonii Sielawa, non fit mentio eiusdem Vicarii Generalis, nisi hic sub nomine Visitoris intelligi debet, quem designandum capitula Protoarchimandritae-Metropolitae inculcant <sup>156</sup>.

4°. Post decennium sedis vacantis metropolitanae et simul protoarchimandritalis ab anno 1655, cum electo in Protoarchimandritam quadriennem Jacobo Susza, Episcopo Chelmensi, in capitulo Zyrovicensi 1661 electus est etiam eius Vicarius Generalis, item ad quadriennium, Pachomius Ohilewycz <sup>157</sup>.

Utrum tamen alter Protoarchimandrita illi contemporaneus, ab una fractione monachorum electus, Administrator Metropolitae, Gabriel Kolenda suum haberet Vicarium Generalem, e documentis non constat.

5°. Sed idem Gabriel Kolenda, postea Metropolita a S. Sede nominatus, mox vero etiam in Protoarchimandritam Ordinis ad vitam electus, toto

<sup>154</sup> Lavryszivense 1621; o. c., p. 25.

<sup>155</sup> S. 16; o. c., p. 46.

<sup>156</sup> Vilnen. 1650, s. 5; o. c., p. 47.

<sup>157</sup> S. 5; o. c., p. 68.

tempore eius protoarchimandritatus Vicarium Generalem habuit singulis quadrienniis eligendum, qui autem semper idem supra dictus Pachomius Ohilewycz eligebatur<sup>158</sup>.

6<sup>o</sup>. Ultimo tentamine a Metropolita Cipriano Zochowskyj peracto, sibi etiam officium Protoarchimandritae Ordinis retinendi, data est eidem in s. d. anticapitulo Minscensi 1683 potestas a capitulo, ut ipse sibi, quem voluisset, Vicarium Generalem constituisset<sup>159</sup>.

Quae tamen facultas in effectum non est deducta, translato in fine huius controversiae officio Protoarchimandritae pro semper in monachos simplices. Hi vero quadriennales habebant quidem aliquando supra definitum Vice-Provincialem pro determinato quodam territorio, at Vicarium Generalem uti olim Protoarchimandritae-Metropolitae non habebant.

Essentne tamen constitutiones capitulares contrarie huic figurae iuridicae introducendae? Minime tenus. Neque enim deerat tendentia quorundam capitulorum hoc adminiculum etiam huic Protoarchimandritae adsciscendi. Iam enim in electione primi huiusmodi Protoarchimandritae anno 1675 instantia de adsciscendo Protoarchimandritae quadrienniali huiusmodi Vicario Generali supponenda videtur, quae, si in effectum deducta non esset, ob solam penuriam provisionis, non vero ob aliquod aliud principium dicenda est<sup>160</sup>.

## II. DE VICARII GENERALIS CONSTITUTIONE.

Vicarius Generalis Protoarchimandritae-Metropolitae, qui communiter unus e Consultoribus generalibus constituebatur, eligebatur ad quadriennium in capitulo generali, modo pro electione Protoarchimandritae determinato. Ita capitulis posterioribus. Quomodo vero prima vice constitutus fuerit, ex actis capituli relativi clare non constat, nam dicitur: « *communi omnium sententia in Vicarium generalem Reverendissimum Joannem Dubowicz in quadriennium elegimus* »<sup>161</sup>, quae « *communis sententia* » etiam electionem oralem, non necessario scrutinium secretum, designare potest. Sed posteriora capitula clare scrutinium ordinarium secretum, quod electioni Protoarchimandritae applicabatur, indicant. Nam statim post electionem Protoarchi-

<sup>158</sup> Beresten. 1667, s. 3; o. c., p. 90.

<sup>159</sup> « Die 28 Julii. Sessio 4ta. Auctoritas protoarchimandritalis cum debeat inniti brachio suo, hoc est Provinciali Ordinis, propter visitationes ab ipso peragendas, ideoque praesenti actu capituli rogavimus omnes congregati Illustrissimum Dominum Metropolitanum, ut sibi ad hoc munus idoneum eligat de more practico »; O. c., p. 191.

<sup>160</sup> « Hac die postmeridie, consessis more consueto, institit Dominus Pater Metropolita, nos non posse eligere Vicarium generalem ob sumptorum et novae pro eodem provisionis (penuriam). Quisnam ergo visitationes peraget?, quia impossibile est, ut ipse Dominus Protoarchimandrita huic rei satisfacere possit. Tunc statutum est, ut ex consilio (puta gremio) Patrum Consultorum in visitationes aliquis mittatur »; S. 4; o. c., p. 112.

<sup>161</sup> Lavrysziven. 1621; o. c., p. 24.

mandritae-Metropolitae vel Episcopi eligitur ipse <sup>162</sup>, praemisso sicut in electione illius s. d. murmure et calculatis suffragiis » <sup>163</sup>.

In capitulo autem Berestensi 1667 de eius electione simpliciter dicitur: « *Postea simili modo (ac Protoarchimandrita) electus est in Vicarium Generalem Ordinis Rev.dus P. Pachomius Ohilewicz, ad quadriennium* » <sup>164</sup>.

Dein electio Vicarii Generalis in capitulo Novogrodensi 1671 breviter ita describitur: « *Sessio 8-a, eadem die, in qua ventum est ad electionem Vicarii Generalis et praesertim ad modum, quo conclusum, hodie, non cras eligendum esse. Modus per chartulas, non in calice, quo Venerabile servatur, sed in alio vase colligendas, quas chartulas Consultores, cum Secretario colligentes in vase ante Dominum Protoarchimandritam ponebant, ipse autem Dominus legendo notabat et in alio vase simili ponebat et ita faventibus et consentientibus Superis votorum Venerabilis et admodum Reverendus Pater Pachomius Ohilewicz confirmatus est* » <sup>165</sup>, i. e. altera vice electus. Electo autem ad officium Vicarii Generalis Consultore vel Secretario generali, horum officium per quadriennium suspendebatur, inde substituendum erat, ut vidimus.

### III. De VICARII Generalis OFFICIO.

Munus eius breviter iam in secundo capitulo generali, quo primo electus est, ita concipitur: « *Quoniam in Ordine nostro Provincialis locum obtineat Protoarchimandritae, omnes fere regulae Vicario cuiusque monasterii praescriptae, eius officio accomodari possunt* » <sup>166</sup>.

In electione autem primi huiusmodi Vicarii Generalis causa eius constitutionis et essentia eius muneris ita indicantur: « *Quoniam hucusque Reverendissimus Protoarchimandrita oneri suo, quo ad perfectam et completam de fratribus per omnia monasteria curam et visitationes satisfacere non potuit, ideo in fine congregationis (capituli) nostrae, Deo adiuvante, communi omnium sententia in Vicarium generalem Reverendissimum Joannem Dubowicz ad quadriennium elegimus, qui quotannis unumquodque monasterium personaliter visitare et curare debet, ut omnes regulae et constitutiones item praesentis congregationis nostrae litterae admonitoriae ad effectum et executionem deducantur; ac denique in huiusmodi visitatione sua secundum instructionem a nobis praescriptam agere debet* » <sup>167</sup>.

Ergo visitatio quotannis, personaliter pro posse, totius Congregationis a Vicario Generali peragenda praecipuum erat eius munus et obligatio, quae,

<sup>162</sup> Zyrovicen. 1661, s. 5; o. c., p. 68.

<sup>163</sup> IBIDEM.

<sup>164</sup> S. 3; o. c., p. 91.

<sup>165</sup> Novogrodense 1671, s. 8; o. c., p. 106.

<sup>166</sup> Lavryszivense 1621; o. c., p. 25.

<sup>167</sup> IBIDEM, p. 24.

ut patet, motivum erat proximum eius constitutionis. Immo eandem principaliter spectat etiam instructio eidem a praedicto capitulo porrecta, quae pro semper inservire debuit tamquam unica eius officii delineatio, quae quidem praeter generales quasdam normas continebat etiam quaedam praecepta particularia, quae tamen etiamsi huiusmodi, semper tamen vi analogiae, officii eius limites determinarent. Iuvabit ergo eandem ex toto referre.

« Quoniam in Ordine nostro Provincialis Protoarchimandritae locum obtineat, omnes fere regulae Vicario cuiusque monasterii praescriptae eius officio applicari possunt; praeter quas id etiam ad eum pertinebit:

1) - « Ut quotannis omnia monasteria nostra non tantum per litteras, quod saepe faciat oportet, sed etiam propria persona et visitet et eadem ad omnes regulas et constitutiones utriusque congregationis (puta capituli, scil. primi Novogrodovicensis 1617 et praesentis secundi Lavryszivensis 1621) nostrae effectundas et observandas adducat »;

2) - « Expensa et accepta antiquiorum monasteriorum inspiciat et, si quae pro contributionibus in praesenti nostra constitutis necessario essent, desumat »;

3) - « Quinam victus et dispositio temporis in unoquoque monasterio esse debeat, praescribat »;

4) - « Libri bibliothecae et mobilia ecclesiae Vilmensis per omnia loca dissipata, acceptis praedictorum mobilium e monasterio Vilmensi tabulis, quae sunt in catalogo librorum et in inventario ecclesiae nostrae Vilmensis (uti de calice sumpto de Vilna Minscum nullam habes scripturam) restituantur suo loco »;

5) - « Omnibus, quibus poterit, monasteriorum Superioribus admonitores provideat atque alios Officiales, quos suo monasterio Superior non designaverit, constituat ».

6) - « Clausuram monasteriorum et, si opus fuerit, alicuius aedificii, (extruendi) praecipiat »;

7) - « Ritus et ceremoniarum ecclesiasticarum, item vestitus religiosi fratrum omnimodam uniformitatem introducat »;

8) - Ut quisque fratrum determinato et ordinario opere sit occupatus, ne illi ansa detur taedii, diligenter curet »;

9) - « Praeterea eidem cum quibusdam Patribus, peculiariter hac de causa in praesenti nostra congregatione designatis, id etiam commissum est, ut ritus nostri et ceremoniarum, nec non dierum festorum certum ordinem et modum describat »;

10) - « Item ad munus eius etiam pertinebit, ne in monasteriis personae superfluae alantur, sed fratres gravamen monasterio alicui inferentes ad alia, quae minus gravabuntur, transferat »;

11) - « Neminem fratrum studentium ante professionem in studia mittat »;

12) - « Patrimonia fratrum secundum constitutionem congregationis nostrae primae a tutoribus adimat et secundum voluntatem Reverendissimi Protoarchimandritae monasteriis applicet »;

13) - « De aedificio super hospitale monasterii Vilmensis disponat »;

14) - « Item de fratribus in aliis regionibus commorantibus peculiarem habeat curam, tam litteris cum eis communicando, eos consolando, paterne admonendo et ad laborem patientiamque animando, quam etiam necessitatibus eorum et miseriae, si opus esset, suis modis subveniendo »;

15) - « In monasteriis numerosis publicos zelatores constituat »;

16) - « Sepulcra ad fratres sepeliendos in omnibus monasteriis exstruenda praecipiat »;

17) - « Attendant, ut Superior monasterii Vilmensis materiam ad construendam turrim sacram, a benefactoribus offertam, quamprimum accipiat et pecuniam ab iisdem collectam in alias necessitates ne expendat expensamve quamprimum restituat »<sup>168</sup>.

In posterioribus capitulis praescripta hac instructione nonnisi repetuntur et in casibus similibus applicantur, in quibusdam tantum adimpleta. Itaque quod visitationem canonicam spectat, capitulo Novogrodensi 1671 praescriptum est, ut eandem: « Vicarius generalis vel per se vel per alios ad hoc munus designatos in monasteriis principalioribus intra spatium quatuor hebdomadarum expediat, in minoribus monasteriis visitatio (puta visitationis tempus) dexteritati et conscientiae (eius) committitur »<sup>169</sup>.

Quod vero personas per monasteria disponendas spectat, ad evitandum omnem dolum ex parte Superiorum localium, praescribitur Vicario Generali, ut litteras oboedientiales parvo sigillo proprio, quod abhinc habere debet, muniat<sup>170</sup>.

Exceptis ergo officiis characteris potius executivi, in ceteris rebus gravioribus Vicarius Generalis conferre debuit cum Protoarchimandrita-Metropolitae, uti in causa admissionis Religiosorum ad professionem, ad Ordines Sacros, in nominandis et deponendis Superioribus localibus, immo, ut vidimus, in patrimoniis fratrum respectivis monasteriis applicandis, ceterisque a Protoarchimandrita sibi reservatis.

Eidem tamquam visitatori applicanda est etiam constitutio capituli Vilmensis 1650: « *Ut praesentes excessivi et incorrigibiles puniantur absentes vero missus ab Illustrissimo Domino Patre Protoarchimandrita* (tunc Metro-

<sup>168</sup> *IBIDEM*, p. 25.

<sup>169</sup> Novogrodense 1671, s. 6; o. c., p. 105.

<sup>170</sup> *IBIDEM*, s. 5.

polita Antonio Sielawa) *Visitator iudicare et punire debet, conferendo tamen in rebus gravioribus cum Illustrissimo Protoarchimandrita* »<sup>171</sup>. Quod in alio capitulo pressius determinatur: « *Idem (Vicarius Generalis) culpam in Superiore alicuius monasterii adinveniens, eundem sine mora punire debet, si vero hic ad Dominum Patrem Protoarchimandritam appellare voluisset in re iniusta, hoc admittere non debet, sed agere agenda, reservato tamen iniuriam praetendenti libero foro (recursu) ad Dominum Patrem Protoarchimandritam* »<sup>172</sup>.

Ut ex hucusque dictis patet, potestas Vicarii Generalis non erat omnino a Protoarchimandrita delegata, sed etiam ordinaria. Officium enim hoc cum certis potestatibus erectum est a iure seu a capitulo generali tamquam organo legislativo, inde potestas ab hoc illi adnexa dicenda est ordinaria et non delegata, etiamsi Vicarius Generalis in hac exercenda dependens erat a Protoarchimandrita uti Superiore; dependentia enim non tollit potestatem ordinariam.

#### IV. De IURIBUS Vicarii Generalis.

Sicut in genere officium Vicarii Generalis provenit e divisione officii Protoarchimandritae, e cuius parte officium Vicarii Generalis erectum est, unde analogia inter utrumque; ita etiam in iuribus eadem analogia servatur, inde, quae de respectivis iuribus illius dicta sunt, hic recollantur.

##### 1) - Ius ad provisionem.

Monasterium quod pro residentia Vicarii Generalis destinatum erat, capitulo secundo, quo officium illud erectum est, non indicatur, de quo nonnisi in capitulo Zyrovicensi 1661 quaestio facta est et designatum est pro semper monasterium Zyrovicense.

Provisio autem pro sustentatione aliisque necessitatibus eiusdem Vicarii e monasterio Torokanensi desumenda decreta est<sup>173</sup>. Quod ultimum conservatum est et in posterum, nam adhuc anno 1671 in electione ultimi huiusmodi Vicarii Generalis refertur: « *proponebat Reverendissimus Pater Vicarius generalis suam provisionem, quae hucusque de Torokaniis eidem proveniebat. Conclusum ab Illustrissimo Protoarchimandrita (Metropolita Gabriele Kolenda), omnibus consultoribus et officialibus et delegatis, ut de iisdem Torokaniis novitiatui Bythenensi mille quingenti aurei cedant quotannis; Reverendissimo Vicario generali quingenti aurei* »<sup>174</sup>.

Provisio denique pro expensis visitationis canonicae monasteriorum a singulis monasteriis Vicario Generali aut alio visitatori delegato, uti supra de Protoarchimandrita diximus, tribuenda erat.

<sup>171</sup> S. 6, n. 2; o. c., p. 47.

<sup>172</sup> Zyrovicense 1661, s. 10, n. 1; o. c., p. 76.

<sup>173</sup> *IBIDEM*, s. 5 et s. 10, n. 1; cfr. p. 70.

<sup>174</sup> S. 9; o. c., p. 106.



2) Intrabat eo ipso capitulum generale, cum voce in electionibus, tum activa tum passiva et deliberativa in decisionibus.

3) - In eodem et in ceteris actibus monasticis praecedebat omnes Religiosos sive simplices, Consultoribus non exceptis, sive infulatos seu Archimandritas. Dubium, si quod hos ultimas tangeret, removet capitulum Supra-liense 1665, ubi Vicarius Generalis acta capitularia subscribit statim immediate post Protoarchimandritam-Metropolitam Gabrielem Kolenda et Archimandritae, qui hic praecedentiam habebant ante Consultores generales, eadem acta nonnisi post Vicarium Generalem subscripserunt<sup>175</sup>.

4) - Socium, adiutorem in officio, habuit Patrem a capitulo designatum<sup>176</sup>.

V. Pro casu mortis vel alterius causae AMISSIONEM eius OFFICII requiruntis positae nulla data est norma de eius substitutione. Spectata tamen analogia eius officii cum officio Protoarchimandritae, uti in instructione illa capituli secundi: « *Quoniam Provincialis in ordine nostro Protoarchimandritae locum obtineat* »<sup>177</sup>, confirmata iisdem solemnitatibus in eorum electione servatis atque facto, quod capitulum erat, quod Metropolitam-Protoarchimandritam delegabat ad eligendum sibi huiusmodi Vicarium<sup>178</sup>, in casu illo, sicut in analogo casu Protoarchimandritae, primus Consultor vices illius obtinere debuisse dicendus est.

Haec enim mens constitutionum capitularium fuit praesertim tempore, quo ipsi Metropolitanae munus Protoarchimandritae nonnisi post controversias obtinebant, ne scilicet ex una parte ipse Metropolitanus eligat sibi Vicarium Generalem, sed hic sit ab ipso Ordine electus, ex altera vero parte in hypothesis illius protoarchimandritatus necessarium erat, ut sit aliquis ex Ordine et ab Ordine electus, qui omnino huius partes sustineret. At extra capitulum, ut in casu, huiusmodi erant nonnisi Consultores a capitulo electi.

Quo e supposito egrediendo, ulterius dicendum est, Metropolitam huiusmodi Vicarium neque deponere potuisse, nisi in capitulo, analogice ad depositionem Protoarchimandritae.

<sup>175</sup> O. c., p. 82.

<sup>176</sup> Zyrovicen. 1661, s. 10, n. 1; o. c., p. 76.

<sup>177</sup> Lavrysziven. 1621; o. c., p. 25.

<sup>178</sup> Supra p. 191.

## C A P U T II.

### DE SECRETARIO RELATIVE SECRETARIIS GENERALIBUS

ART. 1 NUMERUS SECRETARIORUM GENERALIUM.

ART. 2. OFFICIUM SECRETARIORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 3. IURA SECRETARIORUM GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.

ART. 4. TEMPUS ET SUCCESSIO IN OFFICIO SECRETARIORUM  
GENERALIUM.

- 1) PRIMA PERIODO.
- 2) SECUNDA PERIODO.



## CAPUT II.

### DE SECRETARIO RELATIVE SECRETARIIS GENERALIBUS

#### Art. 1

#### De numero Secretariorum generalium

Prima mentio Secretarii generalis in Ordine Basiliano Congregatione SS. Trinitatis fit in capitulo tertio Ruthaensi, anno 1623 celebrato. Capitulo primo electus est quidem notarius, uti brevissima adnotatio indicat: « Eodem modo electus est notariarius »<sup>1</sup>, at hic tantum, ut concipitur, pro solo capitulo illo destinatus est, dum enim adnotatio illa relationi de electione ceterorum Officialium capitularium adiungatur. Constitutio vero capituli tertii loquitur iam de officio stabili seu Secretarii generalis, etiamsi huic commissa est etiam conscriptio actorum capitularium: « *Intendentes, ut congregationes nostrae rite celebrentur, constituimus, ut Secretarius generalis eligendus intruatur ab antiquioribus Patribus de modo officii huius obeundi, sed praesertim, ut diligenter Secretarius incumbat deliberationibus circa constituenda in congregatione nostra conscribendis* »<sup>2</sup>. Pro parte veri officii Secretarii generalis et non solius tantum notarii capitularis stat non solum terminus technicus, postea semper in capitulis retentus, « *Secretarii generalis* », verum etiam traditio posterior, inquantum constitutio illa a capitulorum compilatore inscripta est: « *Secretarii Ordinis officium* »<sup>3</sup>. Terminus « *in congregatione nostra* » ambiguus est; significare enim potest aut Ordinem aut secundum terminologiam constitutionum Societatis Jesu Capitulum, quod ultimum hic sumendum est.

Dein officium hoc constanter retinetur eiusque crebra fit mentio. Statim enim capitulo sequenti Lavryszivensi 1626 indubia fit mentio Secretarii generalis seu Ordinis, qui consultorio generali quotannis convocando assistere debet<sup>4</sup>.

Denique prima mentio Secretarii generalis electi cum denominatione precisa fit in actis capituli Bytheniensis 1657: « *In Secretarium Ordinis electus est Reverendus Pater Christophorus Milenkiewicz* »<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Introd. n. 4, AS, t. XII, p. 8.

<sup>2</sup> S. 5; *ib.*, p. 29.

<sup>3</sup> *IBIDEM*.

<sup>4</sup> N. 7; o. c., p. 32.

<sup>5</sup> S. 1, o. c., p. 54.

Exinde hoc officium semper retinetur manifestumque se praebet in actis capitularibus tam prima quam secunda periodo.

Prima periodo tamen hoc officium ab uno tantum gerebatur, usque ad finem periodi in utraque Congregatione.

Secunda vero periodo iam capitulo primo inter conditiones Congregationis Ruthenae erat: « Ut penes Proto-Archimandritam eligendum sint semper duo Socii jurati, unus scilicet ex una et alius ex altera Provincia », ad quam Lithuana respondit: « Conceditur totum »<sup>6</sup>, quae etiam inter resolutiones communes ingressa est<sup>7</sup>, totidemque Secretarii eodem capitulo revera electi sunt, uti e relatis electionibus constat: « *ac per vota secreta electi sunt ex Provincia Lithuana ... in Secretarium R.P. Sylvester Artecki, ex Provincia vero Ruthena; ... in Secretarium R.P. Sylvester Koblanski, actualis Philosophiae Professor* »<sup>8</sup>.

Qui numerus usque ad dispartitionem Ordinis in quatuor provincias scil. ad capitulum Torokanense 1780 retentus est; hoc vero locum numeri quaterni Consultorii generalis, compositi e duobus Consultoribus et duobus Secretariis, obtinuit numerus quaternus Consultorum, assumpto in se etiam officio secretariali, quod ultimum amplius a personis distinctis geri non debuit usque ad finem periodi, nam capitulo sequenti, etiamsi duae tantum sub considerationem venerunt provinciae, idem tamen numerus quaternus Consultorum retentus est, duobus scil. assumptis ex unaquaque provincia, exclusis personis distinctis pro munere Secretariorum<sup>9</sup>.

Cum de constitutione Secretarii generalis per electionem capituli generalis actum sit alibi<sup>10</sup>, restat, ut de eius officio iuribus et duratione successionem tractemus.

## Art. 2

### De officio Secretariorum generalium

#### Prima periodo.

Post sui electionem Secretarius semper iuramentum praestare debuit, quae autem iuramenti formula substantiam eius officii exprimebat:

1) - Imprimis ipsius erat secreta fideliter servare: « *me secreta Ordinis nostri fideliter servaturum* »<sup>11</sup>. Obiecta huiusmodi secreti, quae in alia for-

<sup>6</sup> Cond. 14.

<sup>7</sup> Resol. 9.

<sup>8</sup> S. 12.

<sup>9</sup> Zydyczyn. 1788, s. 8.

<sup>10</sup> Vol. II, p. 124 et 133 ss.

<sup>11</sup> Novog. 1671, s. 5; AS, t. XII, p. 105; cfr. vol. II, p. 128.

mula indicantur, erant acta tum capitulorum generalium sive in sessionibus generalibus sive particularibus ab eodem connotata, tum « *extra illa* »; quo termino generali complectebantur omnia acta actusve cum officio Secretarii coniuncta sive totius curiae generalis, sive Protoarchimandritae sive ipsius Secretarii<sup>12</sup>.

2) - Acta capitulorum ab eodem conscribenda erant et in Archivio Ordinis reponenda<sup>13</sup>, uti et consultationum generalium<sup>14</sup>.

3) - Neque in praeiudicium Ordinis alicui edenda vel ostendenda<sup>15</sup>.

4) - Eiusdem erat acta huiusmodi subscribere seu de iisdem fidem facere<sup>16</sup>. Inde aliquando acta capitularia subscribebantur a solo capituli Praeside et Secretario generali<sup>17</sup>. Item innotescentiales ad capitulum Minscense 1690 a Protoarchimandrita editae, a Consultore generali subscriptae, absentiam Secretarii expresse notant: « *In absentia Secretarii Ordinis Symeon Cyprianowicz, Consultor Ordinis Sancti Basilii Magni, Superior Zyrovicensis m. p.* »<sup>18</sup>.

5) - Cuius rei gratia habebat etiam proprium sigillum secretariale<sup>19</sup>.

6) - Praeterea in capitulis generalibus:

a) erat scrutator ex officio<sup>20</sup>;

b) ad eundem pertinebat lectio constitutionum ante electionem Protoarchimandritae itemque protestatio, ne quis extraneus electionem intret<sup>21</sup>;

c) subscriptio actorum capitularium<sup>22</sup>;

d) commissa peculiaria a capitulo accipiebat<sup>23</sup>.

7) - Ad residentiam cum Protoarchimandrita non tenebatur, sed eodem modo ac Consultores generales potuit esse Superior alicuius monasterii.

8) - Consultationibus generalibus adesse debuit, sed voce deliberativa in iisdem non gaudebat. Quod adesse debuit, patet et capitulo Lavryszivensi 1626, ut supra<sup>24</sup>, et e iuramento capituli Zyrovicen. 1675<sup>25</sup>.

Vocem vero deliberativam in consultationibus generalibus nec constitutiones primitivae, nec recognitae eidem concedunt, ubi vero capitulo Pro-

<sup>12</sup> Zyrovicen. 1675, s. 2; o. c., p. 109.

<sup>13</sup> Novogrod. 1671, s. 5; o. c., p. 105.

<sup>14</sup> Iurament. ex 1675; o. c., p. 109.

<sup>15</sup> Iurament. ex 1671; o. c., p. 105.

<sup>16</sup> Ex iure communi.

<sup>17</sup> E. g. Novogrod. 1671; o. c., p. 108.

<sup>18</sup> O. c., p. 127.

<sup>19</sup> Cfr. Bythenien, 1698, s. 4, n. 3; o. c., p. 139.

<sup>20</sup> Berest. 1667, s. 3; o. c., p. 90.

<sup>21</sup> Cfr. vol. II, p. 120.

<sup>22</sup> **IBIDEM**, p. 137.

<sup>23</sup> E. g. Torokanen. 1661, s. 7; o. c., p. 63.

<sup>24</sup> Cfr. supra p. 199.

<sup>25</sup> O. c., p. 109.

toarchimandritam urgent ad consilium vel consensum exquirendum, eundem a solis Consultoribus generalibus exquirendum praecipiunt<sup>26</sup>; hinc nullibi hoc ius etiam Secretario concessum est.

### Secunda periodo.

Cum hac periodo, donec erant, semper duo Secretarii generales essent, officia eorum inter utrumque divisa erant.

1) - Iam capitulo primo 1743 statutum est: « *ut libri visitationum, capitula generalia et omnia acta Generalia Ordinis tam praeterita, quam futura maneant penes Secretarios generales Rev.mi Proto-Archimandritae* »<sup>27</sup>

Posterius capitulo Berest. 1772 accurate determinatum est quaenam acta penes quemnam Secretarium manere debebant<sup>28</sup>.

Ad eosdem secundum supra allatam divisionem conscriptio eorundem actorum pertinebat.

2) - Apud ipsos etiam sigilla Ordinis seu protoarchimandritalia asservari debebant et quidem secundum idem capitulum sequenti ordine: « *cum duo sint sigilla Congregationis, majus et minus, voluerunt proinde Congregati Patres, ut alterum majus per comprovincialem Proto-Archimandritae Secretarium asservetur, alterum vero, id est minus, penes eum maneat, qui ex altera electus erit Provincia* »<sup>29</sup>.

3) - Vi autem sui iuramenti, cuius diversas in diversis capitulis compositas formulas supra vidimus<sup>30</sup>, tenebantur imprimis ad ea omnia, ad quae etiam Consultores tenebantur, quia eodem modo ac Consultores etiam Secretarii voce deliberativa gaudebant, scilicet:

A) - 1<sup>o</sup>. Ad omnimodam oboedientiam S. Sedi et Protoarchimandritae, secundum omnia iura, constitutiones ac decreta ab eadem S. Sede lata;

2<sup>o</sup>. Ad iustitiam distributivam in disponendis et premiandis personis servandam;

3<sup>o</sup>. Ad suum officium fideliter gesturum;

4<sup>o</sup>. A consultationibus sine legitimo impedimento non abesse;

5<sup>o</sup>. Ad negotia diligenter tractanda;

<sup>26</sup> E. g. Minscen. 1690, s. 4, n. 1; o. c., p. 129.

<sup>27</sup> S. 13, n. 8.

<sup>28</sup> « Acta Congregationis, quia ad duplicem pertinent classem, alia nempe, quae Consultationes et Deliberationes super rebus Provincialium gravioribus continent, alia, quae resolutiones epistolares et Acta Diurna Proto-Archimandritalia complectuntur, idcirco Patrum consensu statutum est, ut priora pariter ad comprovincialem Proto-Archimandritae Secretarium, altera vero ad alterum peretineant. Volunt autem Congregati Patres, ut comprovincialis Consultor generalis sive Secretarius is intelligantur Consultor sive Secretarius, qui ex ea delectus erit Provincia, ex qua ipse assumptus est Proto-Archimandrita ». Const. 14.

<sup>29</sup> Const. 13.

<sup>30</sup> Cfr. vol. II, p. 136.

6°. Ad secretum tractatorum in consultationibus malitiose et in fraudem boni communis non violandum;

7°. Utrique provinciae aequaliter addictum fore<sup>31</sup>.

B) - Praeterea peculiariter, uti Secretarii, eodem iuramento obligantur:

1°. Ad acta Ordinis diligenter conscribenda;

2°. Nullique in praeiudicium boni communis Ordinis quidquam ex iisdem propalare<sup>32</sup>.

4) - Diversimode ac Consultores generales Secretarii generales inde statim ab initio ad residentiam cum Protoarchimandrita tenebantur, prout iam resolutio primi capituli requirebat: « Ut penes eligendum Proto-Archimandritam sint semper duo Secretarii jurati, unus videlicet ex una et alter ex altera Provincia »<sup>33</sup>. Hinc etiam constitutio 4ta eiusdem capituli, relaxationem quoad residentiam Consultorum quidem admisit, non vero quoad Secretarios<sup>34</sup>. Cum decreto autem SCPF 1752 huiusmodi obligatio tam pro primis quam pro alteris confirmata est pro semper<sup>35</sup>, inde habentur quaedam rescripta SCPF, quibus Secretarii ab eadem obligatione dispensantur<sup>36</sup>.

In ceteris, quod residentiam Secretariorum generalium spectat, legantur, quae supra de residentia Consultorum generalium exposita sunt<sup>37</sup>.

5) - Praeterea durante eorum officio praelaturas acceptare et in Provinciales eligi non potuerunt simili modo ac Consultores et vi earundem constitutionum<sup>38</sup>.

6) - Nec officio suo renuntiare aut illud dimittere ante finem turni potuerunt, uti et Consultores<sup>39</sup>. Inde in casu necessario opus erat dispensationis SCPF ab eorum officio, prout hoc e. g. anno 1776 locum habuit, inquantum e litteris SCPF ad Nuntium Ap. Vars. constat<sup>40</sup>.

<sup>31</sup> IBIDEM.

<sup>32</sup> IBIDEM.

<sup>33</sup> Res. 9.

<sup>34</sup> Vide supra p. 170.

<sup>35</sup> IBIDEM.

<sup>36</sup> Uti e. g. anno 1757 (14.XI) habebatur Congregatio Gen. SCPF et rescriptum eiusdem, quo Secretarius generalis OSBM dispensatur ad annum arbitrio Protoarchimandritae ab obligatione residendi in monasterio Torokanensi simul cum Protoarchimandrita. Eidem eadem facultas prorogatur anno 1759 (12.5); APF, Acta, v. 127, f. 383, n. 4, et v. 129, f. 55, n. 6.

<sup>37</sup> Supra p. 170 ss.

<sup>38</sup> Supra p. 150.

<sup>39</sup> Supra p. 152.

<sup>40</sup> « Essendo stata avanzata supplica alla Sagra Congregazione dal P. Porfirio Skarbek Wazynski, Proto-Archimandrita dell'Ordine di S. Basilio della Congregazione de Ruteni, affine di dispensare dal suo ufficio il P. Innocenzo Mszanecki, Segretario Generale dell'Ordine, attese le gravi indisposizioni di sua salute, e di eleggere un altro in sua vece in quelle forme, che vedrà espresse nella supplica, io ne rimetto a V. S. l'acchiuso memoriale, lasciandolo in suo pieno arbitrio, con le facultà necessarie ed opportune e sentiti prima i Superiori dell'Ordine »; ASV, ARCH. N. VARS., v. 69, f. 21.



7) - Officium denique ante electionem Protoarchimandritae in capitulo gen. deponere debebant<sup>41</sup>.

### Art. 3

#### De iuribus Secretariorum generalium

1) - Prima periodo sicut Consultores ita etiam Secretarius generalis potuit esse Superior monasterii singularis, immo etiam Archimandrita. Immo, ad eundem applicanda est per analogiam cum Consultoribus constitutio *Constitutionum Recognitarum* anno 1686 de praesidentia monasterio in Ordine praestantiori<sup>42</sup>. In praxi vero idem constat e subscriptionibus capitularibus<sup>43</sup>.

Sed Secretarius etiam Archimandrita esse potuit<sup>44</sup>.

At periodo secunda Secretarii generales, ut vidimus, semper simul cum Protoarchimandrita residere debuerunt, nec Superiores monasteriorum esse potuerunt, neque protoarchimandritalis; quod ultimum patet praesertim e schedis vocalium capitularium, ubi enumeratis Secretariis generalibus, enumerantur etiam Superiores, inter quos etiam Superior monasterii protoarchimandritalis<sup>45</sup>.

2) - Quod autem titulum spectat de Secretario seu Secretariis utraque periodo eadem normae valent ac de Consultoribus supra exposuimus quaeque eandem subierunt evolutionem<sup>46</sup>.

3) - In quaestione vero praecedentiae notandum tantum est Secretario generali prima periodo locus debebatur statim post Consultores generales independenter ab eo quonam ordine hi praecedebant alios, uti in quaestione eadem Consultorum exemplis adductis illustratur<sup>47</sup>.

<sup>41</sup> Dunen. 1743; Berest. 1747 et 1751 c. 15; 1759, c. 18; 1772, c. 37.

<sup>42</sup> CR, c. VI.

<sup>43</sup> Uti e. g. in capitulo Torokanensi 1661 praesentiam suam notat Secretarius generalis: «ego Christophorus Milenkiewicz, Ordinis Secretarius, monasterii Zyrowiczensis Superior in persona»; o. c., p. 61; idem indicat subscriptio capitularis Zyroviczensis 1675: «Josephus Pietkiewicz, Ordinis Divi Basilii Magni Secretarius, Superior monasterii Bythenensis»; o. c., p. 113; idem eodem modo subscribit capitulum Zyroviczense 1679; *ib.*, p. 120; idque denique e capitulo Byteniensi 1698 patet: «Leo Lucas Kiszka, Ordinis Divi Basilii Magni Secretarius, Superior Polocensis m. p.» *ibid.*, p. 143.

<sup>44</sup> E. g.: «Dominus Pater Josaphat Hutorowicz, nominatus archiepiscopiae Smolescensis, Secretarius Ordinis S. Basilii Magni, Superior Polocensis, Archimandrita Onuphriensis et Pustynensis, sollemnissime officium secretariatus deposuit, reddendo sigillum ad hoc officium pertinens in manus Domini Patris Metropolitae»; Bytheniense 1698, s. 4, n. 3; o. c., p. 139.

<sup>45</sup> Beresten. 1751 et 1759 s. 1; 1772 s. 1 et ultima; 1788, s. 1.

<sup>46</sup> Supra p. 173.

<sup>47</sup> Supra p. 174 ss.

Secunda periodo quaestio praecedentiae Secretariorum generalium implicitae soluta est iam in secundo capitulo generali, seu Berestensi 1748, eo, quod inibi: « *productoque in medium dubio de electione Procuratoris generalis, utrum scilicet ante vel post electionem Secretariorum Ordinis eligi debet? Excellentissimus Praeses, accedente Vener. Capituli assensu, ad praesens et imposterum inviolabiliter servandum declaravit electionem Procuratoris generalis electioni Secretariorum Ordinis praemittendam esse* »<sup>48</sup>. Ac revera tam hoc, quam sequentibus omnibus capitulis ordine dicto electionis norma evasit praecedentiae in genere.

Inter se vero Secretarii generales, uti caeteri Officiales tam Ordinis quam provinciarum, praecedebant ordine turni protoarchimandritalis, nempe Secretarius Protoarchimandritae conprovincialis praecedebat alium.

Substitutores denique Secretariorum generalium utraque periodo in pleno locum substituti intrabant.

4) - Iidem tam prima, quam secunda periodo eo ipso capitulum generale, uti caeteri Officiales tam Ordinis quam provinciarum, praecedebant ordine turni protoarchimandritalis, nempe Secretarius Protoarchimandritae conprovincialis praecedebat alium.

Substitutores denique Secretariorum generalium utraque periodo in pleno locum substituti intrabant.

5) - Iidem tam prima, quam secunda periodo eo ipso capitulum generale cum iure vocis activae et passivae atque deliberativae intrabant; secunda praeterea periodo etiam respectiva capitula provincialia; sed quod vocem passivam spectat in hisce ultimis idem dicendum est ac de Consultoribus<sup>49</sup>, nempe ab a. 1772 in Provinciales durante eorum officio eligi non potuerunt.

6) - In Consultoriis seu consultationibus generalibus prima periodo assistere potuerunt et debuerunt, at de voce activa seu deliberativa Secretarii in iisdem non constat. Secunda vero periodo iisdem non solum ex officio adesse debebant, verum etiam in iisdem voce deliberativa et in electionibus extra capitularibus activa, in Vicarii vero Generalis etiam passiva gaudebant<sup>50</sup>.

7) - Prima periodo denique Secretarium Ordinis vidimus etiam inter ingressos Synodum Zamostianam<sup>51</sup>. In ceteris tamen nulla eorum fit mentio, neque de eo seu eis quaestio aliqua mota est in ordine ad electionem Metropolitanam.

<sup>48</sup> S. 9.

<sup>49</sup> Supra p. 178.

<sup>50</sup> Quoad vocem deliberativam; supra p. 112, quod activam et passivam: Berest. 1751, c. 15; 1759, c. 18; 1772, c. 36.

<sup>51</sup> *Syn - Zamost.*, p. 36.

## Art. 4

### De officii Secretariorum generalium tempore in eoque successione

#### Prima periodo.

1) - Quaestio diurnitatis officii Secretarii generalis hac periodo arcte coniuncta erat cum eadem quaestione Consultorum, quam supra exposuimus<sup>52</sup>.

Etiamsi quidem Secretarii neque constitutiones primitivae, neque *Constitutiones Recognitae* ullam mentionem faciunt, capitula tamen simili modo ad Consultores usque ad finem periodi normam retinuerunt perpetuitatis huius officii.

2) - Quoad vero substitutionem eius officii spectat tam consultorialem quam capitularem normae pro omnibus Officialibus generalibus communes supra expositae<sup>53</sup> eidem in pleno applicabantur. Nec deorat exemplum substitutionis capitularis ob electionem Secretarii generalis perpetui seu ad vitam constituti in Protoarchimandritam quadriennem<sup>54</sup>.

Denique quod amissionem officii Secretarii generalis hac periodo spectat, illud etiam per electionem Secretarii in Consultorem generalem, quae possibilis erat, amittebatur<sup>55</sup>.

#### Secunda periodo.

1) - At norma diurnitatis officiorum generalium secunda periodo communis erat, a capitulo scilicet ad capitulum generale, ut supra vidimus<sup>56</sup>. Hinc etiam Secretarii generales, spectata norma, imprimis erant ad quadriennium (1743-1751) dein vera ad octennium (1751 ad finem periodi), etiamsi in praxi eliquando munus suum protrahere coacti sunt<sup>57</sup>.

<sup>52</sup> Supra p. 181.

<sup>53</sup> Supra p. 149 ss.

<sup>54</sup> Nempe anno 1686 in capitulo Novogrodensi in Protoarchimandritam quadriennem electus est Secretarius perpetuus Iosephus Pietkiewicz, substitutus in officio secretariatus per quadriennium a s. d. pro-Secretario, a capitulo electo; S. 7 et 8; o. c., p. 126.

<sup>55</sup> Qui immo casus persaepe accidebat, uti e. g. primus huiusmodi casus accidit in capitulo Berestensi 1667, quo Secretarius generalis ad vitam constitutus (olim in capit. Torokanensi 1656) Christophorus Milenkiewicz in Consultorem gen. perpetuum electus est; o. c., p. 91; eodem modo in capitulo Minscensi 1690 Secretarius gen. Iosephus Pietkiewicz in Consultorem generalem electus est; *ib.*, p. 129; item in capitulo Novogrodensi 1703 Secretarius Ordinis Leo Lucas Kiszka in Consultorem gen. electus est; *ib.*, 155. Quem ergo casum amissio officii secretariatus ab amissione officii consultoriatus differebat.

<sup>56</sup> Supra p. 148.

<sup>57</sup> Supra p. 139.

2) - In casu cessationis praematurae Secretariorum a suo officio, ob causas supra enumeratas, eorum constitutio seu electio extracapitularis seu, ut diximus, consultorialis fiebat secundum normas pro omnibus Officialibus generalibus communes<sup>58</sup>. In praxi habetur quoddam exemplum huiusmodi constitutionis Secretarii generalis, prout ex actis archivalibus nobis constat<sup>59</sup>.

NB. Post annum 1780, seu partitionem Ordinis in 4 provincias, dum ob constitutionem 4 Consultorum (ex unaquaque provincia uno) officium Secretariorum generalium a personis distinctis gerendum suppressum sit, idem officium Consultores generales in se assumere debuerunt, ideoque in *Codice* haec conditio supponitur, secundum quem Consultores alternative, diviso inter se labore, huiusmodi obligationi incumbere debebant. Qua utique in re e *Codice* uti e fonte historico nonnisi praxis recepta revelatur, quae tamen sine dubio in constitutione capituli Zydzczynensis 1788 comprehendebatur, dum statutum sit: «*ut loco Secretariorum duorum Consultores alii duo Officium Generale componant, cum onere exequendi ea omnia, quae per Secre-*

<sup>58</sup> Supra p. 155.

<sup>59</sup> In quo exemplo imprimis quod causam cessationis ab officio Secretarii spectat, haec erat ipsa dispensatio S. Sedis. dato, quod, ut vidimus, per totam secundam periodum prohibitum erat Officialibus generalibus officiis suis renuntiare, quod adimplere debuit dispensatio S. Sedis. Supra documentum retulimus, quo necessitas huiusmodi dispensationis pro Secretario generali ostensa est. Nunc vero referuntur litterae Nuntii Ap. Vars. ad SCPF, in quibus modus huiusmodi constitutionis servandus supponitur et urgetur, scilicet per electionem substitutoris ex eadem provincia, ac ipse substituendus, faciendam a tunc Consultorio generali et utriusque provinciae provinciali secundum constitutiones ultimi in casu capituli Berestensis 1772; (const. 36).

a) Ecce litterae Nuntii ad SCPF, die 3 Julii 1776: «... Per non eccitar disordine fra li Monaci Basiliani di queste due Provincie di Polonia e di Lituania, estremamente gelosi delle vicendevoli loro prerogative, prima di prendere alcuna determinazione sul ricorso avanzato a codesta Sagra Congregazione dal Padre Proto-Archimandrita per l'elezione di un Segretario generale in luogo del Padre Mszanecki, con voto del solo Consultorio della Provincia di Lituania, e rimesso al mio arbitrio con le facultà necessarie ed opportune, ho stimato bene di rendere inteso il Consultorio della Provincia di Polonia per mezzo del Monaco Agente di quella Provincia, che risiede in Varsavia. Udita che avrò la volontà di quei Religiosi prenderò questo partito che giudicherò più convenevole per concordia delle due Province, e per il vantaggio di quella religione. Di tutto ciò poi, che in questo proposito opererò non mancherò renderne V. E. pienamente informata»; ASV, ARCH. N. VARS., v. 76, p. 10.

b) Secunda autem epistola eiusdem ad eandem, hanc certiore reddit de ordinis executione: «... Dopo aver convenuta coi Superiori de' Basiliani della Provincia di Polonia la maniera di venir all'elezione del nuovo Segretario generale dell'Ordine in luogo del Padre Mszanecki, ho col seguente Rescritto date le necessarie facultà al P. Proto-Archimandrita, in seguito dal di lui memoriale, rimesso a me da codesta Sacra Congregazione.

« Utendo facultatibus a SS.mo D.no N.ro nobis impertitis in superiori rescripto, concedimus et indulgemus R.mo Patri Proto-Archimandritae Recurrenti, ut Patrem Innocentium Mszanecki ab officio Secretarii generalis Provinciae Lithuanae dispensare et alium in eius locum eligere possit, dummodo tamen huic electioni intersint omnes, maxime ex Provincia Polonia in illa ius habentes vel saltem ipsi consenserint, ut etiam in eorum absentia electio peragatur, quibuscumque non obstantibus », *IBIDEM*, p. 22 (emissa 14, Augusti, 1776).

*tarios adimpleri solebant* »<sup>60</sup>. *Codex* autem praedictus ita illud referebat: « XII. Actorum Ordinis scribendorum laborem aequo inter se jure partiantur ita, ut e. g. per annum, uno Acta Diurna scribente et in epistolis gravioribus texendis operam Proto-Archimandritae dicante, altero Consultationum Decreta litteris consignante, alii duo spatio eiusdem temporis interquiescent; Et visissim, his altero anno scribendi provinciam sustinentibus, illi duo quietem capiant ».

« XIII. Porro, quorum erit muneris Acta scribere, ad ipsos eo tempore pertinebit etiam excerpta ex Actis necessaria dare, sigillorum curam gerere et circa ipsa se subscribere »<sup>61</sup>.

---

<sup>60</sup> S. 8, qu. 2.

<sup>61</sup> *Codex*, p. 93.

## C A P U T III.

### DE PROCURATORE IN URBE

A. HISTORIA PROCURATURAE BASILIANORUM IN URBE.

B. FIGURA IURIDICA PROCURATORIS IN URBE.

ART. 1. CUIUS FUERIT PROCURATOR?

ART. 2. CONSTITUTIO PROCURATORIS IN URBE.

- 1) Prima Periodo.
- 2) Secunda Periodo.

ART. 3. OFFICIUM PROCURATORIS IN URBE.

- 1) Prima Periodo.
- 2) Secunda Periodo.

ART. 4. IURA PROCURATORIS IN URBE.

ART. 5. TEMPUS ET SUCCESSIO IN OFFICIO PROCURATORIS IN URBE.

- 1) Prima Periodo.
- 2) Secunda Periodo.

ART. 6. DE SOCIO PROCURATORIS IN URBE.

ART. 7. DE PROCURATORE GENERALI TRIBUNALITIO.



### CAPUT III.

#### DE PROCURATORE IN URBE

##### A. HISTORIA PROCURATURAE BASILIANORUM IN URBE.

Conditio Procuratoris generalis in Urbe in praxi multum pendebat a possessione domus procuratoriae Romae, ideoque in hisce notis praeliminaribus de officio Procuratoris generalis brevem historiam utriusque tam officii Procuratoris, quam domus procuratoriae percurrimus.

1) - Procurator Basilianus in Urbe aetate illa habebatur inde ad ipsos primordiis Congregationis SS. Trinitatis (1617) - usque ad annum 1829.

Iam enim ante efformationem praedictae Congregationis, statim scilicet post Unionem Ecclesiae Ruthenae Berestensem anno 1596 conclusam, munere Procuratorum occasionalium Hierarchiae Ruthenae fungebantur ordinarie studentes, qui fere exclusive monachi erant, in Collegio Graeco S. Athanasii degentes<sup>1</sup>.

2) - Quae circumstantiae non erant initio mutatae etiam Congregatione Basilianorum SS. Trinitatis erecta anno 1617. Ex illo enim tempore plures habentur in Archivio SCPF litterae et instantiae Metropolitanae Rutskyj, scriptae seu propositae SCPF tramite Raphaëlis Korsak, posterioris illius successoris in dignitate metropolitana, tunc autem adhuc studentis theologiae et in Collegio praedicto S. Athanasii degentis<sup>1 a</sup>.

3) - Circumstantiae mutantur cum facto pro huiusmodi officio summi momenti, cum nempe anno 1639, die 22 Maii, S. Congregatio Visitationis Apostolicae adprobante Urbano VIII, domum pro hospitio Ruthenorum Ro-

---

<sup>1</sup> Exceptionem ex illa rerum conditione constituebat tantum missio P. Nicolai Nowak, OSBM, tamquam primi stabilis Procuratoris in Urbe Hierarchiae Ecclesiae Ruthenae inter aa. 1626-1633, cui contigerit, cum adiutorio praesertim Secretarii SCPF, Francisci Ingoli, etiam ecclesiam S. Laurentii in Fonte, in via Suburrae, pro « Monachis Luthenis S. Basilii unitis » obtinendi. Cfr. A. G. WELYKYJ, OSBM, *Procuratores negotiorum Ecclesiae Ruthenae in Urbe, Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, t. I, fasc. 1, p. 57 ss.

<sup>1 a</sup> Cfr. T. HALUSCYNKYJ - A. WELYKYJ, OSBM, *Epistolae Josephi Velamin Rutskyj*, Romae, 1956 (*Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. III, v. I.), nn. 27, 30, 34, 35, 36, 39, 46, 47, 59, 62. - item v. II (A. WELYKYJ, OSBM, *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium catholicorum: Raphaëlis Korsak, Antonii Sielava, Gabriëlis Kolenda*, (Romae, 1956), *Epistolae R. Korsak*, nn. 1 et 2.



mae designaret concederetque: « prout eadem Sacra Congregatio auctoritate sibi a SS. D.N. concessa, et omni meliori modo, facto etiam prius verbo cum eodem Sanctissimo, ac de eius ordine ac mandato, statuit, decrevit ac ordinavit, applicando etiam praedictam ecclesiam parochialem SS. Sergii et Bacchi, cum situ adiacente, Collegio nationis Ruthenorum ibidem erigendo »<sup>2</sup>. Qua ergo domo et ecclesia SS. Sergii et Bacchi, tunc temporis parochiali (posita secundum hodiernam designationem in « Piazza della Madonna dei Monti, 3 »), ab actu illo Procuratores Basiliiani residere debebant, tamquam praedicti hospitii Rectores.

4) - Hinc existere seu residere incipiunt Procuratores Basiliiani in Urbe, speciali modo ad hoc officium delegati et missi tam ab Ordine seu Congregazione SS. Trinitatis Basilianorum, quam ab Hierarchia Ruthena. Quos autem inter primos ab anno 1639 Philippus Borowyk notatur<sup>3</sup>.

5) - Sed novum evenit factum, quod domum praedictam Basilianis omnino concessam esse confirmavit, prout illud ex actis archivalibus depredimus: « Dagli atti della Sac. Congregazione, e dai Registri, ch'esistono in quest'Archivio, costa, che la Chiesa ed Ospizio dè SS. Sergio e Bacco di Roma furono concessuti con Breve di Urbano VIII del'8 Febraro 1641 alli Monaci Basiliiani Ruteni, in virtù di un legato di ventimila fiorini Polacchi, lasciato dal Cavaliere Gio. Ignazio Dubowicz, Lituano, per il mantenimento di quattro Religiosi Basiliiani Ruteni, che dovessero fare i studi in Roma, convivendo a forma di collegiali in detto Ospizio, sotto le regole però del loro Istituto. Volle in oltre detto Cavaliere, che a carico dei Legatari si celebrassero, o facessero celebrare in detta Chiesa quattro Messe in ogni settimana, ed una Messa cantata l'anno nella Chiesa di S. Lorenzo fuori le mura.

Entrati in tal guisa i PP. Basiliiani Ruteni nella Chiesa ed Ospizio suddetto, il Card. S. Onofrio Barberini nel 1646 (O) fece a loro favore un Legato di scudi 100 annui, e di scudi 200 per una sol volta, da impiegarsi in accorciami, e risarcimenti della predetta Chiesa, ed Ospizio »<sup>4</sup>.

Similiter aliud documentum: « La Santa Me. di Urbano Ottavo approvando un Decreto della Sacra Congregazione della Visita dei 12 Maggio 1639

<sup>2</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 202. Quae autem concessio, prout ex aliis documentis constat, facta est ad instantiam Metropolitanae Korsak R., qui tempore illo Romae degebat, praesertim in causa beatificationis S. Josaphat: « Questo Ospizio dalla epoca degli anni 1639 et 1666 dai sommi Pontefici Gregorio XIII ed Urbano VIII all'Istanza del Regnante in Polonia antica Sigismondo III è stato donato per mezzo del Mons. Rafaele Korsak, Metropolitanano di tutte le Russie, alli Monaci Ruteni dell'Ordine di S. Basilio Magno, cum Aedibus Parochialibus et situ ajacenti pro erectione Collegii Ruthenorum » (APF, OSPIZIO DEI RUTENI, PASCOLO, v. III, ff. nn.).

<sup>3</sup> Cfr. D. BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 189.

<sup>4</sup> « Nota d'Archivio »; *ib.*, v. I.

assegnò la detta Chiesa per i Ruteni Uniti, ad oggetto di erigervi un Collegio. Nell'anno seguente il Cardinale Barberini, detto di Sant'Onofrio, comprò le Case ora componenti l'annesso Ospizio precisamente per i Monaci Basiliani Ruteni, lasciando loro in testamento un Legato annuo perpetuo di scudi 100, che la Propaganda Fide, come Erede, paga a quell'Ospizio ed ordinò che si pagasse subito la somma di scudi 200 per risarcire la Chiesa ed Ospizio »<sup>5</sup>.

Breve Urbani VIII, de quo in documentis, anno 1641, 8 Februarii aditum, decreto illo S. C. Visitationis Ap. « inviolabilis apostolicae firmitatis robur » adiecit<sup>6</sup>.

6) - In actis capitulorum Ordinis Basiliani prima mentio « *residentiae Romanae* » fit in capitulo Minscensi 1652, Procurator tamen in iisdem expresse non indicatur, mendio autem fit « *poenitentiarum Sancti Petri* », Patris Stefanowicz, in cuius manus summa « *ad tollenda debita Romana* » mitti praecipitur<sup>7</sup>. Eodem capitulo missus fuisse apparet Romam ad studia peragenda Martianus Bilozor, quem elenchi Procuratorum generalium Procuratorem non nominant<sup>8</sup>.

7) - Primus tamen « *residens in residentia Romana ad ecclesiam et monasterium SS. Sergii et Bacchi* » in capitulo Zyrovicensi 1659 nominatus erat p. Innocentius Terpilowskyj, artium et philosophiae magister, qui tamen in elenchis Procuratorum non apparet<sup>9</sup>.

8) - Anno 1660 domus praedicta seu residentia Procuratoris generalis Basilianorum in Urbe, decreto Alexandri VII in perpetuum superioritati SCPF submissa est<sup>10</sup>.

Causa et explicatio huius subiectionis in aliis documentis archivalibus indicantur, uti in « *Nota d'Archivio* »<sup>11</sup>.

<sup>5</sup> « *Memoria sull'Ospizio del Pascolo* » (1827 ?); *IBIDEM*, v. III, ff. nn.

<sup>6</sup> DE MARTINIS, o. c., v. I, P. I, p. 202; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, Vol. I, p. 517.

<sup>7</sup> S. 3; o. c., p. 51.

<sup>8</sup> S. 3; *IB.*, et BLAZEJOWSKYJ, o. c., l. c.

<sup>9</sup> S. 3; o. c., p. 60.

<sup>10</sup> « Ex commissi nobis coelitus Pastoralis officii debito, felici domus SS. Sergii et Bacchi nationis Ruthenorum de Urbe directioni et progressui providere volentes, eandem domum superioritati Congregationis ven. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propaganda Fide praepositorum, auctoritate apostolica tenore praesentium supponimus »; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. I, p. 318; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 574.

<sup>11</sup> « Scorsi appena vent'anni, intese la S.M. di Alessandro VII, che quei Religiosi cominciano ad illanguidirsi nello spirito e nei studi, onde per ovviare gl'ulteriori abusi, con Breve de' 12 Giugno 1660 li sottopose alla giurisdizione della S. Congregazione, la quale nell'istesso anno 1660 la fece visitare. Tale dunque è l'ingerenza di questa S. Congregazione sopra la Chiesa, Ospizio e abitazioni annesse de' Monaci Ruteni ». APF, OSPIZIO DEI RUTENI, PASCOLO, v. I, ff. nn.

In effectu huiusmodi subiectionis et ex altera parte superioratus SCPF super domo procuratoria factae sunt instantiae ab Episcopo Chelmensi Jacobo Susza et Provinciali Basilianorum, Pachomio Ohilewycz, tunc Romae degentibus, ad SCPF, quae in decretum eiusdem S.C. super negotiis Ruthenorum die 25 Februarii 1665 ingressae sunt<sup>12</sup>.

Praeterea plures habebantur actus huiusmodi superioratus super domo procuratoria Basilianorum Romae SCPF, quae in diversis documentis Archivi eiusdem S.C. colliguntur<sup>13</sup>.

9) - Inde ab anno 1674 « *Procurator Russiae* » erat Iosephus de Camillis, natione Graecus, monachus quidem orientalis, sed non e Congregatione SS. Trinitatis Ruthenorum, qui in anticapitulo Minscensi 1683, cum iam prius a Metropolita deputatus erat, iterum confirmatus est<sup>14</sup>.

Idem etiam in capitulo Novogrodensi 1686, quo ad concordiam inter Basilianos et Metropolitam deventum est, confirmatus est in officio Procuratoris etiam Ordinis, cum clausula tamen, ut eidem addatur socius « *linguae ruthenae gnarus* »<sup>15</sup>. Illum postea, cum partes potius Metropolitanani sustineret, Basiliani mutandum petebant a SCPF anno 1688, sed S. Congregatio respondit: « Quoad tertium: — Nihil respondendum, cum P. Camillis fuerit electus Procurator generalis in Capitulo generali ad quadriennium, et non constet de violentiis allatis vocalibus pro illis inducendis ad talem electionem faciendam »<sup>16</sup>.

10) - Inde ab anno 1692 officium Procuratoris generalis in Urbe resumunt iterum Basiliani, qui iam expresse uti Procuratores Basiliani tantum nominantur. Primus huiusmodi Procurator erat Polycarpus Fylypowycz, ab anno 1692, qui eodem anno die 17-XI, instantiam proposuit Romano Pontifici, ut constitutiones Ordinis in capitulo Novogrodensi 1686 recognitae adprobentur<sup>17</sup>; qui in sua refutatione praetensionum Metropolitanae subscribitur tantum: « *Procurator praedictorum Monachorum* », scil. Basilianorum<sup>18</sup>.

11) - Post eum ergo sequitur series Procuratorum, qui negotiis tantum Ordinis Basiliani occupantur, dum Hierarchiam Ruthenam alii Procuratores

<sup>12</sup> « 8<sup>o</sup>. Collegio SS. Sergii et Bacchi, ut S. Congregatio subvenire dignetur - Providebitur. 9<sup>o</sup>. Summam Joannis Dubowicz 20.000 flor., in favorem praefati Collegii, in quo ipse obiit, vindicare S. Congregatio a Discalceatis Carmelitis velit-Pro informatione »; PETROV, *Ocerk istoriji Baziljanskoho Ordena*, in *TKDA*, t. IV, p. 369, n. 1; cfr. A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, Romae 1955, p. 20.

<sup>13</sup> E. g. « *Notificazione dell'Ospizio* »; APF, OSPIZIO DEI RUTENI, v. III; « *Nota d'Archivio* »; *IBIDEM*, v. I.

<sup>14</sup> « Reverendo Patri Iosepho de Camillis, Procuratori Russiae, prorogatur superioratus ad alios quatuor annos », scil. in domo procuratoria. AS, t. XII, j. 192; cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae C. Zochowskyj...*, Romae 1957.

<sup>15</sup> S. 5; o. c., p. 125.

<sup>16</sup> APF, CP, 1680-97, v. 29, f. 284.

<sup>17</sup> APF, CP, 1692, v. 62, v. 227, n. 11.

repraesentent, uti e. g. - P. Sciarra, Procurator Teatinorum, quibus Seminarium Leopoliense Rutheno-Armenum concreditum erat.

12) - In Rescripto SCPF 1707, 19 Septembris, mentio fit secundi huiusmodi Procuratoris solius Ordinis Basiliani<sup>18</sup>.

13) - In capitulo Basilianorum Bilensi 1709 statutum est: « *ut habeat socium v. p. procurator Romanus, debita paulatim solvat, regesta proventuum et expensarum quotannis ad reverendissimum mittat et in expeditione personae suae Romam corporaliter iuret se non fore curaturum ulla praelaturas sed pure invigilaturum ordinis sacri integritati - lex est lata in perpetuum* »<sup>20</sup>.

14) - In Congregatione Generali SCPF 1710, 18, VIII mentio fit tertii huiusmodi Procuratoris P. Hilarionis Kruszewycz<sup>21</sup>.

15) - Sub sequenti Procuratore generali Basilianorum in Urbe, Benedicto Trulewycz (1712-1726), factum singulare locum habuit, quod causam dedit novae hospitii praedicti seu ecclesiae et domus procuratoriae Basilianorum Romae denominationi, saepe abhinc adhibendae in actis posterioribus, praesertim SCPF, nempe in lingua italica: « *Pascolo, del Pascolo, Madonna del Pascolo* ». Factum hoc reassumptive narratum incisum remanet in tabula marmorea domus praedictae parieti inclusa<sup>22</sup>.

Famosissima enim tunc erat in tota Ecclesia Ruthena Imago B. V. Mariae taumaturgica in ecclesia Basilianorum Zyrovicensi (Zyrovyci = pasuum = il pascolo), cuius simillima cum inscriptione palaeo-slava inventa est, ut supra, in pariete domus procuratoriae Basilianorum Romae miraculisque enitens in ecclesiam SS. Sergii et Bacchi translata est et inde causam dedit supra relatae novae denominationi tum ecclesiae (Madonna del Pascolo), tum toti hospitio (Pascolo).

16) - Eundem ut supra Procuratorem vidimus occupatum in pluribus quaestionibus enatis post Synodum Zamostianam, occasione huius approba-

<sup>18</sup> APF, CP, 1680-87, v. 29, f. 867.

<sup>19</sup> « Il Padre Silvestro Pieszkiewicz, Procuratore Gener. de' Monaci Ruteni di S. Basilio e Rettore dell'Ospizio di S. Sergio e Bacco... »; APF, Acta, 1707, v. 77, f. 314; A. G. WELYKYJ, Acta, vol. 2, p. 221.

<sup>20</sup> S. 9; o. c., p. 166.

<sup>21</sup> « Relations E.mi Fabroni. Il P. Hilarione, nuovo Procuratore Gen.le de Monaci Ruteni di S. Basilio, supplica l'EE. VV. a degnarsi di confermare gli atti del Capitolo Gn.le celebrato dalla sua Religione li 26 d'Agosto 1709, de quali atti ne da un semplice copia, che si degnerà considerare l'E.mo Ponente »; APF, Acta, 1710, v. 80, f. 382, n. 38; A. G. WELYKYJ, Acta, vol. 2, p. 298.

<sup>22</sup> « Qui era situata l'immagine della Beatissima Vergine del Pascolo, copia di quella che si venera in Zyrowic(e), celebre per i miracoli, nel mese d'Agosto MDCCXVIII. Si scoperse a caso sotto l'incrostatura del muro e l'anno segguente nel medesimo mese cominciò il concorso del popolo e crebbe a tal segno, che d'ordine di N.ro Signore PP. Clemente XI fu tagliata dal muro e trasferita in chiesa il di VII Settembre MDCCXIX ».

tionis a S. Sede<sup>23</sup>, qui denique, tractata quaestione a SCPF, quisnam sit competens in designando Procuratore generali, utrum nempe capitulum generale privative vel etiam Protoarchimandrita cum Consultoribus, agnito iure privativo capituli<sup>24</sup>, in capitulo sequenti Bytheniensi 1726 celebrato in Consultorem generalem electus est<sup>25</sup>.

17) - Tres eius successores, usque ad finem periodi primae, in capitulo pro spatio temporis a capitulo ad capitulum eligebantur<sup>26</sup>.

18) - Erecta denique in fine primae periodi altera Congregatione Ruthena, seu Protectionis B. V. Mariae, anno 1739, Procurator generalis in Urbe, qui eandem coram S. Sedem repraesentaret, non est electus, neque alio modo constitutus et Romam missus, sed nonnisi, postquam Benedictus XIV decreto SCPF 1742 unionem utriusque Congregationis in unam praecepit, illa duos Procuratores suos Romam misit eo fine, qui in instructione eisdem data expressus est<sup>27</sup>.

19) - PERIODO SECUNDA, in capitulo primo Dubnensi 1743, Congregatio Ruthena inter condiciones unionis inter alia proposuit: « Ut pro eo tunc, quando in una Provincia erit Proto-Archimandrita, Procurator generalis Romanus sit ex altera Provincia »; ad quod Lithuana respondit: « Procurator Romanus generalis ille erit, quem Generalis cum suo pleno Consultorio determinabit »<sup>28</sup>. Sed postea ad communem resolutionem devenerunt, nempe: « Alternativa Procuratoris Ordinis in Urbe conceditur taliter, ut si videbitur Generali cum Consultoribus utriusque Provinciae, pro exigentia necessitatis, poterit revocare et instituere alium, servato ordine alternativae; tempus vero residentiae Procuratoris non praescribitur »<sup>29</sup>.

20) - Sed praerer difficultates circa personam Procuratoris, alia quaestio difficultatem peperit, nempe quaestio residentiae Romanae. Congregatio enim Lithuana domum Romanam ad se pertinere iudicavit, hinc Congregatio Ruthena aliam etiam conditionem unionis proposuit scilicet: « Ut in Residentia Romana ex benignitate Sanctae Sedis propter Procuratores Ordinis nostri concessa, prout etiam in Alumnatibus aequaliter Patres Provinciae Ru-

<sup>23</sup> Cfr. APF, CP, 1720-22, v. 64.

<sup>24</sup> APF, Acta, 1725, v. 95, f. 16, n. 19; A. G. WELYKYJ, Acta, vol. 3, p. 224-225.

<sup>25</sup> Nam in conventu Dubnensi 1727 subscribit uti Consultor Ordinis; cfr. APF, CP, 1728, f. 132.

<sup>26</sup> Cfr. BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 189.

<sup>27</sup> « Informatio specialis, iuxta quam Venerabiles et Admodum Reverendi P. Athanasius Czarkowski et Hieronimus Oziemkiewicz, Ordinis nostri Procuratores, ambo simul sive unusquisque seorsive humillime supplicabunt aut supplicabit, ut resolutio S. Congregationis coram SS.mo habitae in negotiis Congregationum nostrarum subsecuta, ex benignitate eiusdem S. Tribunalis modificetur et revocetur »; APF, CP, 1744, v. 92, f. 270.

<sup>28</sup> Conditio 19.

<sup>29</sup> Resolutio 13.

thenae admissionem et locum habeant ». At haec conditio maiorem oppositionem ex parte Congregationis Lithuanae invenit, quia residentia illa debitis gravabatur, inde haec respondit: « Futurus Generalis, tamquam Pater communis, disponet servato aequilibrio Provinciarum circa Alumnatus. Residentia vero Romana, cum sumptibus Provinciae Lithuanae sit erecta et pro erectione eius debita contracta necdum sint extincta, ideo si volunt habere liberam subsistentiam in illa Venerabiles Patres Provinciae Polonae, dignabuntur residuum debiti, scilicet mille Imperiales Polonicos exsolvere. Nos etenim iam exsolvimus mille trecenta quadraginta scuta Romana. Quoad Alumnatus, supervenit adhuc reflexio, supplicandi SS.mo Domino, ut cum augeatur in vinea Christi Messis, dignetur etiam augere Operarios »<sup>30</sup>.

Tunc, stante dissensione inter utramque Congregationem seu provinciam circa residentiae Romanae quaestionem, haec tota in resolutionibus communibus ad Romanum Pontificem remissa est: « Negotium de Residentia Procuratoris Provinciae Polonae in Urbe remittitur ad decidendum Sanctae Sedi Apostolicae et negotium persolvendorum debitorum »<sup>31</sup>.

21 - Hisce quaestionibus emanatis, nec decisis, nullus etiam Procurator generalis in capitulo electus est.

22) - At utramque quaestionem tum personae Procuratoris, tum residentiae Romanae solvit Benedictus XIV in litteris « *Inter plures* ».

a) « Inter Officiales Religionis, quod ad Procuratorem generalem attingit, optime in vestris constitutionibus decrevistis, ut alternis vicibus ex Lithuanica et Polonica provincia eligi deberet. Sed ut ea dispositio magis perspicua reddatur et nullam in executione difficultatem involvat, in eam, quae sequitur, formam redigenda erit. Procurator generalis in posterum eligatur in capitulo generali, et in eius electione servetur alternativa; ita ut quoties Proto-Archimandrita est ex provincia Lithuaniae, Procurator generalis sit monachus professus provinciae Polonae, et e contra. Cum autem in vestro capitulo generali, in quo Proto-Archimandritam elegistis ex provincia Lithuanica, minime electum fuisse viderimus Procuratorem generalem, nos porro addimus, quod pro currenti quadriennio Proto-Archimandrita cum Consultoribus generalibus eligat in Procuratorem generalem monachum professum provinciae Poloniae »<sup>32</sup>.

b) « Tertia concernit hospitium Procuratoris generalis ipsius Ordinis, qui in hac Urbe residere debet nec non alumnatus, quibus ipsi Rutheni in

<sup>30</sup> Conditio 8.

<sup>31</sup> Resolutio 6.

<sup>32</sup> DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149, § 25; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

pluribus collegiis fruuntur. Illud porro constat, Urbanum Papam VIII de anno MDCXLI, instante ipsa Congregatione de Propaganda Fide, concessisse monachis Ruthenis ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi necnon Antonium Cardinalem Barberinum S. Honuphrii nuncupatum, ipsius Urbani fratrem, aream contiguam pro hospitio fundato comparasse, ibique aedes extruxisse pro Procuratore generali, cuius etiam sustentationi annum legatum a se relictum attribuit. Neque dubium est, quin primaeva supradictae ecclesiae concessio, sicut etiam hospitium, atque legatum, ad solos spectaverint monachos Basilianos Ruthenos, qui de eo tempore in congregationem Sanctissimae Trinitatis unitorum coaluerunt. Cum vero nuper etiam monasteria Poloniae in unum corpus unita fuerint, deindeque ex toto Ordine S. Basilii Ruthenorum unica Congregatio fuerit efformata, quae ex duabus provinciis, Lithuana et Polona componitur, cumque iuxta leges alternativae inter ipsas constitutae, Procurator generalis modo ex provincia Lithuana, modo vero ex provincia Polona eligi debeat; aequitatis ratio postulat, ut in praedicto hospicio resideat Procurator generalis etiam tunc, cum ex provincia Polona assumetur; quandoquidem Procurator generalis, sive ex Lithuana, sive ex Polona provincia electus sit, semper est Procurator generalis totius Ordinis et Congregationis ex utrisque provinciis compositae.

Quia vero pro eisdem aedificiis in eum statum, in quo nunc sunt, redigendis, tum plures sumptus erogati fuerunt, tum etiam multum aeris alieni contractum, quod adhuc exolvendum remanet, nos id, quod expensum fuit ab eo, quod in posterum solvendum erit, omnino distinguimus; et nullam quidem expensi rationem habendam esse iudicamus, vel quia id ex priorum largitionibus collectum extitit, vel quia domicilium illud partim inhabitatum, partim etiam locatum fuit a Procuratore ibi commorante, qui semper hucusque fuit ex provincia Lithuana, quod autem reliquum est aeris alieni, postquam exacte liquidatum fuerit, id pro medietate ab una ex dictis provinciis, pro alia vero medietate ab altera solvendum esse decernimus »<sup>33</sup>.

Tam clara et iusta causae solutio et expositio explicatione ulteriori non indiget.

23) - Exequendo decretalem praedictam Curia generalis Basiliana legit in Procuratorem generalem e provincia Ruthena P. Athanasium Czarkowskyj anno 1744, qui iam antea, ante unionem duarum Congregationum, ab illa Romam missus est<sup>34</sup>, qui erat usque ad sequens capitulum generale.

24) - Hoc autem, i. e. Berestensi 1747, spectata alternativa, novus Procurator in Urbe electus est e provincia Lithuana Januarius Znojowskyj.

<sup>33</sup> *IBIDEM*, p. 145, § 11, 12.

<sup>34</sup> Vide vol. I, p. 83.

25) - Tunc sequitur series Procuratorum generalium ex utraque provincia alternative in capitulo generali electorum. Itaque anno 1751 in capitulo Berestensi electus est Basilius Boskowycz, e provincia Ruthena, quo tamen praemature demortuo, ex eadem provincia designatus est a Curia generali eius substitutor ad finem turni Hieronimus Oziemkiewicz anno 1757.

26) - Capitulo sequenti Berestensi 1759 Procurator generalis electus est e provincia Lithuana Ignatius Wolodzko et iterum sequenti Berest. 1772 e provincia Ruthena Hierotheus Korczynskyj, quo etiam capitulo constituto lata est, ut in posterum Procuratores Romani socium in residentia Romana ex alia provincia eligendum habeant<sup>35</sup>.

27) - Cum autem capitulo iterum sequenti Torokanensi 1780 Ordo in quatuor provincias divisus sit, Procurator generalis eligendus erat ex unaquaque provincia secundum turnum inversum ad illum Protoarchimandrita. Dato vero, quod momento illo Protoarchimandrita e provincia Polona electus est, dein autem e provinciis Albae-Russiae, Galiciae et Lithuana eligendus erat, ideoque Procurator generalis momento illo electus est e provincia Lithuana, Vincentius Zielonka et in posterum digendus erat e prov. Galiciae, Albae-Russiae et tum demum Polona.

28) - Sed postea, impeditis provinciis Albae-Russiae et Galiciae, capitulum sequens Zydyczynense 1788 convocatum est e provinciis Lithuana tantum et Polona electoque in eodem Protoarchimandrita e provincia Lithuana, Procurator generalis electus est e provincia Polona, Jordanus Mickiewicz, qui ultimus erat Procurator in Urbe a capitulo electus.

Eodem capitulo decisum est, ut pro eius sustentatione in residentia Romana utraque provincia 60 per dimidium (30+30) nummos aureos exsolvat<sup>36</sup>.

30) - Ultimo citatus Procurator in Urbe officium suum usque ad mortem gerebat, quae accidit anno 1827, quo pacto ceteros omnes Procuratores generales Basilianorum in tempore huius officii gerendi superavit (circa 40 per annos), ob impossibilitatem eligendi mittendique novum, propterea quod gubernium imperii Rossiaci, in quo fere totus Ordo Basilianus post divisionem Poloniae anno 1795 inventus est, omnem relationem characteris religiosi cum externis, praesertim cum Sancta Sede Catholicis et Unitis, suis subditis, prohibuit<sup>37</sup>.

31) - Illo demortuo, cum Ordo Basilianus regimine proprio privatus esset, tunc Metropolitae Ruthenus Josaphat Bulhak, cui S. Sedes, spectatis circumstantiis, iurisdictionem super Ordine Basiliano in imperio Rossiaco con-

<sup>35</sup> Const. 60.

<sup>36</sup> S. 13.

<sup>37</sup> Cfr. vol. I, p. 110.



cessit, Patrem Anatolium Wilczynskij, Superiorem residentiae Romanae designavit<sup>38</sup>.

32) - Eundem P. Wilczynskij SCPF agnovit quidem Procuratorem generalem OSBM, sed « *ad interim* » tantum, quia ipse in capitulo generali electus non est<sup>39</sup>; qui tamen duobus annis post, nempe anno 1829 e vita cessit et cum eius morte series Procuratorum Basilianorum in Urbe aetate illa extincta est.

33) - De morte ultimo memorati et ultimi Procuratoris Basilianorum, quam de statu residentiae eorundem Romanae constat maxime e conventionione facta eodem anno 1829, die 5 Novembris, inter S. Sedem repraesentatam per Cardinalem Albani et Imperatorem Rossijae, repraesentatum per Principem plenipotentiarium Gagarin.

Motivum huius conventionis erat factum, quod demortuo ultimo supra dicto Procuratore Basiliano et simul Rectore domus procuratoriae seu hospitii Ruthenorum, Imperator Rossijae, occupata Polonia cum tribus provinciis Basilianorum, tamquam successor legalis Regni Poloniae in possessionem venire contendebat etiam praedictae domus seu hospitii pertinentis ad actuales suos subditos monachos Basilianos, quorum ultimo Procuratore demortuo, nemo iam Romam, prohibente Imperatore, venire debebat. Praetensione huiusmodi a Legatione Rossiaco S. Congregationi PF, iam antea post mortem penultimi Procuratoris generalis a Plenipotentiaro Rossijaco, Domino Italinski, patefacta, SCPF tramite Secretariae Status pluribus documentis demonstrare conabatur, domum hanc non esse proprietatem Basilianorum, sed sui ipsius.

<sup>38</sup> Ecce litterae dicti Metropolitae ad P. Anatolium Wilczynskij:

« Vostra Paternitas certiorum me fecisti per tuam epistolam 26 Ian. novi styli 1827 scriptam Petropoli, de morte R.mi Patris Jordani Mickiewicz, Procuratoris generalis OSBM Ruthenorum et Superioris Monasterii et Ecclesiae SS. MM. Sergii et Bacchi, Romae, cui missus fuisti durante vita pro socio, post fata pro successore; indiges a me confirmatione pro rite exequendo munere, quo gaudebat tuus antecessor et simul petisti procurare Vestrae Paternitati socium, unum ex Religiosis nostri Ordinis, qui adiuveret tam in sustinendis negotiis Monasterii, quam in peragendo Divino Officio in Ecclesia. Verum simul antea facta combinatione mediata illorum Excell. Legati Plenipotentiarum ad Sedem Apostolicam et Intimi Consilii, Equitis Excellentissimi Italinski, et Ministri cultus simulque Publicae Educationis, Magnif. Domini Admiralli Ryszkow, Equitis diversorum Ordinum, et juxta clementissimam datam mihi commissionem ab Imperatore Alexandro elegi vestram Paternitatem pro socio supra nominato Superiori et Procuratori Jord. Mickiewicz, ita et modo post mortem eiusdem, ut fungaris officio Superioris supra laudati loci praesentibus commendo et benedico.

Quoad socium, quem V. P. vult habere, debet primo hac de re luculenter exponere S. Excellentiae Legato Plenipotentiaro Italinski, qui attenta vera necessitate certe solita via faciat suam mediationem.

Sanctis orationibus V. P. me commendo etc.

Dat. Petropoli, 25 Aprilis 1827. Josaphat Metropolitanus ».

<sup>39</sup> Memoriale Cardinalis Cappellari; APF, OSPIZIO DEI RUTENI, PASCOLO.

vi decreti Alexandri PP. VII supra allati<sup>40</sup>. Hinc demortuo etiam ultimo Procuratore, dum iam nemo Basilianorum hac domo degeret, novus Plenipotentarius Rossijacus, Princeps Gagarin, domum ipsam occupare studebat, sed protestante SCPF, donec iura delucidentur, de administratore domus, supra memorata conventio facta est, uti ex exordio eiusdem patet<sup>41</sup>.

34) - Revera administrator domus praedictae designatus est sacerdos italicus Mons. Sartori.

35) - Interim autem causa imperatori Rossijaco relata, hic praeferbat omni praetensione ad illam cedere et uti actu benevolentiae imperialis domum illam ipsi Romano Pontifici donare. In huiusmodi enim stylo admissus est nuntius Plenipotentario Rossijaco Principi Gagarin a Commissione Cultorum Imperii Rossijaci nomine Imperatoris, quem ex toto referre opportunum videtur<sup>42</sup>.

<sup>40</sup> Supra p. 213.

<sup>41</sup> « La Segreteria di Stato di Sua Santità trattando per la S. Congregazione di Propaganda, e la Legazione di Sua Maestà l'Imperatore di tutte le Russie, Re di Polonia, presso la S. Sede, considerando lo stato di abbandono nel quale verrebbe a rimanere il Pio Stabilimento Basiliano Ruteno, detto della Madonna del Pascolo, dopo la morte dell'ultimo suo Rettore, se non si provvedesse all'Amministrazione provvisoria dello Stabilimento medesimo tanto sotto il rapporto spirituale, quanto sotto l'economico, sono convenute negli articoli seguenti: « ... L'atto presente non potrà servire di esempio, nè essere di ostacolo al futuro Rettore per operare in tutto secondo i suoi diritti e prerogative. - Roma, li 5 Novembre 1829. G. Card. Albani - Gagarin »; APF, OSPIZIO DEI RUTENI, PASCOLO, v. III.

<sup>42</sup> « Copie d'un dépêche au Prince Gagarin en date de S. Petersbourg du 9 Janvier 1830.

Votre dépêche du 3-15 Decembre 1828 sous le Nr. 78 en nous annonçant le succes que vous avez obtenu dans l'affaire de la Madonna del Pascolo par la nomination de l'Abbè Sartori aux fonctions de l'Administrateur provisoire de cet établissement nous a donné une preuve nouvelle des embarras reiterés que donne à la Legation de Rome la surveillance des interés des cette église. Le Ministère Imperial etait loin de prévoir ces difficultes, ces embarras, lorsqu'il en chargea Mr. d'Italinski, Votre Prédécesseur, de négocier la rentrée de cet établissement sous la haute protection et le domaine de le domaine de la couronne Imperiale et Royale.

Le conflit de jurisdiction entre la Propagande et la Legation Imperiale, le Ingérence administrative et spirituelle que cette Congregation vent exercer sur cet établissement malgré nos droits incontestables les recours minutieux et sans cesse répétés adressés au Gouvernement Papal contre les empiétemens de la Propagande le sague de ces decision les questions délicates que ces contestations font naitre d'une manière incidente toutes ces considerations réunies font desiderer à Sa Majesté Imperiale la cessation d'un ordre des choses, qui est peu compatible avec la position calme et simple que doit avoir son Représentant à Rome vis à vis du Gouvernement de Sa Sainteté.

Sa Majesté l'Empereur mu pas ces considerations et pars sa haute générosité aime mieux rénoncer spontanément à tous ses droit sur cet établissement plutos que de les voir meme légèrement contestés.

En rendant à la cour de Rome cette Eglise avec ses biens, dépendence meubles et immeubles Notre Auguste Maitre seut donner par là au S. Père lui meme une preuve de son desir constant d'écarter entre les deux Cour tout sujet de controverse quelconque.

En portant à la connaissance du Ministère de Sa Sainteté cette décision

Attamen a S. Sede hic actus renuntiationis benevolae acceptatus non est, uti tam ex clara relatione P. Dabrowski ad Cardinalem Franzoni constat<sup>43</sup>, quam e posteriori modo agendi S. Sedis et Legationis Rossijacae in nominandis administratoribus praedictae domus. In huiusmodi enim nominationibus Secretaria Status, in vim obligatoriam illius supra relatae conventionis semper Legationem Rossijacam ad designandum administratorem invitabat, dum haec ab huiusmodi actu in vim renuntiationis seu donationis imperialis semper declinabat<sup>44</sup>.

36) - Ultima phasis historiae procuraturae Basilianorum in Urbe aetate illa incipit cum anno 1851, ex quo fit conamen quorundam Basilianorum renovandi officium Procuratoris generalis penes S. Sedem.

Anno enim 1846 Provincialis Basilianus provinciae Polonae, Michael Dabrowski, cum Superiore Bilensis monasterii. Nicanore Krajewski, fugam petiit ex Imperio Rossijaco venitque Romam. Papa Pius IX iustam et fundatam agnoscendo petitionem eiusdem P. Dabrowski, ut sibi reddatur in possessionem et administrationem fundatio Madonna del Pascolo, tamquam repraesentanti Ordinis Basiliani, in audientia die 13 Ianuarii 1848 Cardinali Franzoni Praefecto SCPF commisit, ut ecclesia SS. Sergii et Bacchi, sicut et hospitium cum omnibus ad idem pertinentibus summis et redditibus sine mora eidem reddatur.

Qui autem Provincialis ab anno 1851 instantias et supplicationes Romano Pontifici porrigere coepit, ut antiqua procuratura generalis Ordinis Basiliani renovetur. Itaque instantias huiusmodi ab eodem factas imprimis anno 1851, dein anno sequenti 1852 (23.III), similes a Provinciali unico tunc actuali provinciae Galiciae in Imperio Austriaco Maxymowycz repetitas invenimus, tum denique anno 1853, mense Novembre, ab eodem praedicto Dabrowski.

---

suprême vous avez soin mon Prince de faire apprécier les motifs bienveillans qui l'ont dictées. Ce sera désormais su S. Père lui meme en faveur du quel se fait cette cession et non en faveur de la Propagande, à donne la distinction ulterieure qu'il jugera convenable à cet établissement auquel Sa Majesté Imperiale et Royale renonce comme Empereur et comme Roi de Pologne de manière à ce que les moines Ruhènes de l'Empire et du Royaume n'enverront désormais plus à Rome aucun Recteur ni Procureur ni Cleur quelconque de leur Ordre ou qu'ils n'y ont plus des a jour de propriété.

Si la cour de Rome voulait decliner cette concession de Sa Majesté Imperiale vous auriez soin mon Prince d'annoncer que la decision de Notre Auguste Maitre à cet egard est invariable et que croyant par la faire une chose agreable decrait aussi considerer cet Acte bienveillant sous son véritable jour.

Recevez — Pour copie conforme — Le Sécretaire Générale de la commission des Cultes et de l'Instruction Publique - Signe Rakitski »; APF, OSPIZIO DEI RUTENI, PASCOLO, v. III.

<sup>43</sup> IBIDEM, v. III.

<sup>44</sup> Ita in nominando Sac. Martinez, anno 1833 (19.XII), et dein in reddenda huiusmodi administratione Congregationi Gallicae « De la Miséricorde de l'Immaculée Conception », in persona Sac. Ranzan, anno 1834 (3.XII).

Officium tamen Procuratoris generalis Basilianorum saltem pro provincia Galiciae in Imperio Austriaco non est renovatum.

Verumquidem praedictus Dabrowski adhuc anno 1875 in litteris « alla Giunta Liquidatrice », Romae, subscribitur tamquam Procurator generalis Ordinis Basiliani, hic tamen titulus pro solo praetextu coram auctoritate civili adhibitus dicendus est.

3) - Officium praedictum seu « Giunta Liquidatrice dell'Asse Ecclesiastico in Roma », post occupationem status pontificii, ad instantiam praedicti P. Dabrowski imprimis anno 1875 (23.VI) declaravit, hospitium praedictum tamquam pro Collegio Rutheno destinatum et a SCPF administratum tantum a publicatione liberum, sed anno 1885 Commissarius regius iterum de eodem causam movit. Tunc Secretaria Status Nuntio Ap. Vindobonensi Vannutelli commisit, ut curet persuadere gubernio Austriaco ad defendendam domum praedictam coram gubernio Italico, ea ratione, quod remanent Basiliani in Galicia, Imperio Austriaco subiecta. Revera cura gubernii Austriaci gubernium Italicum proprietatem domus praedictae Ordini Basiliano agnovit, at tunc gubernium Austriacum rationem de statu oeconomico eiusdem quottannis sibi reddendam requisivit.

Postea Imperator Austriacus, tollendo collegium « *Barbareum* » Ruthenorum Vindobonae, conventionem iniit cum R.P. Leone XIII de erigendo novo Collegio in praedicto hospicio Basilianorum Romae, inferendo pro eius restauratione anno 1897 summam 200.000 francorum aureorum et 14.000 coronarum pro sustentatione in eodem alumnorum e dioecesibus Galiciae; cui vero fundationi idem Romanus Pontifex 100.000 francorum aureorum adiunxit<sup>45</sup>.

38) - Post mortem P. Dabrowski nemo iam e Basilianis nec in officio Procuratoris, nec in hospicio Rector illum successit; relicta domo administrationi SCPF, quae illam per diversos administratores exercebat.

39) - Inde vero ab anno 1883 in eadem domo Procuratores Hierarchiae Ruthenae provinciae Galiciae Sacerdotes saeculares degere incipiunt. Habetur enim de hac re expressus consensus tunc actualis Provincialis Basilianorum provinciae Galiciae, Clementis Sarnyckj, ad petitionem Cardinalis Praefecti SCPF praestitus<sup>46</sup>.

<sup>45</sup> Litterae Ap. - De Collegio clericorum Ruthenorum in Urbe constituendo: « *Paternam benevolentiam* », 1897, 18-XII. Cfr. *Acta Leonis XIII*, v. XVII, Romae 1898, pag. 350; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum*, vol. II, p. 485.

<sup>46</sup> « Eminentissime ac Reverendissime Domine, Domine!

Si explicitum consensum meum pro concedenda gratuita habitatione in hospicio SS. Sergii et Bacchi Procuratori Ruthenae nationis e Clero saeculari usque nunc litteris perferre distuli, factum est ideo, quod hanc super rem aperiri etiam volui mentem Consultorum Ordinis mei, qui autem cum responso suo tardaverunt. Modo vero summo honori mihi duco Eminentissimo ac Reve-

4) - Revera eodem adhuc anno 1883 Sacerdos saecularis e dioecesi Leopoliensi, Martinus Pakiez, Procurator Episcoporum Ruthenorum provinciae Galiciae, domum procuratoriam Basilianorum Romae inhabitare animadvertitur, inquantum die 6 Augusti eiusdem anni facta est ab eodem petitio ad SCPF de concedenda sibi facultate administrandi in ritu latino communionem fidelibus latinis. Post eum sequitur series huiusmodi Procuratorum, usque ad momentum, quo primus Basilianus e reformatione Dobromylensi anno 1882 incoepa), Lozynskyj Arsenius, munus Rectoris Collegii pro Clero saeculari in hospitio Basilianorum Romae, ut supra, erecti atque officium Procuratoris generalis Ordinis Basiliani assumpsit, anno nempe 1902.

At animadvertite, nos esse iam longe intra limites aetatis recentis historiae Ordinis Basiliani Rutheni, quae a reformatione eiusdem Ordinis, s. d. Dobromylensi a. 1882, initium sumere dicenda est nostramque attentionem excedit.

## B. DE FIGURA IURIDICA PROCURATORIS IN URBE.

Figura iuridica Procuratorum generalium Basilianorum, de quibus agitur, in substantialibus eadem erat ac eorundem in iure communi. Secundum hoc vero: « Generalis Procurator constituitur ad negotia Ordinis (tum universi, tum Provinciarum, tum conventuum, tum singulorum) agenda apud S. Sedem. Per se ergo, ipsius opera religiosi uti debent ad adeundam S. Sedem atque impetranda indulta; ipsique dare solet S. Sedes litteras et decreta ad Provincias »<sup>47</sup>. Immo secundum constitutionem Clementis X: « *Ex iniuncto* »<sup>48</sup>, indulta alias obtenta nulla erant; illaque obtinentes vel iisdem uti praesumentes, ipso facto absque alia declaratione poenam incurrebant excommunicationis latae sententiae ac privationis vocis activae et passivae ac graduum et officiorum quorumcumque per eos obtentorum perpetuaeque inhabilitatis ad illa et quaevis alia in posterum obtinenda<sup>49</sup>.

rendissimo Domino humillime significare, non solum me ipsum, sed etiam totum Consultorium Ordinis mei penitus consentire, ut in hospitio SS. Sergii et Bacchi habitet gratuitè Procurator Ruthenae nationis e Clero saeculari et quidem eo libentius, cum praestito consensu hoc nullum pro futuro ponitur impedimentum, quominus possit, dummodo inveniatur ad munus Procuratoris Ordinis S. Basilii M. gerendum idoneus monachus ibidem habitare. Est mihi quoque firmissima spes id mox possibile fore, cum in reformato novitiatu monasterii Dobromylensis ultro viginti modo educantur juvenes novitii, de quibus, peractis illorum studiis, electio ad praefatum munus gerendum facillime et cum majori fructu fieri poterit.

His in submissione relatis, exosculator manus Eminentissimi ac Reverendissimi Domini, Domini mei, et persevero obsequentissimus DR. Cl. Sarnicki, minister provincialis Ord. S.B.M. - Leopoli, 28 Maii 1883 ».

<sup>47</sup> VERMEERSCH, *De Religiosis*, t. I, n. 450.

<sup>48</sup> § 1.

<sup>49</sup> PIATO, *Praelectiones J. R.*, t. I, Q. 861.

« In multis Ordinibus non est merum officium, sed dignitas cum conjunctam habeat jurisdictionem. Et in quibusdam, ut apud PP. Capuccinos, quando Generalis abest a Curia romana, omnis hujus potestas Procuratori obtingit. Apud alios, ut apud Carmelitas Excalceatos, Eremitas S. Augustini et Societatem Jesu, nulla est jurisdictione instructus »<sup>50</sup>.

« Ex principiis juris communis a tota communitate eligendus videtur, id est a Capitulo generali; nisi tamen contrarium in Ordinum statutis disponatur »<sup>51</sup>.

Romae residere debet<sup>52</sup>, ut ipsum officium exigat.

« Independens est a quolibet Ordinis Praelato, praeterquam a R.mo P. Generali; item et eius socii, qui tamen a Procuratore generali pendent »<sup>53</sup>.

« Voce activa gaudet in Capitulo generali. Item et voce passiva, praeterquam ad Generalatum et ad Procuratoratum »<sup>54</sup>.

« Praecedentiam habet super omnes alios, dempto R. P. Generali »<sup>55</sup>.

Plures iure gaudebant orandi in cappella pontificia<sup>56</sup>.

Tempus eius officio durat secundum diversa statuta Ordinum diversimode. « Qui tamen occasione mortis Procuratoris vel eiusdem renuntiationis eligitur, tempus praecedentis tantum perficit »<sup>57</sup>.

« Expleto officio voce gaudet activa et passiva in omnibus suae Provinciae Capitulis »<sup>58</sup>.

Gressum nunc faciendo a figuram iuridicam Procuratoris generalis in Urbe in particulari Basilianorum delineandam, imprimis quaestio praeliminaris solvenda est, nempe cuiusnam ille esset Procurator.

## Art. I

### Cuiusnam fuerit Procurator?

Qua in re triplex stadium est distinguendum:

1) - Ante domum procuratoriam Basilianorum Romae erectam 1617-1639;

2) - Ab huius erectione usque ad annum 1692;

3) - Ab anno 1692 ad finem secundae periodi.

<sup>50</sup> VERMEERSCH, *l. c.*

<sup>51</sup> PIATO, *l. c.*, Q. 859.

<sup>52</sup> VERMEERSCH, *l. c.*; PIATO, *ib.*, Q. 860.

<sup>53</sup> PIATO, *ib.*, Q. 861, ad II, 3<sup>o</sup>

<sup>54</sup> *IBID.*, 2<sup>o</sup>

<sup>55</sup> *IBID.*, 4<sup>o</sup>

<sup>56</sup> *IB.*, 5<sup>o</sup>.

<sup>57</sup> *IB.*, Q. 860.

<sup>58</sup> *IBID.*, Q. 861, 6<sup>o</sup>.

Ad 1). Cum Procurator sit, qui personam alterius gerat, inde spectata constitutione primaeva Procurator Ruthenus in Urbe, etiamsi Basilianus, non tamen solius Ordinis, sed totius Ecclesiae Ruthenae Procurator fuisse dicendum est. Nam initio hic simpliciter a Metropolita designabatur. Designatio autem eiusdem a Metropolita tamquam capite totius Ecclesiae Ruthenae facta, eundem Procuratorem totius Ecclesiae Ruthenae constituerebat.

Ad 2). Domo vero procuratoria Basilianorum Romae erecta, idem pro huiusmodi officio peculiariter deputabatur a capitulo Basilianorum generali. Quaestio ergo oritur pro hoc peculiariter stadio secundo, inde a tempore erectionis domus procuratoriae Basilianorum Romae, cum qua incipit constitutio Procuratoris a capitulo Basilianorum generali; Procurator huiusmodi cuiusnam fuisse censendus sit, Ordinis vel potius totius Ecclesiae Ruthenae?

Quaestio haec non est inutilis, quae immo in praxi valorem iuridicum habet, nam etiam nunc, e. g. Archivum procuratorium ex capite illius Procuratoris ad quem pertineat, ad totam Ecclesiam Ruthenam seu eius caput, Metropolitanum, vel potius ad Ordinem Basilianum?

Ad quam quaestionem solvendam imprimis quaedam praenotanda sunt.

a) Itaque non repugnat, ut Procurator in Urbe alicuius Ordinis ab hoc electus, missus et sustentatus eiusque causa principaliter agens, personam agat etiam, si opus esset, aliarum personarum sive moralium sive physicarum, quin tamen ob munus principale uti Procurator Ordinis relativi esse censi desistat.

b) Deputatio ad negotium determinatum vel etiam ad negotiorum universitatem quaestionem in casu non solvit, sed ipsa in officium Procuratoris constitutio, quarum illa huic est accessoria et saltem ordine logico posterior. (Videbimus postea Procuratorem Basilianum, etiamsi constitutum seu electum in capitulo generali, ad quaedam negotia praeterea speciali deputatione Protoarchimandritae indiguisset). Inde a quo est principaliter uti Procurator constitutus, eius etiam per se esse uti Procurator dicendus est.

Quod spectat Procuratorem Ruthenum in Urbe prima periodo, a momento domus procuratoriae et officii peculiaris in Ordine Basiliano erectionis usque ad annum 1692, figura eiusdem cum omni claritate non elucet, cuiusnam scilicet, esset Procurator simpliciter seu principaliter Ordinis vel totius Ecclesiae Ruthenae.

Acta primorum capitulorum tam arcti sunt argumenti, ut eiusdem constitutionis mentionem non faciant. Prima mentio residentiae Romanae fit, ut vidimus, in capitulo Minscen. 1652, et Procuratoris designati in cap. Zyrovicen. 1659 et in utroque e memoratis contributio pro residentia conferenda determinantur. Dein postea in anticapitulo Minscen. 1683 tempus Procu-

ratori prorogatur atque denique in cap. Novogroden. 1686 Procurator non Basilianus confirmatur. Ut tamen de constitutione et consequenter cuiusnam esset Procurator, dici possit, adducendi sunt singuli textus.

Itaque in capitulo Minscensi 1652 statuitur: « Proposita sunt debita, quibus gravatur residentia Romana. Constituta est contributio, ut Domini Patres Episcopi tam a Sacerdotibus suae iurisdictionis imposito in unumquemque uno aureo polono, sicut et ex parte sua, item omnes Reverendissimi Patres Archimandritae et Superiores e monasteriis suis summam quisque sibi infra assignatam conferent; assignatio vero, computatis in unum omnibus, quidquid sive a Sacerdotibus sive a propriis episcopalibus et monasteriorum acceptis quisque conferre debent, haec est:

	aureos
se ipso . . . . .	620
Dominus Pater Archiepiscopus Smolenscensis . . . . .	floreos 100
Dominus Pater Coadiutor Metropoliæ . . . . .	flor. 300
Dominus Pater Coadiutor Polocensis et Berewzecz . . . . .	flor. 24
Dominus Pater Episcopus Chelmensis . . . . .	flor. 300
Dominus Pater Episcopus Volodimiriensis . . . . .	flor. 500
Dominus Pater Episcopus Peremysliensis ratione devastationis . . . . .	flor. 100
Reverendus Pater Archimandrita Vilmensis . . . . .	flor. 50
Reverendus Pater Archimandrita Polocensis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Archimandrita Mscislaviensis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Bythenensis . . . . .	flor. 10
Reverendus Pater Archimandrita Sancti Onuphrii . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Archimandrita Grodnensis . . . . .	flor. 24
Monasterium Suprasliense . . . . .	flor. 100
Reverendus Pater Archimandrita Kobrynensis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Archimandrita Smolenscensis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Archimandrita Dermanensis . . . . .	flor. 24
Monasterium Dubnense et Dorohobuscense . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Superior Zyrovicensis . . . . .	flor. 24
Monasterium Dubnense S. Crucis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Superior Novogrodensis . . . . .	flor. 24
Reverendus Pater Superior Berestensis . . . . .	flor. 10
Monasterium Braclaviense . . . . .	flor. 24
Monasterium Czerlonense, absente eius Superiore . . . . .	flor. 100
Monasterium Wolnense . . . . .	flor. 10

Ex hac contributione expediendum erit etiam in alias urgentes necessitates Ordinis, praesertim in providendos fratres ad studia. Terminus huius pecuniae solvendae erit 1 Januarii proxime sequentis debentque omnes mittere ad Dominum Patrem Archimandritam Mscislaviensem, Minscum, et quamprimum summa sufficiens ad tollenda debita Romana collecta erit, illico illa mittatur Romam cum hac praecautio, ut debita illa ipse Pater Stefanowicz, Poenitentiarius S. Petri, tollat et nos scripto assicuret»<sup>59</sup>.

<sup>59</sup> S. 2, n. 2<sup>o</sup>; AS, t. XII, p. 50.



In capitulo Zyrovicensi 1659 actum erat de duplici missione Romam expedienda; altera erat missio Legati specialis extraordinarii nomine tam Hierarchiae, quam Ordinis in causis totius Ecclesiae; altera vero ordinaria residentis Romani seu Procuratoris generalis, quae ambae iunguntur: «Die 11 Julii tractatum negotium legationis Romam certae personae ex Ordine nomine Domini Patris Archiepiscopi, item totius Ordinis, pro contestatione fidei et imploratione auxilii a Santa Sede Apostolica in rebus confusionis Unionis Sanctae; subscripserunt pro legatione omnes unanimiter personae iam antea a nobis (praedestinatae sed) ab ipsis Dominis Patribus Archiepiscopis, Episcopis nondum acceptatae, (scil.) Reverendo Patri Pachomio Ohilewicz, sacrae theologiae doctori, Ordinis nostri Consultori; item summam necessitatem rati, ut simul et residens in Romanam ecclesiam et monasterium SS. Sergii et Bacchi residentiam mittatur; consentierunt etiam unanimiter pro hac functione in R. P. Innocentium Terpilowski, artium et philosophiae magistrum. Viaticum utrique, etiam praedicto internuntio, ipsis praevisis pro habitatione in praedicto negotio Romae designatum est per communem contributionem tam Minorum Patrum Episcoporum et Archiepiscoporum et monasteriorum hoc compacto:

Illustrissimus Dominus Pater Administrator offerebat . . . . .	120
Reverendus Pater Provincialis . . . . .	180
Reverendus Pater Superior Zyrovicensis . . . . .	120
Religiosissimus Dominus Archimandrita Cobrinensis . . . . .	60
Reverendus Pater Superior Novogrodensis . . . . .	60
Reverendus Pater Superior Brestensis . . . . .	50
Reverendus Pater Superior Czerlonensis . . . . .	24
Reverendus Pater Superior Wolnensis . . . . .	12
Reverendissimus Dominus Archimandrita Grodnensis . . . . .	30

Alii domini tam Archiepiscopi, quam Episcopi et Superiores Ordinis, hic in praesenti absentes, conferant quisque e parte sua, quod secundum conscientiam poterit, Quae summa attingere debebit 1200 flor.»<sup>60</sup>.

Tertia vice in actis capitulorum fit mentio designationis Procuratoris generalis in anticapitulo Minscensi 1683, ut vidimus<sup>61</sup>. Qui statim capitulo sequenti Novogrodensi 1686 in procuraturae officio confirmatus est tamquam «*Procurator generalis*», scil. Ordinis<sup>62</sup>.

Collatis hisce documentis, de constitutione Procuratoris et consequenter de quaestione, cuiusnam esset per se Procurator, haec sunt notanda.

1) - Factum, quod etiam Hierarchia contribuit pro eius sustentatione non est argumentum peremptorium pro eius characterе Procuratoris totius Ecclesiae Ruthenae. Investiganda enim imprimis est ratio huiusmodi contributionis. Alibi enim vidimus eandem Hierarchiam modo analogo contribuisse sive pro sustentatione Protoarchimandritae<sup>63</sup>, sive pro novitiatu<sup>64</sup>, sive pro

<sup>60</sup> S. 3; o. c., p. 60.

<sup>61</sup> Supra p. 214.

<sup>62</sup> S. 5; o. c., p. 125.

<sup>63</sup> Supra p. 70.

<sup>64</sup> Supra p. 71.

studiis<sup>65</sup>, quae omnia minime characterem generalem negotii totius Ecclesiae praesecerunt. Ratio autem intima, cur Hierarchia obligaretur ad huiusmodi contributiones, erat, quod Episcopi monasteria Ordinis detinebant, ideoque servata proportione opulentiae singulorum monasteriorum et personarum religiosarum in iisdem alendarum, illi maiori prae ceteris contributione gravabantur in omnibus necessitatibus totius Ordinis. Quae ergo ratio militare supponi debet etiam in contributione pro sustentatione Procuratoris generalis in Urbe ab Episcopis conferenda.

2) - Sed factum, quod in hac quaestione argumentum peremptorium haberi potest, erat electio Procuratoris in capitulo Basilianorum. Ergo capitulum Basilianorum erat, quod illum constituere, removebatque. Inde Procurator in capitulo Basiliano electus semper erat Procurator Ordinis, qui domo Basiliana procuratoria Romae degens, negotia Basiliana per se et principaliter ex ratione ipsius suae destinationis gerebat, etiamsi idem ad singula negotia vel etiam negotiorum universitatem a singulis quoque Episcopis deputaretur negotiaque eorundem promoveret, quam etiam ob causam pinguiori Episcoporum contributione Ordo remunerari potuit.

3) - Cum anno 1688 Curia generalis Basiliana Procuratorem non Basilianum monachum de Camillis, cui capitulum Novogrodense 1686 hoc officium commisit, ab eodem amovere conaretur, SCPF petitionem Curiae declinavit quidem, at ob rationem, quod ille a capitulo constitutus est. Inde in capitulo erat potestate eum amovere.

Quibus omnibus consideratis, concludendum est, etiam tempore praecedenti i. e. ex quo nempe domus procuratoria Romae erecta est et specialis Procurator a capitulo Basilianorum constitui coeperit, ille uti Ordinis Basiliani, non vero totius Ecclesiae Ruthenae per se et principaliter Procurator fuisse censendus est.

Ad 3) - De tempore posteriori sub hoc respectu nulla est difficultas; Procurator enim generalis ab Ordine electus, Ordinis etiam negotia tractabat, dum Hierarchia proprios etiam haberet Procuratores; et etiamsi aliquando Procurator quoque Basilianus negotia Hierarchiae Ruthenae promoveret, semper tamen ob principale suum munus «*Procurator Ordinis S. Basilii M.*» denominabatur.

<sup>65</sup> Cfr. e. g. supra allatum textum.

**Art. 2****De Procuratoris generalis constitutione**

Uti hucusque vidimus, prima periodo Procurator generalis Basilianus in capitulo generali constituebatur, non tamen periodice, e. g. a capitulo ad capitulum, sed ad spatium temporis indeterminatur, seu ad nutum capituli. Sed quaeri adhuc potest, utrum in huiusmodi constitutione solum capitulum privative competens esset, an etiam e. g. Curia generalis, in circumstantiis scilicet ordinariis?

1°. Iam supra vidimus SCPF anno 1688 in hac quaestione particulari pro potestate capituli privata stetit.

2°. Sed uti documentum decisivum huius quaestionis censi potest Congregatio Generalis et rescriptum SCPF, habita seu editum anno 1725, die 8 Januarii<sup>66</sup>.

<sup>66</sup> « Dopotè il P. Massimiliano Wietrzynski, Proto-Archimandrita dei Monaci Basiliiani Ruteni, fu reintegrato per Decreto di questa Sacra Congregazione alle Cariche, delle quali era stato privato per sentenza del Metropolitanò di Russia, si ebbe notizie, che giunto in quelle parti convocasse un capitolo per eleggere e deputare un nuovo Procuratore il quale dovesse venire a fare la sua residenza nell'Ospizio de SS. Sergio e Bacco di questa città, in luogo del P. Benedetto Trulewicz.

Avutosi qui forte motivo di sospettare che ciò fosse stato fatto dal P. Wietrzynski in vindictam di avere sperimentato in Roma poco a se favorevole il Procuratore Trulewicz, mentre promoveva contro di lui le ragioni del Metropolitanò e conseguentemente della Religione, fu stimato espediente di scriversi a Mons. Nunzio in Polonia, che facesse sospendere dal mandarsi qua il nuovo Procuratore, fino a nuovi ordini di questa Sagra Congregazione. Maggiormente che il P. Trulewicz, come ben inteso di tutti gli affari del suo Ordine per quanto appartiene alla Curia Romana, pareva non aver demerito per esser levato di officio.

Scrive ora il Mons. Nunzio in data de 15 del passato Novembre, che i PP. Basiliiani a fine di supplire alle supposte negligenze del d<sup>o</sup>. P. Trulewicz, avevano risolto di spedir qua in sua vece, o almeno per suo Coadiutore, il P. Patrizio Zyrawski, Superiore del Monastero di Polocko, ma portatosi dallo stesso Mons. Nunzio per chiedergli il solito Passaporto, esso in coerenza della sopradetta lettera della Sagra Congregazione non solamente gliel'ha negato, ma gli di più proibito di passar più oltre nell'intrapreso cammino senza l'espressa licenza dell'EE. VV. Anzi, gli ha pure negato la permissione di proseguire il viaggio in qualità com'egli domandava di semplice Pellegrino, per attendere gl'ulteriori ordini delle medesime EE. VV.

Questa provisione in fatti fu presa in tempo ch'era al governo dell'Ordine il P. Wietrzynski; ma ora ch'egli ha abbandonato la sua Religione, e per quanto si è inteso, anche la professione cattolica, e persistendo i Padri nella determinazione di mandare qua un nuovo Procuratore, è necessario, che EE. VV. si degnino a darsi e risolvere quali istruzioni abbiano a darsi a Mons. Nunzio.

Peraltro il P. Trulewicz, che ha avuta di tutto la notizia de partibus, dice, che la sua Religione ha preso concetto, che egli abbia usata della negligenza nella causa del d<sup>o</sup> P. Proto-Archimandrita, perchè l'ha veduto reintegrato alle sue Cariche da questa Sagra Congregazione.

Nulla di meno, non impugna, che i Superiori dell'Ordine mandino un nuovo Procuratore, ma avverte, che questo, secondo le Costituzioni dell'Ordine, deve

Meritum causae dictae C. G. et rescripti consistebat in eo, quod Vicarius Generalis Ordinis Basiliani, facta apostasia eiusdem Protoarchimandritae, designare voluit novum Procuratorem in Urbe. At obstitit Procurator actualis hac ratione nisus, quod electio novi Procuratoris generalis pertinebat privative ad capitulum generale.

SCPF, considerato casu, rescriptum dedit Religioni Basilianae, secundum quod haec (puta eius Curia Generalis) recedere debuit a sua decisione mandandi Romam novum a se designatum Procuratorem generalem. Sed ad mentem. quae erat, quod eadem Religio potuit uti iure suo — seu eligere, uti constitutiones praescribebant, novum Procuratorem generalem in capitulo generali. Quo pacto quaestio hic theoretice est soluta, in quantum ius eligendi Procuratorem generalem ad capitulum generale privative pertinere agnatum est.

Quomodo autem huiusmodi electio in capitulis fieret, alibi expositum est quae, saltem initio periodi, non semper per secreta suffragia fiebat<sup>67</sup>.

Post sui constitutionem, inde saltem ab anno 1709, Procurator generalis ad iuramentum praestandum obligabatur, scilicet non procurandi ulla praeturas pro se ipso et pure invigilandi ordinis sacri integritati<sup>68</sup>.

SECUNDA PERIODO electio Procuratoris generalis, ex quo eligitur a secundo, ut vidimus, capitulo, fit secundum normas electionis aliorum Officialium generalium<sup>69</sup>, statim post Consultores generales et ante Secretarios generales<sup>70</sup>. Eligendus autem erat e provincia non Protoarchimandritae. Pro casu denique quadruplicis turni protoarchimandritalis ob divisionem Ordinis in quatuor provincias in capitulo Torokanensi 1780, lata est specialis constitutio etiam de electione Procuratoris generalis, quae in *Codice* relata est<sup>71</sup>.

Quae autem constitutiones tum de electione Procuratoris capitulari, tum de electione alternativa ex opposita, ad illam Protoarchimandritae, provincia

---

essere eletto dal Capitolo Generale, non essendo un tale ius presso il Proto-Archimandrita pro tempore o presso chi sostiene le sue veci.

Inoltre asserisce, che se lo vogliono mandare presso di lui in qualità di Coadiutore, è necessario, che lo provvedano per la sua sussistenza imperochè quell'Ospizio assolutamente non ha modo di mantenerlo. Oltre di che in questo caso non potrà essere Coadiutore cum futura successione; perchè conforme si è detto, il Procuratore dev'essere eletto dal Capitolo Generale.

Rescriptum. - Praevio recessu a decisis, et ad mentem, scilicet, quod Religio Basiliina Ruthena utatur iure suo»; APF, *Acta*, 1725, v. 95, f. 16, n. 19; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. 3, p. 225.

<sup>67</sup> Cfr. vol. II, p. 125.

<sup>68</sup> Bilense 1709, s. 9; o. c., p. 166.

<sup>69</sup> Cfr. vol. II, p. 133.

<sup>70</sup> Berest. 1747, s. 9.

<sup>71</sup> « Procurator generalis eadem ratione deligetur, qua Proto-Archimandrita, scilicet servatis inter Provincias vicibus, ita ut post lapsum hujus octennii, quod Procuratorem habebit ex Lithuana Provincia, deligendus sit ex Provincia Galliciae tandem ex Provincia Albae Russiae, denique ex Polona Provincia »; *Codex*, p. 200, n. 68.

per sui in decretali « *Inter plures* »<sup>72</sup> a Benedicto XIV expressam approbationem mutationi citra Romani Pontificis licentiam subiici non potuerunt, inde etiam S. Congregatio ultimum Procuratorem dum in capitulo generali electus non esset, sed a Metropolitana nominatus, confirmare noluit, nisi « *ad interim* ».

Post sui electionem inde ab anno 1751 specialis formula iuramenti praestandi eidem praescripta est<sup>73</sup>. Quod tamen minime excludit eundem iam antea ab initio, suae erectionis, ad idem praestandum obligatum fuisse eo vel magis quod iam periodo prima, ut vidimus, iuramentum ab eo requisitum est.

### Art. 3

#### De Procuratoris generalis officio

##### Prima periodo.

Officium principale Procuratoris generalis, uti in iure communi, erat negotia Ordinis apud S. Sedem agere. Inde eius erat acta a Curia generali admissa S. Sedi tradere, petita nomine et iussu Protoarchimandritae eidem repraesentare, gratias et decisiones S. Sedis Ordini communicare. Independens erat ab omnibus Superioribus Ordinis, excepto Protoarchimandrita vel eius Vicario Generali, in explendis negotiis et capitulo generali in assumptione vel amissione sui officii.

At officium hoc in Ordine Basiliano dignitas non erat, nullam enim iurisdictionem super Ordine Procurator generalis vi sui officii obtinebat.

Secundum iuramentum saltem ab anno 1709 praestandum invigilare debuit « *integritati ordinis sacri* » et non curare sibi praelaturas. Quod ultimum iuramenti elementum occasione studii actualis illius Procuratoris dignitatem archimandritalem sibi procurandi constitutione capitulari impositum fuisse videtur<sup>74</sup>.

Spectata autem conditione particulari Procuratorum Basilianorum in Urbe, quorum commoratio Romae cum gravibus expensis coniuncta erat, ipsi tenebantur quotannis regesta proventuum et expensarum ad Protoarchimandritam mittere<sup>75</sup>; inde vero ab anno 1712 debita contrahere, inconsulta SCPF,

<sup>72</sup> § 25; DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 149.

<sup>73</sup> Cfr. vol. II, p. 135.

<sup>74</sup> Cfr. Rescriptum SCPF, 19.IX.1707; APF, Acta, v. 77, f. 314; A. G. WELYKYJ, Acta, vol. II, p. 221.

<sup>75</sup> Bilense 1709, s. 9; o. c., p. 166.

non potuerunt, de quo habebatur Congregatio Generalis praedictae S. Congregationis et rescriptum praedicto anno, 30 Maii <sup>76</sup>.

**Secunda periodo.**

1) - Quoad negotia gerenda. Prout supra annuimus Procurator generalis Basilianus secunda periodo, praeter constitutionem sui, quae per electionem capitularem fiebat, ad certa negotia tractanda indigebat speciali deputatione seu licentia Protoarchimandritae, quod constitutiones capitulares inde a primo capitulo eidem inculcant <sup>77</sup>.

Inde vero a capitulo Berestensi 1751 eidem reservationi expresse etiam subduntur causae inter provincias actae, quaeve primum obiectum eius iuramenti constituunt <sup>78</sup>.

Ita ergo formata constitutio tum de negotiis seu causis reservatis tum quoad formulam iuramenti conservata est in ceteris capitulorum constitutionibus <sup>79</sup>.

<sup>76</sup> « Mons. Leone Kiszka, Vescovo ruteno unito di Vladimira, e Generale di Monaci Ruteni di S. Basilio Magno, con li PP. Consultori dell'istesso Ordine espone all'EE. VV. di aver avuta notizia che il loro Ospizio di SS. Sergio e Bacco in questa Città è ridotto in così pessimo stato, che non puole più mantenere colle sue rendite il Procuratore della Religione, che vi risiede, e ciò per la mala amministrazione et infedeltà de passati Procuratori, cioè del Padre Policarpo Filipowicz e Silvestro Pieszkiewicz, che dicesi essersi appropriati le rendite dell'Ospizio, ed avere sopra di esso contratti molti debiti, supplica perciò l'EE. VV., che si degnino deputare qualche Commissario che riconosca lo stato di detto Ospizio, e che trovandosi essere così deteriorato per colpa delli predetti Procuratori, venghino questi obbligati alla refattazione dei danni essendo ambedue ... e dall'EE. VV. promossi alle dignità episcopali. In oltre supplicano che si provveda opportunamente per l'avvenire all'indennità di detto Ospizio ».

Sequitur relatio Secretarii SCPF de expensis factis ab illis Procuratoribus.

« Rescriptum: - Procuratores in posterum non audeant contrahere debita, inconsulta S. Congregatione sub penis canonicis et aliis arbitrio S. Congnis et notificetur singulis Procuratoribus.

Detur responsum Oratori cum notificatione huius decreti et transmittatur notula crediti et debita Hospitalii.

Ratiocinator accedat et recognoscat libros et quatenus opus accedat quoque D. Secretarius et referat. De omnibus certioretur idem Orator»; APF, Acta, 1712, v. 82, f. 330, n. 5; A. G. WELKYJ, Acta, vol. III, p. 53.

<sup>77</sup> « Nulla negotia Romae vel maxime illa, quae totam tangunt Religionem et respective Provincias, audeat P. Procurator intentare, nisi obtenta ad hoc in scriptis Rev.mi Proto-Archimandritae dispositione»; Const. 12.

<sup>78</sup> « Nulla negotia Romae, quae tangunt totam Religionem, aut integras respective Provincias causasque inter se acturas audeat P. Procurator intentare, nisi obtenta ad hoc in scriptis Perillustris Rev.mi Proto-Archimandritae dispositione... Quo vero exactius Procurator suo fungatur officio, praescripta est ipsi sequens praestandi iuramenti in manibus Praesidis Capituli formula: — Ego NN., Congregationis Ruthenorum Professus ex Provincia N. electus capitulariter in Procuratorem generalem totius Congregationis Ruthenorum, iuro D.no in Trinitate Uni in nulla negotia, quae inter Provincias (quod absit) controversa essent directe vel indirecte palam vel occulte me implicaturum, illa vero dumtaxat omnia negotia, quae a Perillustri Rev.mo Proto-Archimandrita e Religiosissimo Consultorio Ordinis mihi ad promovendum committentur. fideliter et pro viribus humanae imbecillitatis exacte promoturum»; Const. 12.

<sup>79</sup> Berest. 1759, const. 15; Berest. 1772, cc. 31, 32.

Revocando ergo ad has constitutiones Nuntius Ap. Vars. reprehendebat Procuratorem generalem Basilianum coram SCPF, anno 1774, ob porrectam huic ab illo, sine debita licentia, supplicationem in causa totius Ordinis<sup>80</sup>.

Sub influxu inde huiusmodi Nuntii Ap. reprehensionis SCPF in approbatione capituli Berestensis, 1772 celebrati, quaestionem proposuit: « An Procurator Generalis in curia residens reprehendus est, quod de rebus gravioribus suae Congr. recursum habuerit ad hanc Sacram Congregationem absque praevio assensu Superiorum Generalium? » et respondit: « Relata, sed in posterum Procurator abstineant a similibus »<sup>81</sup>.

Approbato autem ultimo memorato capitulo constitutio illa et iuramenti formula Procuratoris ad finem periodi retenta est et in *Codice* relata<sup>82</sup>

Eadem etiam, ut supra, formula iuramenti in Codice relata est<sup>83</sup>.

2) - Quoad Archivum Ordinis in residentia Romana curandum.

Secundum idem iuramentum, de quo supra, Procuratoris erat etiam Archivum Ordinis in residentia Romana conservare<sup>84</sup>.

<sup>80</sup> « Primieramente quantumque tutti quelli enunciati l'oggetti rendano giustizia alle doti delle quali è fornito codesto P. Procuratore Gen., convengono però ch'egli abbia oltrepassati i limiti delle sue facultà, avanzando alla Sag. Congregazione una supplica, che nella sua sostanza riguarda tutto l'Ordine, senza averne avuto il prevvio comando dai Superiori di esso. Non è punto dubbio su tal proposito, la disposizione dell'ultimo Capitolo Gen. di Brest., sess. 4 art. 32, in cui fu dichiarato, che ne per vantaggiare le prerogative del proprio ufficio ne per procurare delle nuove al suo Ordine, ne per chiedere nuovi provvedimenti o moderazione dei vecchi, possa egli prendersi tali arbitri, nisi obtenta ad hoc in scriptis Rev.mi P. Protoarchimandritae dispositione, ne il Protoarchimandrita può darla senza sentire preventivamente il parere del proprio Consultorio e de Provinciali coi rispettivi loro Consultori. Quantunque tali espresse disposizioni non sieno che del ultimo Capitolo Gen.le (?), non peranche confermate e provate dalla Sag. Congregazione, non di meno sembra ben ragionevole che tutto quello, che può interessare l'universalità dell'Ordine non venga proposto ed avanzato a codesta Sag. Congregazione dal solo Protoarchimandrita, ne molto meno dal Procuratore Gen.le, se non colla intelligenza almeno, se non coll'espresse consenso degli altri Superiori maggiori »; Litterae Nuntii Ap. Vars. ad SCPF a. 1774 (4 Maii); ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, p. 103.

<sup>81</sup> Decretum SCPF 1775 (10.VII); *Indulg.* F. I, p. ad XV; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 72-73.

<sup>82</sup> « Nullum negotium, quod universam Congregationem respicit, aut aliquam ejus Provinciam tangit, aggredi aut intentare audeat, nisi obtenta ad hoc in scriptis Proto-Archimandritae dispositione »; *Codex*, p. 94.

<sup>83</sup> *Codex*, p. 214.

<sup>84</sup> « Insuper etiam Archivum Ordinis in residentia Romana reperibile tam quod in exordio officij mei mihi a meo Antecessore consignabitur, quam quod per turnum procuratoratus mei accrescet, fideliter conservaturum et Successori mihi Procuratori generali consignaturum ». In quonam autem consistere debebat huiusmodi cura explicat *Codex*: « Summo curabit studio, ut Archivum Ordinis, quod in Residentia Romana reperitur, tam quod a Praedecessore suo sibi traditum est, quam quod sub ipso accrescit, bene instructum et compositum, in cubiculo ab igne tuto, nec humido, asservetur et successor, quam fidelissime consignetur »; *IBID.*, p. 95, n. VI.

3) - Quoad residentiam seu domum procuratoriam curandam.

In eodem iuramento etiam hoc obiectum promittebat<sup>85</sup>.

In decretis vero SCPF et consequenter etiam constitutionibus cap. Beresten. 1772 prohibetur Procurator Romanus aere alieno gravare hospitium SS. Sergii et Bacchi, seu domum procuratoriam Romae, sine consensu Protoarchimandritae et beneplacito Apostolico<sup>86</sup>.

In porrigendis actis huius capituli pro approbatione SCPF Procurator generalis tunc actualis in capitulo electus (Hierotheus Korczynski) instantiam eidem proposuit, ut sit independens a Protoarchimandrita in expensis occurrentibus pro dicto hospitio. At contrarium erat votum Nuntii Ap.<sup>87</sup>.

Inde hoc dubio in Congregatione Generali SCPF proposito: « An aliquo pacto sit modificanda Constitutio 33 eiusdem Sessionis, in qua cautum est ne P. Procurator supradictus audeat aere alieno gravare Hospitium SS. Sergii et Bacchi, inconsulto Protoarchimandrita? » responsum est: « Servetur decretum S. Congregationis 30 Aprilis 1759, Litt. B »<sup>88</sup>.

*Codex* denique referendo quae hucusque de hac re decreta SCPF stauerunt<sup>89</sup>, hanc etiam, e praxi forse receptam, formavit constitutionis spe-

<sup>85</sup> « Bono ordini domestico Residentiae nostrae Romanae, praesertim quod fidelem connotationem perceptae et expensarum nec non procurandae pro posse conservationi aedificiorum ac utensilium eiusdem Residentiae me incumbiturum ».

<sup>86</sup> Primum decretum de hac re erat ex anno 1759, 30 Aprilis, ad octavum: « An cavendum sit, ne Pater Procurator generalis aliisque Superior sine consensu Proto-Archimandritae et Beneplacito Apostolico aere alieno gravet hospitium SS. Sergii et Bacchi in Urbe. Ad. 8vum. Affirmative, hancque legem per eundem R.P. D. Secretarium esse Patri Procuratori Generali significandam ». Idem statuit etiam capitulum Berest. 1772. « Id etiam in fundamento Decreti Sacrae Congregationis habitae die 30 Aprilis 1759 serio cautum est, ne Procurator Romanus audeat aere alieno gravare hospitium in Urbe SS. Sergii et Bacchi, inconsulto Proto-Archimandrita »; *Bullae...*, P. II, p. 125-6; et Beresten., 1772, const. 33; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. IV, p. 136-137.

<sup>87</sup> « Pretende egli nell'istanza di non esser obbligato a dipendere nelle spese occorrenti per l'ospizio Romano dalla licenza del Protoarchimandrita e ciò contro lo stabilito nell'ultimo Cap. generale, Sess. IV, Cost. 33, onde nulla parmi doversi in ciò innovare per non dare occasione a qualche Procurator Gen. in avvenire di prendersi in una materia sì delicata eccessive e arbitrarie libertà. Altrimenti l'ospizio e la Congr. potrebbero trovarsi una volta gravati di debiti non necessari, ne voluti dall'Ordine. Nel rimanente poi, siccome nella Decretale della s. m. di Benedetto XIV « Inter plures », §. 12, fu stabilito, che i debbiti della Fabbrica di detto Ospizio spettar dovessero « pro aequali » alle due Province, sarà sempre tenuto il Procurator Gen.le di dipendere almeno dal Consultorio generale, il quale prenderà cogli altri delle Province le convenienti misure per le spese occorrenti, da ripartirsi sopra ambedue le Province, ciò che verrà corrispondente al Decret. d. S.C. de 20 Febr. 1753 (? puta 30 Aprilis 1759) nel quale per l'ottavo dubbio fu dichiarato, che nè il Procuratore Gen.le, ne altro Superiore gravar potesse di debiti l'ospizio Romano, senza il consenso del Protoarchimandrita e il beneplacito Ap.lico »; *Litterae Nuntii Ap. Vars. ad SCPF a. 1774 (4 Mail)*; *ASV, ARCH. N. VARS.*, v. 75, p. 103 ss.

<sup>88</sup> Decretum SCPF 1775 (10.VIII); *Indulg.* P. I, p. 15, n. 4<sup>o</sup>; A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 73.

<sup>89</sup> *Codex*, p. 95, n. X.



ciem: « Suo defuncturus officio, antequam rationem accepti et expensi remanentis totiusque rei domesticae ac ecclesiasticae Successori reddet, conficiendum curabit rerum omnium Inventarium et statum temporalem domus, in quo eam ipse suscepit et in quo Successori regendam traditurus est, haecque omnia ante Capitulum Generale perficere curet, ut Successori in eodem electo exemplar unum tradendum, alterum ad Proto-Archimandritam deferendum et a novo Procuratore subscriptum in promptu habeat »<sup>90</sup>.

4) - Uti tam ex iure communi, quam ex supra hucusque relatis patet, Procurator generalis Basilianus tam prima, quam secunda periodo lege residentiae Romae ligabatur.

5) - Item, uti ceteri Officiales Ordinis, usque ad annum 1751 durante turno sui officii nullas praelaturas curare potuit, neque oblatas sibi acceptare, sub poena inhabilitatis eo ipso incurrendae ad quamcumque promotionem<sup>91</sup>; supposito etiam quod vi constitutionis Benedicti XIII sub eadem poena ad quascumque dignitates obtinendas Basiliani consensu Protoarchimandritae et Ordinis indigebant<sup>92</sup>.

6) Potuissetne Procurator generalis officio suo ante lapsum turni renuntiare? Inde a capitulo Berestensi 1772 planum est id ei licitum non fuisse<sup>93</sup>.

7) - Utrum potuerit eligi in Provinciale? Haec quaestio nonnisi post annum 1751 oriri potuit, a quo tempus officiorum Ordinis ad octennium protractum est. provinciarum vero quadriennio limitabatur. Supra vidimus quaestionem hanc expresse resolutam quoad Consultores et Secretarios generales<sup>94</sup>. Quod vero Procuratorem spectat, neque quaestio orta est. Spectata enim mente capituli, esset omnino res superflua mutare post quatuor annos Procuratorem generalem, ut officium Provincialis obtineat aliusve eius locum occuparet utroque cum tantis expensis viarum coniuncto. Alia res erat quod Consultores et Secretarios spectat, qui in eadem provincia habitabant. At etiam hi, ut vidimus, saltem post annum 1772 in Provinciales eligi non potuerunt, ex motivo alibi iam applicato inde a primo capitulo, scilicet: « Ad vitandas omnes in Ordine et provinciis perturbaciones »<sup>95</sup>.

<sup>90</sup> *IBIDEM*, n. IX.

<sup>91</sup> *Supra* p. 150.

<sup>92</sup> *Supra* p. 151.

<sup>93</sup> Capitulo enim hoc clare praecautum est: « ne liceat Officialibus Ordinis et Provinciarum ante lapsum turni suis officiis renuntiare vel ea dimittere, praeter casum mortis vel ascensus ad Beneficium Ecclesiasticum incompatible cum Officio », non excepto scil. Procuratore; Const. 36.

<sup>94</sup> *Supra* p. 152.

<sup>95</sup> Const. c. 14.

8) - Denique uti ceteri officiales etiam Procurator generalis officium suum immediate ante electionem Protoarchimandritae in capitulo generali deponere debuit<sup>96</sup>.

#### Art. 4

#### De iuribus Procuratoris generalis

1) - Ius ad provisionem.

Distinguendum est ius ad provisionem a provisione ipsa seu a modo providendi eius sustentationi et necessitatibus in eius munere obeundo.

Quod ius spectat, hoc tam clarum se praebet, ut nullibi de eo, ut tali, quaestio aliqua mota est, sed immo idem in omni modo provisionis Procuratoris supponitur. Procurator enim nomine Ordinis Romae agebat, inde expensis Ordinis sustentari debuit in omnibusque necessitatibus in munere suo obeundo providendus erat. Ideoque, si quae aliquando quaestiones enatae sint, hae solum circa modum provisionis movebantur quaeve etiam hic uno tractu per duas periodos attendendae sunt.

Ut supra indicavimus, domo procuratoria Basilianorum erecta, quaestio provisionis Procuratoris primo mota est et statim resoluta. Spectatis autem documentis supra hucusque relatis in cursu duorum saeculorum triplex fons animadvertitur, unde provisio Procuratoris generalis Basilianorum in Urbe certa reddebatur: 1) Legatum Cardinalis Barberini; 2) Contributio Ordinis; 3) Locatio domus procuratoriae.

N.B. Quod spectat summam Joannis Ignatii Dubowicz, Equitis Lithuani, de qua supra<sup>97</sup>, haec in quaestione provisionis Procuratoris generalis nunquam enitet, quae enim, ut vidimus, pro sustentatione 4 alumnorum studentium destinata est.

Ad 1) - Quod autem legatum Cardinalis S. Onuphrii Barberini, fratris Papae Urbani VIII, Praefecti SCPF, spectat, illud anno 1640 ab hoc pro sustendendo Procuratore Basiliano erogatum, summam 100 scrutorum continebat quotannis Procuratori solvendam a SCPF, quam ille suum heredem universalem in testamento designavit.

Revera mentio huiusmodi legati semper solvendi fit in documentis per totam illam aetatem, donec Procuratores erant, immo usque hodie in suo valore minutissimo, quem post tot mutationes pecuniarias obtinuit, viget (64.50 libellae italicae mensilis solutionis, 774 libellae italicae annuae solutionis).

<sup>96</sup> Cfr. vol. II, p. 129.

<sup>97</sup> Cfr. p. 212.

2) - Quod autem contributionem Ordinis spectat, illa prima periodo, ut vidimus, in capitulis constituebatur designabaturque ab omni monasterio conferenda, servata proportione opulentiae singulorum et numeri personarum Religiosorum in iisdem alendorum.

Aliquando poenae pecuniariae in absentes a capitulo latae, residentiae Romanae applicabantur<sup>98</sup>.

Secunda periodo, ut vidimus, statim capitulo primo quaestio maxime agitata, nec a capitulo decisa, sed ad decisionem S. Sedis remissa, erat circa residentiam Romanam, utrum scilicet in eadem Procurator etiam e Provincia Ruthena seu Polona electus residere potuisset et de solvendis debitis; utraque ad apicem iuris soluta est a Benedicto XIV in decretali « *Inter plures* »<sup>99</sup>.

Exinde autem pro provisione Procuratoris generalis utraque provincia pro medietate contribuere tenebatur, uti imprimis a praedicta decisione debitorum solvendorum constat et postea constitutione capituli Zydzczynensis 1788, secundum quam utraque provincia 60 nummos aureos per dimidium (30+30) solvendo obligata est, confirmatur.

Analogice idem dicendum est de contributione provinciarum quatripartita in divisione Ordinis in 4 provincias post annum 1780, quodque supponitur in *Codice*<sup>100</sup>.

Ad 3) - Inde saltem a fine saeculi 18 ortum habuit tertius titulus, seu fons unde provisio Procuratori generali assicurabatur, nempe locatio partis domus procuratoriae inquilinis saecularibus. Qua de re constat ex actis archivalibus<sup>101</sup>.

<sup>98</sup> Uti e. g. in cap. Torokanensi 1661 statutum est: « Poenae in absentes sine ulla ratione ab hac congregatione nostra sint pecuniariae, quae residentiae Romanae adiuvandae applicandae sunt. Quomodo vero sint colligendae, voluntas Patris Provincialis declarare debet »; S. 7; AS., t. XII, p. 63.

<sup>99</sup> § 11. DE MARTINIS, o. c., P. I, v. III, p. 146; A. G. WELYKYJ, *Docum. Pontificum*, vol. II, p. 88 sq.

<sup>100</sup> « Caveat (scil. Procurator generalis) Hospitium SS. Sergii et Bacchi, cui praeest, alieno aere gravare sine consensu Proto-Archimandritae et Beneplacito S. ae Sedis Apostolicae, quinimo curet promovere augmentum proventuum, cum hoc titulo a Provinciis subsidium quotannis sit percepturus »; P. 95, n. X.

<sup>101</sup> « La supplica, che ora presenta alla S. Congregazione l'odierno P. Provinciale de Ruteni, quasi identicamente l'avanzò ancora nell'anno 1791. Espose egli allora, che le spese alle quali soggiaceva quell'Ospizio ascendevano a scudi 683 l'anno, e l'entrata annua giungeva appena a scudi 283 e per siffatto sbilancio esser egli stato costretto in pochi anni a contrarre un debito di scudi 363. Espose inoltre, che per supplire a tale enorme sbilancio sarebbe stato l'unico espediente di affittare a secolari una parte dell'Ospizio, la quale rimaneva a fatto inutile per uso de' Monaci, separandola dalla comunicazione dell'Ospizio, mentre col vantaggio di tali piggioni potevano contrapesarsi l'annue spese; ed aggiunge, che per la separazione suddetta vi occorreva la spesa di scudi 139.34, giusta lo scandaglio fatto dall'Architetto. Fece dunque tre istanze: cioè, che la S. C. gli desse la somministrazione di scudi 139.34 per le spese necessarie a risarcire e ridurre affittabile una parte dell'Ospizio; altra somministra-

Revera locatio huiusmodi fructus contulit tales, ut annua summa perceptorum ante annum 1795 complessive circa 400 piastros numerabat<sup>102</sup>. Quorum ergo ope ac aliarum oblationum eidem procuratori (Jordano Mickiewicz) contigit domos etiam vicinas hospicio praedicto acquirere.

Anno autem 1818 idem Procurator de sua provisione e huiusmodi tribus fontibus seu titulis affluente informat<sup>103</sup> Ministrum plenipotentiarium imperatoris Russiae penes S. Sedem.

At in hoc generali conspectu in media provisionis Procuratoris generalis oblivioni mandari nequit benefica opera SCPF, quae quidem, praetermissa solutione annuali legati Cardinalis Barberini, dotem aliquam certam provisionis huiusmodi non praebat, nunquam tamen adiutorium per modum pinguae elemosinae in omnibus necessitatibus et angustiis oeconomicis procuraturae Basilianorum Romanae praestare desistit<sup>104</sup>.

zione ad effetto di estinguere il debito dei sudetti scudi 363.18; e finalmente un qualche annuo sussidio.

Queste tre petizioni furono riferite dal Cardinal Busca della Congregazione Generale de 19 Settembre detto anno 1791, ed il Decreto, che n'emanò fu il seguente: « Solvantur scuta 139.34 pro resorcenda Domo, ad effectum eam locandi, in reliquis negative et ad mentem ». La mente vi fu, che dovessero scriversi tre lettere, la prima al Proto-Archimandrita de Ruteni, l'altra al Metropolitano, e la terza al Nunzio Apostolico di Varsavia. Per notizia poi più estesa del sentimento d'allora della S. Congregazione si dà annessa copia di una di dette tre lettere »; APF, OSPIZIO DE RUTENI, PASCOLO, v. I (Nota d'Archivio).

<sup>102</sup> Actum Consilii Administrativi Varsaviensis penes Commissionem Statalem Confessionum religiosarum et publicae educationis, 22. I. 1828.

<sup>103</sup> « Per il tempo passato l'Ospizio colla Chiesa sudetta, nella quale si officia spiritualmente il Rito Greco-Ruteno, Latino ed Italiano per commodo del pubblico di Roma e delli viaggianti nazionali, ritraeva per suo mantenimento 100 (piastr) dalle Provincie Polone del suo Ordine, 100 scudi Romani dalla lascita sopra i Beni di Propaganda del Cardinal Barberini, ed un centinaio di Scudi dalle pigioni di Case al luogo pio aderenti. Dopo diviso in tre parti il Regno di Polonia, dimorando già in Roma presente Rettore, il sudetto sussidio di 100 (piastr) è stato ridotto a 60 (piastr), il legato perpetuo de Barberini diventato intermittente e le pigioni di Casa per la povertà degli inquilini restarono incerte. Estinto Regno di Polonia, è cessato intieramente il sussidio dall'Ordine, interrotta ogni comunicazione con questo luogo pio, restante salvo legato di Barberini colla poccha pigionia di Case »; « Rapporto a Sua Eccel. Il Sg. Cavaliere Italinski, Ministro Plenipotenziario di S. M. Imperatore di tutte le Russie presso la S. Sede Aplica ».

<sup>104</sup> Ad quam beneficentiam demonstrandam satis erit sequi quaedam documenta archivalia: « Hanno però i sudetti Monaci fatte più volte delle istanze alla S. Congregazione per esser sollevati nè loro petizioni. Nel 1662 rappresentarono què Monaci, che la loro abitazione, oltre il bisogno che aveva di vari risarcimenti, era tutta piovosa, onde la S. Congregazione rescrisse: « Licet S. Congregationi non incumbant onera et administratio temporalis illius Domus, tamen benigne annuit, ut per Secretarium videatur de asserta necessitate et concedatur per modum elemosinae, quod in hac causa erit necessarium ».

Supplicarono inoltre nel 1668, che gli si facessero alcuni armari nella Sagrestia, una cantina sotto la loro bottega, non potendola per l'umidità appigionare, e due pianete, una paonazza, e l'altra negra, e la S. Congregazione sotto li 13 Marzo del sudetto anno benignamente rescrisse: — Concedantur omnia.

Richiesero nuovamente nel 1673 il risarcimento dei tetti, e finestre della Chiesa, e che si riparasse la Casa, che minacciava ruina, non condiscese allora

2) - Tam prima quam secunda periodo Procurator generalis iure gaudebat capitulis interesse cum voce activa et passiva in capitulo generali et activa periodo secundo in capitulo provinciali propriae provinciae.

At quod spectat capitulum generale periodi primae Procurator eidem communiter non partecipabat, praesertim si in eodem munere diu remanere debuit. Locorum enim distantia in hoc eum impediabat. Item periodo secunda quod spectat capitulum provinciale intermedium, post quadriennium turni octennalis curiae generalis celebrandum ille ex eadem ratione eidem non partecipabat, nec voce passiva in eodem gaudebat.

3) - Quanam norma ordinaretur eius praecedentia periodo prima, non constat. Eius continua absentia a corpore Congregationis in genere et etiam a capitulo generali in specie nullam ansam praebat ad huiusmodi normam determinandam. Spectata tamen aequitate canonica et considerato, quod ex una parte ipse ad gremium curiae generalis pertinebat et ex altera parte, quod eius officium temporale tantum erat seu ad nutum capituli, dum tam Consultorum generalium, quam Secretarii generalis officia essent vitalitia, dicendum est Procuratori generali locum in ordine praecedentiae debitum statim post Secretarium generalem fuisse.

Secunda periodo haec quaestio statim in electione capitulari primi Procuratoris generalis in Urbe, nempe in capitulo Berestensi 1747, soluta est, eo quod electio eius statim post Consultores generales, sed ante Secretarios generales facienda decisa est<sup>105</sup>.

Hinc etiam constitutio capituli Berestensis 1772 de Procuratore generali, quae sonabat: « *De eodem Procuratore statutum est, ut electus post Consultores in Consultorio generali locum teneat suoque loco acta Capituli cum caeteris Officialibus subscribere teneatur* »<sup>106</sup>, eandem praecedentiam ubique

---

la S. Congregazione alla loro richiesta; ma ne ordinò per la seconda volta la visita, commettendone l'esecuzione al Cardinale Orsini, il quale dopo averla visitata, riferì la necessità, che v'era di tali risarcimenti, onde la S. Congregazione rescrisse: — Annuerunt.

Nella Congregazione del 10 Novembre 1693, essendosi riferita la supplica del P. Policarpo, Rettore di detta Chiesa ed Ospizio, ch'esponeva l'impossibilità, in cui si trovava di soccombere alla spesa occorrente per la selciata, che doveva far sì attorno al loro Ospizio, e case annesse, la stessa S. Congregazione rimise l'istanza all'arbitrio di Monsignor Segretario per il sussidio di darglisi a tale effetto.

E' altresì vero, che la S. Congregazione ha talvolta fatte delle imprestanze al P. Procuratore de Ruteni, perchè pagasse i debiti contratti per i risarcimenti delle Case, e Chiesa, e per supplire alla mancanza delle rendite, cagionata dallo sfitto di qualche appartamento, delle quali poi si è rivalsuta sull'anno legato di scudi 100, che gli paga come crede del prelodato Cardinal S. Onofrio ».

Et huiusmodi beneficentiae exempla plura adhuc adduci potuissent. APF, OSPIZIO DE RUTENI, PASCOLO, v. I, (Nota d'Archivio).

<sup>105</sup> Cfr. vol. II, p. 133.

<sup>106</sup> Const. 32.

servandam supponit, illud enim « suo loco » nihil aliud significabat, quam post Consultores generales, uti de facto acta eiusdem capituli hoc ordine subscripta sunt.

Attamen antequam nuper citatum capitulum approbaretur, Procurator generalis tunc actualis Hierotheus Korczynski e provincia Ruthena seu Polonia instantiam fecit SCPF, ut electio (et consequenter praecedentia) Procuratorum generalium fiat ante Consultores generales, cui tamen instantiae obstitit Nuntius Apostolicus<sup>107</sup>.

Adamussim ad votum Nuntii Apostolici decrevit etiam SCPF in Congregazione Generale 1775 (10.VII) ubi proposito dubio: « Interim, an reformanda sit Constitutio 32 praefatae Sessionis IV ac decerni debeat, quod Procurator generalis in Curia residens eligatur in Capitulis generalibus ante Consultores ipsisque praecedat? » responsum est: « Ad III. Nihil esse innovandum »<sup>108</sup>.

Hinc norma hucusque recepta usque ad finem periodi conservata est<sup>109</sup>.

4) - Inde ab anno 1775 (10.VII) Procurator generalis Basilianus privilegio gaudebat: « *intersedendi sacris concionibus, quae in Palatio Apostolico certis statutisque diebus peragi* » solebant. Quod iidem obtinuerunt semper cura illius Procuratoris Hierothei Korczynski, uti idem ut supra Nuntius Apostolicus attestat<sup>110</sup>.

<sup>107</sup> « Insiste egli in primo luogo acciò i Procuratori gen. pro tempore vengano eletti, prima dei Consultori Generali, abbiano la precedenza, e sottoscrivino prima di essi gli Atti de' Capitoli Gn.li.

Io però non vedo ne bisogno, ne utilità di fare un tal cambiamento.

Il Procuratore Gen.le è un Ministro dipendente dagli ordini del Protoarchimandrita e del suo Consultorio. Anticamente veniva eletto soltanto da essi. (Ita, ut vidimus, constitutus est anno 1744).

In appresso se n'è incominciato a far l'elezione nei Cap. Gen.li e una tal elezione si fa dopo quella dei Consultori. Perciò ha ora il luogo dopo li medesimi e prima dei Segretari. Se si elevasse in oggi il Procuratore Gen.le alla precedenza ch'egli pretende, insorgerebbero subito i Procuratori delle rispettive Provincie, residenti qui in Varsavia, che per esser graduati ancor essi sopra i Consultori delle Provincie medesime e l'alterazione, che requirebbe da questa nuova graduazione potrebbe in sequela produrre delle altre»; Litterae Nuntii Ap. ad SCPF a. 1774 (4 Maii); ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, p. 103 ss.

<sup>108</sup> *Indulg.*, P. I, p. 15 ad III.

<sup>109</sup> Cfr. vol. II, p. 133, et cap. Beresten, 1772, const. 32.

<sup>110</sup> « Per ultimo richiede il luogo fra i Procuratori Gen.li dell'altre Religioni, residenti in Roma. Quanto possa ciò convenire alle regole, e ai ranghi che si osservano nella Cappella Pontificia, e alle precedenzae, che possono essere in controversia o con altri Ordini regolari o colla Cong.ne d'Italia, e Spagna, eretta dalla s. m. di Gregorio XIII nell'anno 1579, l'E. VV. lo giudicheranno. Ma qualora non lo credessero espediente, o fattibile, non è però che io non desidero qualche maggior lustro, o distinzione a una Cong.ne, che è in questa stazione il principal sostegno della S. Unione e che merita però ogni maggior riguardo dalla S. Sede. Non so se il detto Procurator gode della facoltà d'intervenire alle Prediche nel Palazzo Apostolico. Qualora non l'abbia e qualora l'EE. VV. non sieno per pro-

5) - Quod spectat praesentiam eius in consultationibus generalibus, illa tamquam ius eius tantum, non vero obligatio considerari debet. Eius enim participatio iisdem non erat necessaria; participare autem potuit. Necessaria non erat, quia de facto iisdem non participabat, nisi iis, quae statim post sui electionem convocabantur, de cetero autem locorum distantia illam impediabat. Quod vero potuit, constat e capitulo Berestensi 1772, ubi expresse hoc ius ei agnitum est<sup>111</sup>.

Quod tamen vocem deliberativam spectat in iisdem consultationibus dicendum est, ea Procuratorem generalem gravissimum non fuisse. Nam imprimis capitulo Berestensi 1759 expresse sancitum est, ut Consultores et Secretarii iure suffragii decisivi gaudeant, nulla facta mentione Procuratoris generalis. Dein SCPF in decreto 1763 iisdem Consultoribus et Secretariis, propterea quod huiusmodi voce gaudebant, praescripsit, ut omnimodam obedientiam S. Sedi iurarent, iterum nulla mentione facta Procuratoris, qui inde neque in suo iuramento obedientiam illam expresse promittebat. Denique capitulum Berestense 1772 ab iis, qui vocem deliberativam in consultationibus habebant, scil. Consultoribus et Secretariis, iuramentum de iustitia distributiva in premiandis personis servanda requisivit, quam iterum Procurator non iurabat, ergo neque voce deliberativa gaudebat, quaeque nullibi ei concessa animadvertitur.

---

curargli altre prerogative di maggior distinzione, le supplico di non meno a fare qualche attenzione alle suddette» (l. c.).

Dato, ergo huiusmodi voto Nuntii Apostolici in sua substantia non favorabili, neque SCPF adaequationem in privilegiis Procuratoris Basiliani cum ceteris procuratoribus aliarum Religionum, uti petitum est, commendandam constitutere voluit. Inde ad propositam sibi quaestionem: «An conveniat, ut Procuratori memorato in publicis functionibus locus concedatur inter Procuratores generales aliorum Ordinum, idque salvis iuribus quoad praecedentiam Cong. S. Basilii Magni?» SCPF respondit: «Dilata et ad mentem», mens haec alia esse non potuit, quam quae in voto Nuntii Apostolici expressa est, nempe ut concedatur eidem facultas intercedendi concionibus in Palatio Apostolico. Revera eadem adhuc congregatione decretum pro approbatione SS.mi porrigendum formatum est quodv\* a SS.mo confirmatum est: «S. Congregatio ad relationem E.R.D. Card. Castelli Praefecti decrevit supplicandum esse SS.mo, ut dignetur concedere moderno Procuratori gen. OSBM Ruth. in Curia residenti eiusque in perpetuum successoribus indultum intercedendi sacris concionibus, quae in Apost. Palatio certis statutisque diebus peragi solent.

Quam S. C. Decretum S.mo D.N. Pio D.P. PP. VI per R.D. Stephanum Borgia Secret. in Audientia habita die 16 eiusdem m. relatum Sanctitas Sua approbavit ac indultum, de quo agitur, benigne concessit»; Decretum SCPF a. 1775 (10 Julii); APF, *Decreta aa. 1768-78*, f. 356.

<sup>111</sup> «De eodem Procuratore statutum, est, ut electus post Consultores in Consultorio generali locum teneat» (Const. 32). Quod vero sub Consultorio generali ipsa consultatio generalis intelligatur, constat e *Codice*, qui super hac constitutione sequentem propriam formavit: «In Consultationibus generalibus, dum post sui electionem iis interest, locum post Consultores teneat, eodemque loco Acta Capituli generalis subscribat»; P. 95, n. XII.

Responsum affirmativum insinuaret tantum illud factum, quod eidem participatio in consultationibus iisdem, dum in patria commoraret, concessa est, quae videtur non diversa ad illa Secretariorum fuisse, quos ille praecedebat. Dein in capitulo Berestensi 1759 statutum est, ut in consultationibus res omnes pluralitate votorum definiantur. Ex quo ergo videtur concludendum, participationem Procuratoris in consultationibus necessariam non fuisse, quoties tamen ille iisdem participaret, voce eadem ac ceteri participantes gauderi debuisset.

Consideratis tamen rationibus ex utraque parte, vox deliberativa in huiusmodi consultationibus Procuratori generali potius deneganda est. Ad asserendam enim vocem deliberativam statutum positivum requiritur, dum participatio illa optime passiva tantum supponi possit.

## Art. 5

### De officii Procuratoris generalis tempore in eoque successione

Prima periodo officium Procuratoris generalis determinatum temporis spatium constitutionibus non habuit, sed cuiusque capituli in potestate et quidem privativa erat Procuratorem huiusmodi mutare, et propterea, quod tempus eius officii constitutionibus determinatum non erat, ille positiva confirmatione uniuscuiusque capituli ad munus suum legitime obeundum non indigebat; satisque erat, quod capitulum eum non revocabat.

In praxi autem, prout elenchus eorundem indicat, quidam eorum, praesertim in fine periodi, revera a capitulo ad capitulum officium hoc gerebant, quidam tamen etiam per 14 annos, uti e. g. Benedictus Trulewycz (1712-1726)<sup>112</sup>.

Procuratore autem demortuo vel ad dignitatem incompatibilem (episcopalem scil. vel archimandritalem) evecto vel etiam ab officio renuntiato, vi analogiae cum ceteris Officiis generalibus, eius substitutor usque ad capitulum sequens generale a Protoarchimandrita cum Consultoribus designandus erat; capituli autem erat illum confirmare vel novum eligere.

Secunda periodo tempus officii Procuratoris generalis constitutionibus determinatum erat, inquantum scil. omnia officia generalia nonnisi a capitulo ad capitulum generale geri potuerunt, primo scil. per quadriennium, dein vero per octennium.

---

<sup>112</sup> Cfr. BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 189.



Et ita in praxi observatum est, nisi ultimum Procuratorem in capitulo electum excipias, qui data impossibilitate liberae communicationis Ordinis cum Roma, usque ad mortem munus suum gerebat<sup>113</sup>.

Pro casu denique praematurae eius ab officio cessationis, sive ob mortem sive ascensum ad dignitatem incompatibilem (quae pro Procuratore semper erat non solum episcopalis verum etiam archimandritalis, inquantum ille Romae residere obligatus, non potuit simul praesidere alicui archimandriae in ecclesia Ruthena sitae) sive denique ob dispensationem S. Sedis constitutio eius substitutoris usque ad sequens capitulum seu ad finem turni fieri debebat a Protoarchimandrita, secundum normas communes supra relatas<sup>114</sup>.

In praxi autem una tantum vice facta est huiusmodi constitutio substitutoris, anno 1757, uti supra annuimus<sup>115</sup>.

## Art. 6

### De socio Procuratoris in Urbe

Uti norma de addendo socio Procuratori generali in residentia Romana in constitutionibus lata habetur periodo prima nonnisi in eiusdem fine, periodo vero secunda formari coepit nonnisi anno 1759.

De facto autem periodo prima neque post latam constitutionem capituli Bilensis 1709 socius huiusmodi stabiliter mittebatur, sed eius existentia Romae censi debet occasionalis tantum, a conditionibus praesertim oeconomicis dependens.

Pro huiusmodi occasionali missione socii reputari debent imprimis missio constituta capitulo Zyrovicensi anno 1659 P. Innocentii Terpilowskyj, si ipse non tamquam Procurator generalis, quem uti talem supra consideravimus<sup>116</sup> et nunc ut rem probabiliorum admittimus, missus esset. Item eiusdem characteris missio huiusmodi socii: «*lingua ruthena gnari*» Procuratori generali de Camillis in capitulo Novogradensi 1686 constituta censi debet<sup>117</sup>.

Anno denique 1709, in capitulo Bilensi: «*Ut habeat socium V. P. Procurator Romanus ... lex est lata in perpetuum*»<sup>118</sup>. At neque hanc executioni mandatam esse postea vidimus. Adhuc animo anno 1725 tamquam rem insolitam Procurator Romanus impugnabat coram SCPF intentionem Curiae generalis Basilianorum mittendi sibi socium in residentia Romana, ostendendo

<sup>113</sup> Supra p. 219.

<sup>114</sup> Cfr. p. 155.

<sup>115</sup> Cfr. p. 219.

<sup>116</sup> Cfr. p. 213.

<sup>117</sup> S. 5, AS, t. XII, p. 125.

<sup>118</sup> S. 9; o. c., p. 166.

defectum provisionis pro eius sustentatione. Quae vero nec missio, nec provisio difficultatem ullam creasset, si iam antea huiusmodi socii stabiliter mittendi essent<sup>119</sup>.

Immo, neque initio periodi secundae socius stabiliter constituendus in constitutionibus supponitur aut habetur, nisi casum excipias particularem, uti anno 1742, quo in caractere socii Procuratoris generalis Romam missus est P. Stebnowskij ad obtinendam unionem duarum Congregationum<sup>120</sup>.

At capitulo Berestensi 1759 existentia socii Procuratoris generalis supponitur iam ut factum et postulatum est tantum a provincia Polona, ut ille adinstar ipsius Procuratoris alternis vicibus ex utraque provincia mitteretur<sup>121</sup>. Provincia Polona revocabat ad fundamentum illius decretalis ratione analogiae cum officio ipsius Procuratoris alternative ex utraque provincia constituendi; provincia vero Lithuana ad eandem decretalem appellabat ea ratione, quod haec de socio huiusmodi nihil constituit, dum de facto hucusque « *inquantum mitteret, eundem semper provincia Lithuana mitteret* ».

Considerata hac quaestione ad se remissa, SCPF in approbatione illius capituli eandem iterum remisit ad proximum capitulum generale, per secreta suffragia definiendam<sup>122</sup>. Capitulum vero sequens Berestense 1772 quaestionem hanc decidit et quidem in sensu, quo olim provincia Polona illam decidendam voluit<sup>123</sup>.

Verumquidem Procurator generalis tunc actualis constitutionem hanc in capituli eiusdem approbatione a SCPF mutandam esse voluit in hunc sensum, ut nempe Sacrista praedictus ex provincia Procuratoris semper sit,

<sup>119</sup> « Inoltre asserisce, che, se lo vogliono mandare presso di lui in qualità di Coadiutore, è necessario, che lo provvedano per la sua susistenza, imperochè quell'Ospizio assolutamente non ha modo di mantenerlo ». Supra p. 231, n. 66.

<sup>120</sup> Cfr. vol. I, p. 82.

<sup>121</sup> « Postulavit Provincia Polona, ut in fundamento Decretalis "Inter plures" Sacrista in Urbe degens ad aedes SS. Sergii et Bacchi alternis vicibus ex una et altera Provincia designetur, cui praetensioni Provinciae Lithuanae Patres in fundamento Decretalis "Inter plures" et juris ab antiquo sibi suffragantis abstinere, quam ob rem negotii huius discussio ad Sanctam Sedem remissa est »; Const. 34.

<sup>122</sup> Decretum SCPF 1763 (11.VII), ad 34; *Bullae...*, P. II, p. 140.

<sup>123</sup> « Excitata in superiore Brestensi Capitulo controversia de Sacrista SS. um Sergii et Bacchi de Urbe definienda ad praesens Capitulum generale Decreto proxime laudatae Sacrae Congregationis remissa per secreta suffragia est dirempta, statutumque est, ut praedictus Sacrista alternis vicibus ex una et altera Provincia designetur, ita, ut munus Procuratoris generalis gerente monacho Lithuano, Sacrista sit monachus Polonus, et e converso; definitumque ut is Sacrista ex quacumque fuerit Provincia, nutibus ac imperio subsit Procuratoris generalis pro tunc in Urbe existentis. Qua occasione Polona Provincia recepit se decoris Sacristiae Romanae curam et respectum habituram concessuramque in Varsaviensi erigendo monasterio locum pro Procuratoris Lithuanae Provinciae residentia »; (const. 60).

attamen eius conatibus obstitit imprimis Nuntius Apostolicus Varsaviensis et dein ipsa SCPF<sup>124</sup>.

In constitutione quidem illa expresse non determinatur cuiusnam erat in concreto Sacristam illum designare. At data importantia, quam capitulum adscribit huic muneri, dicendum est, designationem illius ad Protoarchimandritam et quidem cum Consultoribus pertinuisse. Quod comprobatur etiam eo, quod in Imperio Rossijaco deficiente Protoarchimandrita, illum designavit, ut vidimus, ipse Metropolitae, qui potestatibus a S. Sede obtentis vices Protoarchimandritae supplebat<sup>125</sup>.

In ceteris vero, uti constitutio statuit, Sacrista praedictus in omnibus a Procuratore generali dependebat.

Analogice denique ad ceteros Officiales etiam socius Procuratoris generalis seu Sacrista Romanus, ut dicebatur, Ordine in 4 provincias diviso designari debuit secundum quadruplex turnum. Dato autem, quod ipse semper e diversa, quam illa Procuratoris provincia esse debuit, uti et Protoarchimandrita, ideoque dicendum est, ordinem turni praedicti Sacristae cum ordine turni protoarchimandritali concordasse.

## Art. 7

### De Procuratore generali tribunalitio

Ultimo denique Procurator generalis in Urbe distingui debet ab alio Procuratore generali Ordinis, ita in actis capitularibus primae periodi vocato, cuius tamen erat negotiis tantum et causis Ordinis in tribunalibus civilibus Regni promovendis incumbere.

De hoc paucissima quidem in documentis inveniuntur, e quibus tamen constat imprimis, eum non tantum virum religiosum et de Ordine Basiliano,

<sup>124</sup> Ecce informatio Nuntii Ap.: « Finalmente domanda, che il Sacrista osia il Compagno del Procuratore Gen.le sia della stessa Provincia di cui è il Procuratore Gen.le. Ma sembra all'incontro, che per ovviare alle diffidenze e gare, che sogliono essere fra le due Provincie dell'Ord. sia stato saviamente provveduto nell'art. 60 della citata Sess. IV dell'ultimo Capitolo, che di ogni Provincia risieda continuamente in Roma un soggetto, cioè il Procuratore Gen.le dell'una e il Compagno dell'altra, acciò nulla si machini in pregiudizio di ciascuna delle rispettive Provincie ». Quod votum Nuntii Ap. revera secuta est ipsa SCPF. In Decreto enim capitulum illud adprobante ad quaestionem sibi propositam: « V. An Constitutio 60 edicens ut Sacrista ejusdem Hospitii alternis vicibus ex una et altera Provincia designetur, ita, ut munus Procuratoris generalis Romani gerente monacho Lithuano, Sacrista sit monachus Polonus, et e converso, sit sustinenda? » respondit: « Ad V. Servetur in hac parte dispositum in praesenti Capitolo ». Litterae Nuntii Ap. ad SCPF a. 1774 (4 Maii); ASV, ARCH. N. VARS., v. 75, p. 103 et Decretum SCPF a. 1775 (10 Julii); *Indulg.*, P. I, p. 15 et 18, ad V.

<sup>125</sup> Cfr. supra, p. 280, n. 38.

verum etiam extraneum, immo virum laicum, praesertim iurisperitum esse potuisse, uti in capitulo Vilnensi 1667 expresse statuitur <sup>126</sup>.

Procuratorem hunc tribunalitium designabat Protoarchimandrita, uti in quibusdam capitulis expresse assertur: «*Ut Protoarchimandrita provideat Procuratorem generalem ad attendendum causis in Tribunali*» <sup>127</sup>.

Munus eius, ut patet, principaliter consistebat in causis nomine Ordinis in Tribunalibus Regni promovendis <sup>128</sup>.

Cum enim bona Ordinis temporalia tunc fere exclusive in bonis immobilibus singulorum monasteriorum et abbatiarum cum praediis, silvis totisque ruribus consisterent, magna indigebant providentia et attentione, ut conserventur tum ob dominorum saecularium insidias, tum ob heredum praesertim Abbatum praetensas, tum denique ob legum Regni Poloni in diversis eiusdem fati nequitiam <sup>129</sup>. Inde necessitas causarum in Tribunalibus promotionis procuratorisque deputationis.

Secunda tamen periodo deerat huiusmodi Procurator generalis tribunalitius Ordinis, sed unaquaque provincia proprium sibi sustinebat <sup>130</sup>.

<sup>126</sup> «*Diu agebatur de persona providenda, quae causas totius Ordinis promoveret seu quae Procurator generalis esset. Propterea vero quod inter personas Religiosorum haud huiusmodi persona inveniri potest, decisum est providendi huiusmodi personam saecularem, quae causas Ordinis promoveret*»; S. 8; AS, t. XII, p. 101.

<sup>127</sup> Bilense 1709, s. 7, n. 6°; AS, t. XII, p. 163.

<sup>128</sup> «*Ut Procuratorem habeat Ordo, qui nomine Ordinis et monasterii (puta respectivi) negotiis in Tribunalibus attenderet*»: Novogrodense 1671, s. 3, n. 21; o. c., p. 104.

<sup>129</sup> Cfr. PRASZKO J., *De Ecclesia Ruthena Catholica sede metropolitana va-*

<sup>130</sup> Cfr. supra, p. 241, nota 107, et p. 245, nota 123.



## APPENDIX



## I.

### NOTAE BIOGRAPHICAE PROTOARCHIMANDRITARUM

Elenchum Protoarchimandritarum paraverunt: Ignatius Stebelskyj<sup>1</sup>, Nicolaus Petrov<sup>2</sup>, Dmytro Blazejowskyj<sup>3</sup> et Athanasius Welykyj<sup>4</sup>.

Nunc notas illorum biographicas communiter per diversa documenta et opera dispersas colleximus et in unum ordinavimus, indicando momenta principaliora uniuscuiusque illorum vitae, in quantum fontes id nobis permittebant.

Numeri romani Protoarchimandritas indicant, de quorum existentia nullum est dubium erantque secundum personas 28, secundum vero turnos 37, propterea, quod quidam eorum duplici, immo triplici vice hoc officio fungebantur.

Sine numero ponuntur sive qui Protoarchimandritae non erant, sed ab aliquibus auctoribus uti tales considerantur, sive Vicarii Generales, qui turnos Protoarchimandritarum terminabant, saepe secundum legem alternativae.

Omnes dividuntur imprimis in tres series; prima periodo in duas series, i. e. illi de Congregatione SS. Trinitatis et unus de Congregatione Protectionis B. V. Mariae; tertia series est secundae periodi.

Dein, qui simul Metropolitanæ vel Episcopi erant id eis in titulo signatur; sicut illis secundae periodi signatur provincia, de qua quis proveniebat, propter alternativam electionis.

---

<sup>1</sup> I. STEBELSKI, *Przydatek do Chronologii*, Vilnae 1783, p. 288-289.

<sup>2</sup> N. PETROV, « Očerki istorii Basilianskaho Ordena v byvszej Polše », in TKDA 1870, t. IV, p. 453-454.

<sup>3</sup> D. BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943, p. 184-188.

<sup>4</sup> A. G. WELYKYJ OSBM, *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 110; Notandum, in nostris notis colligendis A. G. Welykyj nobis suas Collectiones nondum editas benigne praestitit, praesertim quod spectat Archiva Collegiorum: Graecorum et Urbani de Urbe, Vilmensis, Viennensis, Olomucensis, Pragensis nec non Brunnsbergensis. Quae proinde ex his Archivis notantur, referenda sunt ad Collectionem manuscriptam eiusdem auctoris, cuius nomen in nostris fontibus saepe saepius venit.



## I. JOSEPHUS VELAMIN RUTSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA-METROPOLITA, INTER ANNOS 1617-1626)

Joannes (in Ordine Basiliano Josephus) Velamin Rutskyj (de Ruta) natus est a. 1574 de parentibus quidem nobilibus, sed calvinistis.

Post studia primaria in Nieswierz (AS. t. IX., p. 159) et Vilnae decimo septimo vitae anno Pragae Bohemorum se contulit, ibique sub ductu Patrum e S.J. (Krislak, Boksa) fidem catholicam professus est Ritu Latino. Inde transiit Herbipolim in Bavaria ad studia philophica peragenda et hinc Romam theologiae studendae in Collegio Graecorum S. Athanasii inter annos 1596-1603 causa.

Studiis absolutis patriam (Vilnam) reversus est, ibique statim Magistrum in Seminario Vilnensi SS. Trinitatis agebat. Dein cum P. Paulo Simone iter fecit Moscoviam (1605-1606) et Romam (1606); Roma reversus monasterium Vilnense SS. Trinitatis, ubi iam erat S. Josaphat Kuncewycz, ingressus est atque die 1 Ianuarii 1608 professionem monasticam emisit; mox sacerdos ordinatus, Archimandrita eiusdem monasterii devenit<sup>5</sup>, brevi autem a Metropolita praedicto in Coadiutorem assumptus est, a. 1611, cum titulo Episcopi Haliensis<sup>6</sup>.

Post mortem Metropolitae Hypatii ipse Metropolita Kioviensis nominatus est a. 1613<sup>7</sup> et iterum Romam profectus est a. 1615, qua occasione de reorganisatione monachatus Ecclesiae Ruthenae pertractabat atque 22 loca pro studentibus clericis in diversis per Europam pontificiis Collegiis a Paulo PP. V procuravit.

Revera, Roma patriam reversus, statim a. 1617 monachos suae dioecesis in Capitulo Novogrodovicensi congregavit, ibique Congregationem eorumdem

<sup>5</sup> *Opisanije dokumentov Archiva zapadnoruskich unijatskich mitropolitov*, t. I, II, 1470-1700, Sanktpeterburg 1897, N. 293, 298, 302; Cfr. A. G. WELYKYJ, *Joannes Velamin Rutskyj in exitu viarum*, in *Analeta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. I, p. 9-38.

<sup>6</sup> Privilegium regis Poloniae in Coadiutoriam J. V. Rutskyi, *IBIDEM*, N. 327; Hramota Metropolitae Hypatii Potij concessa J. V. Rutskyj in « Episcopum Haliensem, Vicarium et Coadiutorem cum monasterio Lavryšivensi in sustentationem », 16.VI.1612; *IBIDEM*, N. 334; iusiurandum Ep. Haliensis in obedientiam Metropolitae, VI, 1612; *IBIDEM*, N. 336.

<sup>7</sup> Privilegium regis Sigismundi III in Metropoliam Kioviensem 8.VIII.1613; *IBIDEM*, N. 352; Introductio Metr. J. V. Rutskyj in administrationem bonorum Metropolitae Kioviensis 8.VIII.1613; *IBIDEM*, N. 353.

« R. 1613, D. 18 Iunia, Hypaciusz Pocięy, gorący zelant unij świętey, ten świat pożegnał. Roku tegoż został metropolitą Jozeph Welamin Rutski, gorliwy unit, potomek onych wojewodów Smolenskich Welaminów, o których w księdze 25, rozdziale 2, Strijkowski; a od maiećności, za przeniesieniem do Litwy, nazwany Rutski »; AS. t. IX, p. 96.

SS. Trinitatis Vilmensem instauravit ipseque, uti eiusdem Instaurator, primus etiam eiusdem Congregationis Protoarchimandrita a dicto Capitulo electus est.

Postea ipse personaliter omnibus primis Congregationis praedictae Capitulis participabat, i. e. annis 1621, 1623, 1626, 1629 et 1636, in quibus reorganisationem monachatus Ecclesiae Ruthenae peregit. Interim a. 1624 approbationem Congregationis SS. Trinitatis, imprimis a SCPF, et dein a. 1631 ad ipso Romano Pontifice procuravit, transferendo insimul ad normam novarum constitutionum officium Protoarchimandritae in simplicem monachum Raphaëlem Korsak, in capitulo Lavryšivensi a. 1626.

Metropolita hic, maxime circa Unionem meritis, res eiusdem Unionis aspectu largissimo et prognostice concipiebat, contendendo tum de patriarchatu Kioviensi<sup>8</sup>, tum de Unione ceterorum fratrum dissidentium, qua de causa Synodum Leopoliensem a. 1629 celebrabat, tum pro educatione totius cleri Ecclesiae Ruthenae unitae, de qua tractabat in Synodo Kobrynensi a. 1626 convocata, proprie ad Seminarium erigendum pro clero seculari, sed maxime curando pro Unionis antesignano seu Ordine Basiliano, cuius reorganisationis ipse tota erat anima, uti eiusdem novae Congregationis Instaurator, Legislator et Propagator<sup>9</sup>.

Mortuus est Metropolita J. V. Rutskyj die 5 Februarii 1637, in monasterio Dermanensi<sup>10</sup>.

<sup>8</sup> Synodus 5 Episcoporum in Novhorodok 20.I.1624 de patriarchatu Kioviensi; *IBIDEM*, N. 494; Cfr. D. TANCZUK, *Quaestio patriarchatus Kioviensis tempore conaminum Unionis Ruthenorum (1582-1632)*, in *Analecta OSBM*, Series II, Sectio II, vol. I, p. 128-144 et bibliographiam ibi citatam.

<sup>9</sup> Haec sunt eius opera pro nova Congregatione:

a) *Regulae communes S. Patris N. Basilii Magni Caesareae Cappadociae Archiepiscopi*, APF, *Scritt. rif. nelle CP.*, vol. 29, ff. 302-306; cfr. vol. I, p. 203; P. H. KYNACH, *OSBM, Vel. Ruscii: Regulae pro Monachis OSBM*, in *Analecta OSBM*, Series I, vol. I, Zovkva 1924, p. 56-72.

b) *Regulae particulares singulorum officiorum*, A. G. WELYKYJ, *Epistolae J. V. Rutskyj*, Romae 1956, p. 334-369.

c) *Regulae Episcoporum*, AS, XII, p. 201-10; A. G. WELYKYJ, o. c., p. 369-80.

d) Ipse etiam praeparabat schemata constitutionum in primis capitulis laterarum.

<sup>10</sup> « R. 1637, Ioseph Welamin Rutski metropolita całej Rusi, zszel z tego swiata... przez cały swoy żywot tak się o jedność świętą starał, iż go Urban VIII papież, pisząc do Zygmunta trzeciego króla polskiego, tak tytułował: Atlas iedności, Kolumna Kościola, Athanazy Ruski. P. Aloyzy Kulesza S. J., ex Misc. P. Koialowicz, fol. 263 »; AS, t. IX, p. 159.

Cfr. Testamentum Metropolitae J. V. Rutskyj 3.IV.1637, in *Opisanije dokumentov Archiva zapadnoruskich unijatskich mitropolitov*, t. I, N. 677; item: JOSEPHUS VELAMIN RUTSKI METROPOLITA KIOVIENSIS, *Testamentum sive Protestatio*, Cracov, ex Off. Fr. Caesarii 1637. (A. JOCHER, *Obraz bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Polsce od wprowadzenia do niej druku po rok 1830 włącznie*, t. III, Wilno 1857, N. 9493).

## LEO KREUSA-RZEWUSKYJ

Ignatius Stebelskyj in suo elencho Protoarchimandritarum<sup>11</sup> statim post Josephum Velamin Rutskyj seu secundum posuit Leonem Kreusa-Rzewuskyj, qui debuisset esse Protoarchimandrita inter annos 1621-1626. Illum secuti sunt alii, uti Petrov, qui quidem correxit in qibusdam elenchum Stebelskyj, at posuit Leonem Protoarchimandritam<sup>12</sup>; eodem modo Pelesz<sup>13</sup>, Sčerbytskij<sup>14</sup> ac novissime A. G. Welykyj<sup>15</sup>. Quod tamen haud admitti potest, nam non solum, uti iam Blazejowskyj notavit<sup>16</sup>, nullam mentionem Leonis uti Protoarchimandritae in fontibus saeculi XVII inveniri, sed immo, uti alibi indicavimus, haberi positivum argumentum seu documentum, e quo manifestum est, supremum regimen in Congregatione SS. Trinitatis Vilmensis usque ad annum 1626 penes Josephum Velamin Rutskyj-Metropolitam fuisse, qui in Capitulo primo Novogrodovicensi a. 1617 in Protoarchimandritam electus est et nonnisi a. 1626, i. e. in Capitulo Lavryšivensi Raphaëli Korsak, novo electo Protoarchimandritae, illud tradidit<sup>17</sup>.

Ratio autem, cur Leo uti Protoarchimandrita ponitur, haec fuisse videtur, quod ipse ab a. 1618 Superior<sup>18</sup> vel Archimandrita<sup>19</sup> Vilmensis erat et uti talis saepe Metropolitam Rutskyj in officio Protoarchimandritae adjuvare et substituere debuit; at etiam hoc nonnisi ad annum 1621, quo peculiaris huiusmodi adiutor in capitulo Lavryšivensi illi datus est in persona Joannis Dubowycz, tamquam Vicarius Generalis<sup>20</sup>.

Postea Leo nominatus est a. 1625 Archiepiscopus Smolenscensis et uti talis etiam mortuus est a. 1639. Famosus autem devenit praecipue ob sua opera polemica<sup>21</sup>.

<sup>11</sup> *Przydatek do Chronologii*, Vilnae 1783, p. 288; et *Dwa wielkie światła*, t. I, sub nomine: Kreusa; t. II, p. 366; t. III, p. 239.

<sup>12</sup> N. PETROV, *Očerki istorii Basilianskaho Ordna...*, TKDA, 1870, t. IV, p. 351.

<sup>13</sup> J. PELESZ, o. c., t. II, p. 323.

<sup>14</sup> O. V. SČERBYTSKIJ, *Vilenskiej Sviato-Troitskij Monastyr*, Vilnae 1885, p. 176.

<sup>15</sup> *Acta SCPF*, vol. I, p. 54, nota 66.

<sup>16</sup> O. c., p. 186, nota 2.

<sup>17</sup> Vol. I, p. 149.

<sup>18</sup> Ita SČERBYTSKIJ, l. c.

<sup>19</sup> Vide infra, nota 11.

<sup>20</sup> AS, t. XII, p. 24.

<sup>21</sup> Haec sunt eius opera:

a) « Obrona Jedności Cerkiewney albo dowody któremi się pokazuje, iż Grecka Cerkiew z łacinską ma być zjednoczona », podane do druku za rozkazaniem Przewielebnego w Bogu Oyca J. M. Oyca Jozefa Jozefa Wielamina Rutskiego Archiepiskopa Metropolity Kiiowskiego, Halickiego y wszystkiej Rusi, w Wilnie przez Oyca Leona Kreusę Archimandrytę Wilenskiego, R. 1617 w Wilnie w Drukarni Leona Mamonicza. 4, 116 str. I karta na przodzie i registr. Tytuł w obwódce

## II. RAPHAEL KORSAK

(PROTOARCHIMANDRITA-METROPOLITA, INTER ANNOS 1626-1640)

Nicolaus (in Ordine Basiliano Raphael) Korsak natus est e parentibus Simone et Catherina Kisilowa, nobilibus genere quidem, sed haereticis, in Palatinatu Polocensi circa annum 1598-1601.

Studia primaria peregit in Collegio Patrum S. J. in Nieswierz<sup>22</sup>, ulteriora vero Pragae Bohemorum ac denique philosophica, suadente Josepho Velamin Rutskyj, Brunsbergae<sup>23</sup> inter annos 1618-1620.

Hoc ultimo anno Ordinem Basilianum Bythenii ingressus est et post annum novitiatus ac professionem monasticam Romam missus est ad studia theologica peragenda in Collegio Graecorum S. Athanasii, ubi anno 1621 mense decembri admissus et a. 1624 Sacerdos ordinatus est<sup>24</sup>. Romae iam tunc Procuratoris occasionalis Hierarchiae Ruthenae munere saepeungebatur.

A. 1625 patriam (Vilnam) reversus est, ubi in monasterio SS. Trinitatis varia munera obibat ac denique a. 1626 Superior eiusdem designatus est<sup>25</sup>. Immo eodem anno, mense Augusto, in Capitulo Basilianorum Lavryšivensi in primum Protoarchimandritam advitalem, uti simplex monachus, electus est. Eodem etiam anno, mense Septembri, Synodo provinciali Kobrynensi adfuit et eodem mense in Episcopum consecratus est<sup>26</sup> manendo simul Ordinis Protoarchimandrita.

A. 1632 nominatus est Episcopus Pinscensis<sup>27</sup> et anno sequenti ab Hierarchia Ruthena missus est Romam ad statum Unionis Sedi Apostolicae referendum. Hic etiam causam beatificationis Servi Dei Josaphat promovebat.

(Kraszewski Wilno), — secundum ADAM JOCHER, *Obraz bibliograficzno-historyczny literatury i nauk w Posce...*, t. III, Vilnae 1857, p. 555, n. 9466.

b) Plures lucubratiunculae de B. V. Maria, cui erat devotus.

c) Catechismus fidei catholicae.

<sup>22</sup> AS, t. IX, p. 159.

<sup>23</sup> « Nicolaus Korsak. Lithuanus annorum 19; venit anno 1618, in augusto; studet philosophiae. Audita philosophia factus est Ordinis S. Basilii, tandem Metropolita. Mortuus Romae anno 1641 »; LÜHR G., *Matrikel des päpstlichen Seminars zu Brunsberg*, S. 74, Nr. 494, in *Analecta OSBM*, Series I, vol. III, fasc. 1-2, p. 247.

<sup>24</sup> « Raphael Korsak, Basilianus, Diaconus. Filius Simonis et Catherinae Kisilowa, Ruthenus. Admissus an. 1621, december. Aetas an. 20; studet in Collegio theologiae an. III; Diaconus. Discessit 28 decembris 1624. Postea: Metropolita totius Russiae; ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica di tutti i scolari*, v. I, f. 3v-4.

<sup>25</sup> *Opisanije dokumentov...* N. 533 (18.VII.1626).

<sup>26</sup> IBIDEM, N. 532: Privilegium Sigismundi III (8.VII.1626) in eius coadiutoriam Metropoliae cum iure successionis; etsi ob processum Ap. de eius persona in Coadiutorem metropoliae assumptus est nonnisi a. 1632 (cfr. supra, p. 81).

<sup>27</sup> IBIDEM, N. 606, 608, 629.

Patriam reversus a. 1636 Capitulo Basilianorum Vilnensi participabat in eoque officio Protoarchimandritae, tamquam cum dignitate episcopali incompatibili, abdicare voluit, sed a Capitulo rogatus in eoque confirmatus est.

A. 1637, Metropolita Rutskyj vita functo, Raphaël iure Coadiutoriae in Metropolia successit, retinendo etiam officium Protoarchimandritae usque ad mortem. Superatis quibusdam difficultatibus in sua successione coram rege Poloniae Vladislao IX, mox a S. Sede ad limina Apostolorum visitanda vocatus, tertia iam vice Romam se contulit a. 1639 ibique tamen anno sequenti mortuus est et in ecclesia Basilianorum SS. Sergii et Bacchi sepultus est<sup>28</sup>.

Quem Metropolita J. V. Rutskyj idearum suarum susceptorem et executorem praeparabat, mors praematura eripuit. Ordini Basiliano ipse exemplum vitae virtutum plenae reliquit<sup>29</sup>.

### PACHOMIUS WOJNA-ORANSKYJ

Idem Stebelskyj, qui supra de Leone Kreusa-Rzewuskyj, in eodem elencho post Raphaëlem Korsak posuit inter annos 1636-1652 uti Protoarchimandritam Pachomium Wojna-Oranskyj, etiamsi hic simul erat Episcopus Pinscensis inter annos 1637-1653. Sed etiam hoc tamquam haud verisimile admitti potest. Obstant enim huic asserto imprimis duo clara facta:

1. Acta Capituli Vilnensis a. 1636 loquuntur quidem de voluntate Raphaëlis renuntiandi officio Protoarchimandritae tamquam cum eius nova dignitate episcopali incompatibili, sed simul in iisdem actis refertur, Capitulum hoc Raphaëlem rogasse retinendi illud officium, non obstante hac dignitate, et revera Raphaëlem consentisse et in officio Protoarchimandritae confirmatum fuisse<sup>30</sup>. Ideoque usque ad eius mortem a. 1640 opus non erat alterius Protoarchimandritae.

2. Inter documenta archivalia invenitur s. d. cautio scripta Metropolitae Antonii Sielawa, de qua infra, e qua patet hunc Metropolitam electum

<sup>28</sup> 10.VII.1637; Testamentum Metropolitae R. Korsak, *IBIDEM*, N. 680; item 18.VIII.1640: Copia eiusdem testamenti; *IBIDEM*, N. 707; Cfr. A. G. WELYKYJ, *OSBM, Annus et dies mortis R. Korsak, Metropolitae Kioviensis, in Analecta OSBM, Ser. II, Sec. II, vol. I, p. 145-160.*

<sup>29</sup> « Singularis certas inter virtutes fuit abstinentiae ne an austeritatis. Sibi enim tam rigide semper carnibus interdixit, ut neque iis in regionibus, in quibus communis usus ea illum lege solvebat, neque in ipso Graecorum Collegio, ubi, Romanorum Pontificum indulgentia, esus carniū vel ipsis Magni Basili assaelis promiscue cum aliis alumnis permittitur, propositum vel semel violaverit »; *TABULARIUM COLLEGII GRAECORUM DE URBE*, vol. 10: *Historia Collegii Graecorum de Urbe*, P. I, fol. 143v; Cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae Metropolitanarum Kioviensium catholicorum: R. Korsak, A. Sielawa, G. Kolenda, Romae 1956*, ubi tum eius scripta, tum testamentum prima vice publici facta sunt iuris.

<sup>30</sup> *AS*, t. XII, p. 39.

fuisse in Protoarchimandritam a. 1642 (et non 1652). Hinc quaestio tantum remaneret, quisnam Ordinem rexit solum spatio duorum annorum, i. e. inter annos 1640-1642. Secundum constitutiones primi capituli hoc in casu regimen Ordinis assumere debuit Confessarius Protoarchimandritae demortui, qui, uti alibi supposuimus<sup>31</sup>, erat unus e Consultoribus Ordinis. Revera in cautione praedicta primus, qui eam statim post Episcopos et ante Archimandritas subscripsit, erat Consultor Ordinis, vel fortasse Vicarius Gen., Simeon Jackiewicz, qui tamquam Vicarius Generalis pro illis duobus annis considerari potest.

Pachomius vero erat saltem ab a. 1625, seu post Leonem Kreusa-Rzewuskyj, Archimandrita Vilmensis et postea, uti supra, Episcopus Pinscensis scripsitque opus polemicum contra Cassianum Callixtum Sakowycz: PACHOMIUSZ ORANSKI WOJNA, *Zwierciadło albo Zastona naprzeciw Perspektywie X. Kassjana Sałowicza*, w Wilnie w Druk. Bazylianów, 1643<sup>32</sup>.

### III. ANTONIUS SIELAWA

(PROTOARCHIMANDRITA-METROPOLITA, INTER ANNOS 1642-1655)

Antonius Sielawa notus est potius sub hoc nomine proprio (baptismali), quam monastico (Anastasius). Locum et tempus eius nativitatis nescimus (circa a. 1583).

Anno 1612 monasterium SS. Trinitatis Vilmense ingressus et a. 1615 Romam missus est ad studia theologica in Collegio Graecorum S. Athanasii peragenda<sup>33</sup>.

Patriam reversus Superioris munere (Vilmensis monasterii certe, Novogrodensis etiam, probabiliter) functus est<sup>34</sup> et mox, post martyrium S. Josaphat, a. 1623, — in Archiepiscopum Polocensem nominatus ordinatusque est a Metropolita J. Velamin Rutskyj<sup>35</sup>. Durante hoc officio duplicem processum

<sup>31</sup> Supra p. 25.

<sup>32</sup> Secundum ADAM JOCHER, o. c., t. II, p. 226. n. 3055, opus Cassiani Sakowycz: Ἐπιγράφωσις *abo Perspectiwa...* Zebrana i napisana przez Wiel. X. Kassiana Sałowicza przedtym Archimandrytę Dubińskiego... w Krakowie, w Drukarni Waleryana Piątkowskiego, Roku 1642»; IBIDEM, n. 3054.

<sup>33</sup> « P. Anastasio Sielawa. Ruteno, monaco di S. Basilio; vi parti Teologo Ha russia, (additum) di Polonia, e poi Metropolita di Russia»; ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica di tutti i scolari*, v. I. f. 48. (Cfr. WELYKYJ A. G., *Epistolae Metropolitarum Kiowensium catholicorum Raphaelis Korsak, Antonii Sielawa, Gabrielis Kolenda*, vol. II, Romae 1956, p. 175).

<sup>34</sup> 9.XII.1623 ex Superiore Vilmensi fit Archiepiscopus Polocensis; A. SAPUNOV, *Istoriteskija sudjby Polotskoj Ieparchii s drevniejsich vremen do poloviny XIX veka*, Vitebsk 1889, p. 168; De Superiore Novogrodensi cfr. A. G. WELYKYJ, o. c., p. 178.

<sup>35</sup> Cfr. notam praecedentem et factum, quod A. Sielawa, uti Archiepiscopus Polocen., participabat iam 20.I.1624 in synodo Hierarchiae Ruthenae in Novhorodok, in causa patriarchatus Kioviensis; *Opisanije dokumentov...*, N. 494.

remissorialem de beatificatione Servi Dei Josaphat, anno scil. 1628 et 1637, instituit<sup>36</sup>. Dein a. 1639 nominatus est Vicarius metropoliae Kioviensis et a. 1640 eiusdem Administrator<sup>37</sup>.

Post mortem autem Metropolitae R. Korsak ipse Metropolita nominatus est a. 1641<sup>38</sup>, retinendo simul Archiepiscopatum Polocensem. In Coadiutorem in hoc Archiepiscopatu assumpsit sibi initio Archimandritam Zydyčynensem Nicephorum Nicolaum Lozowskyj et post huius mortem Gabrielem Kolenda<sup>39</sup>. In proximo vero Capitulo Basilianorum, die 5 Julii 1642 Vilnae, monachis invitatis et praestita cautione de libera futura electione, in Protoarchimandritam advitalem electus est<sup>40</sup>. Eius tempore quatuor Capitula Basilia-

<sup>36</sup> A. G. WELYKYJ, o. c., p. 173.

<sup>37</sup> IBIDEM et A. SAPUNOV, o. c., p. 168.

<sup>38</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, o. c., p. 173 et iuramentum Antonii Sielawa in metropoliam Varsaviae 14.III.1642; *Opisanije dokumentov...*, N. 719.

<sup>39</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae Metropolitanarum*, vol. II, p. 309; A. SAPUNOV, o. c., p. 168 et Litteras circulares Antonii Sielawa 5.III.1654 de electo Coadiutore archiepiscopatus Polocensis Gabriele Kolenda; *Opisanije...* N. 812. qui nominatus est Administrator archiep. Poloc. iam a. 1653; *AS*, t. IX, p. 215.

<sup>40</sup> In textu CP, SCPF, 11 Sept. 1685 fit quidem mentio huius cautionis: «prima pero' d'elegerlo volsero la cauzione, che sta registrata alii fogli n. 1» (A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, vol. I, Romae 1956, p. 93, textus tamen eius non est publicatus, ideoque hic eum adducimus:

«Nos infrascripti pro electione Protoarchimandritae Vilnae anno praesenti 1642 mense Julii per Ill-um et R-um D. Metropolitanam evocati cavemus hoc scripto nostro, quod electio praesens R-mi Patris Metropolitae, uti de Religione meritissimi et ob alias graves causas, non debeat liberae electioni pro futuro Religiosis regulae S. Basilii in ullo praeiudicare et ad similes Personas non debeat attrahi, sed expressa constitutionis Novogrodecensis sub annum 1617 debeat pro futuro executioni mandari. Ad haec post sera fata moderni Protoarchimandritae Ill-mi D-mi Metropolitae sede vacante regimen Religionis debet pertinere ad Consultorem primum Religionis nostrae ad futuram electionem novi Protoarchimandritae vel si vivente Protoarchimandrita Vicarius Generalis electus esset, secundum eandem Congregationem Novogrodecensem, quae cautio nostra, ut in memoria habeatur et semper valida sit subscripsimus manu nostra et, ut ad acta Ill-mi Metropolitae inseretur impetravimus. Scriptum die 5 Julii secundum vetus anno 1642.

Antonius Sielawa, Metropolita-Protoarchimandrita OSBM.

Andreas Kwasninski-Zloty, Archiepiscopus Smolescensis et Czernihowiensis, Archimandrita Czereiensis.

Paulus Owluczynski D. G. Episcopus Samboriensis, Coadiutor Praemisliensis, Kobrynensis Archimandrita.

Simeon Jackiewicz Hegumenus Monasterii Bytheniensis, Consultor OSBM.

Alexius Dubowicz, Archimandrita Vilmensis, Monasterii SS. Trinitatis.

Theophilus Olszanica, Archimandrita Polocensis.

Eustachius Pieszkowski, Archimandrita Grodnensis.

Laurentius Wolkowicz, Superior Zyrowicensis.

Ignatius Szopowicz, Consultor OSBM.

Sylwester Kotlubay m. p.

Constantinus Witopolski, Hegumenus Monasterii Minscensis OSBM.

Theodorus Borowik, Superior Monasterii Novogrod. OSBM.

Joachimus Hostilowski, Superior Monasterii Czerlonensis OSBM. ».

APF, CP. 1680/97, vol. 29, f. 248.

Ne tamen aliqua difficultas manet, quia agitur de authographo polonice

norum celebrata sunt: dictum Vilmense 1642; item Vilmense 1646, et Vilmense 1650, atque Minscense 1652.

Anno 1655 Gabrielem Kolenda Administratorem Metropoliac nominavit, ipse autem in conspectu Moscovitarum e Bielorusia fugam petiit et in castellum Tykocimskiense ad Suprasl in Podlachia se contulit ibique remansit usque ad mortem a. 1655<sup>41</sup>.

Iam uti monachus scriptis Unionem defendebat, ideoque inter auctores polemistas ponitur<sup>42</sup>.

Vixit tempore pro Unione difficillimo luctaminum et pugnarum populi ucrainici pro libertate tum sociali tum politica recuperanda<sup>43</sup>.

#### IV. BENEDICTUS TERLECKYJ

(S. D. PROVINCIALIS, INTER ANNOS 1656-1658 ET 1658-1661 ET 1661. 9.II-?)

Natus est in Castello Ostrovicensi (dioec. Luceoriensis) a. 1623, de familia Ritus Latini, ideoque initio ingressus est Societatem Jesu, sed propter debilitatem salutis Societatem relinquere debuit. Tunc ingressus est Religionem Basilianam in monasterio Cholmensi<sup>44</sup>.

Studia rhetoricas et logicae in Collegiis Basilianorum peregit; philosophiam vero et theologiam Romae, in Collegio de Propaganda Fide, ubi ingressus est die 13.XII.1645 (i. e. in aetate 22 annorum) studuitque septem

scripto, aliam etiam traductionem latinam in ultima parte cautionis hic adiungimus:

«Ad haec post sera fata moderni Protoarchimandritae, Ill.mi Patris Metropolitae, Sede vacante Regimen Religionis spectare debere ad primum Consultorem Ordinis ad futuram electionem novi Protoarchimandritae, aut ad Vicarium Generalem, si vivente Protoarchimandrita is electus fuerit, conformiter ad eandem Congregationem Novogrodovicensem. Quam cautionem nostram ut memoriae retineatur valorque praestet, manus nostras eidem subscripsimus atque ut ad Acta Ill.mi Metropolitae inseretur, impetravimus. Scriptum die 5 Julii iuxta vetus Calendarium, Anno 1642». Sequuntur subscriptiones, ut supra, hoc ordine: Sielawa, Kwasnicki, Owluczynski; Alexius Dubowicz, Pieszkowski, Olszanica, Szupowicz, Kotlubay, Wolkowicz, Symeon Jackiewicz, Witopolski, Borowik, Hostylowski. Dubium proinde solvere posset solummodo exemplar polonicum, quod nobis deest.

(Cfr. BIBL. AP. VAT., *Vat. lat.*, vol. 8684, fol. 59rv; similis textus in APF, *Scrutt. rif. n. Congressi: Mosc., Pol., Ruteni*, vol. 6, fol. 297v-298).

<sup>41</sup> AS, t. IX, p. 223-226.

<sup>42</sup> «*Antelenchus to iest Odpis na skrypt uszczypliwy Zakonników Cerkwie S. Ducha Elenchus nazwany*. Napisany przez Oyca Anastazego Sielawę Przelozonego Monasterya Wilenskigo S. Troyce Zakonu S. Bazylego, w Wilnie R. P. 1622. 4. 162 str. (L. S.)», secundum A. JOCHER, *Obraz bibliograficzno-historyczny...*, t. III, Wilno 1857, N. 9476, p. 556.

<sup>43</sup> Cfr. vol. II, p. 11; A. G. WELYKYJ, o. c., p. 174; A. M. AMMANN S.J., *Storia della Chiesa Russa*, Torino 1948, p. 271-278.

<sup>44</sup> Cfr. J. SKRUTEN OSBM, *Vitae Basilianorum*, in *Analecta OSBM*, Ser. I, vol. II, p. 390; J. PRASZKO, *De Ecclesia Ruthena catholica sede metropolitana vacante 1655-1665*, Romae 1944, p. 160, nota 22.



per annos atque in philosophia et theologia laureatus est<sup>45</sup>. Tunc SCPF, in CG. die 28.III.1651 tamquam missionarium in Bielorussiam et Ucrainam eum destinavit<sup>46</sup>.

Revera ad finem a. 1651 ipse in Cholm reversus est et cum Ep. Jac. Susza negotia eiusdem dioeceseos coram rege promovebat. In Capitulo Minscensi a. 1652, sub Protoarchimandrita-Metropolita A. Sielawa celebrato, quartum votum, i. e. « non ambiendi dignitates » publice emisit. Cum autem eodem Capitulo scholae Minscenses cum Seminario pro clericis saecularibus aperiri praecipiebantur, B. Terleckyj eorundem Praefectus designatus est ipseque postea ibidem philosophiam legebat ac in genere huiusmodi scholae maximum ipsius meritum constituebant<sup>47</sup>.

« Post sera fata » Protoarchimandritae-Metropolitae A. Sielawa (a. 1655), in Capitulo Torokanensi anno sequenti celebrato B. Terleckyj electus est « Provincialis » Ordinis, i. e. qui munus obiret Protoarchimandritae per 2 annos. Post diuturnam enim unionem officii Protoarchimandritae cum dignitate metropolitana, nunc vacante Metropolia (inter a. 1655-1665), electores capitulares noluerunt sine Metropolita decidere quaestionem officii protoarchimandritalis, ideoque elegerunt mediam viam, i. e. retinendo quidem supremum regimen Ordinis penes sodales Ordinis, sed, considerando hoc munus uti substitutivum tantum officii protoarchimandritalis, vocarunt illud officium « Provincialis » et determinarunt eius durationem ad 2 annos tantum.

Sed et postea, secunda vice, ad idem officium electus est B. Terleckyj in Capitulo Zyrovicensi 1658 ad 3 annos ac denique in Capitulo Torokanensi 1661 tertia vice iterum ad 2 annos, quos tamen non explevit, nam eodem adhuc anno mortuus est<sup>48</sup>.

Auctoritatem, quam sibi tum studiis, tum praesertim cura de scholis in

<sup>45</sup> « P. D. Bened. Terleschi, Chierico Greco Ruteno unito ordinato ai Minori e Monaco professore dell'Ordine di S. Basilio; nato nel Castello Ostrovicense; in età di anni 22; entrò in Collegio il dì 13 Dicembre 1645. Ha studiato Rettorica e Logica nella sua Religione et alli 17 di febraro 164... ricevette laurea del Dottorato in Filosofia e Theologia »; *Registro dei nomi, cognomi, ecc. ecc. degli Alunni di Propaganda fide*, raccolti dal Rettore Bonvicini, ordinato poi il tutto da L. X. Figari S. J., vol. I, p. 43; Cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. I, Romae 1953, p. 220, nota 248.

<sup>46</sup> *IBIDEM*, p. 245, N. 435.

<sup>47</sup> « Cum plausu circa Seminarium Minscense laborabat ibique disciplinas a rudimentis literarum ipsis usque ad philosophiam inclusive instauravit »; *Acta capituli Torokanensis* 1661; videsis *vol. II*, p. 13.

Cfr. etiam Diploma (hramota) Metropolitae A. Sielawa de transferendis bonis Usiaż et area Seminarii Minscensis ab Archimandrita Barlaamo Kozynskyj ad Benedictum Terleckyj; in *Opisanije dokumentov...*, N. 813 (9.VIII.1654).

<sup>48</sup> Ante mortem etiam Archimandria Vilmensis ipsi concessa est; Cfr. J. SKRUTEN, *l. c.*, p. 391; item D. BLAZEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in clerum regularem*, Romae 1943, p. 115, nota 2; AS, t. X, p. 149: « Naostatek w. o. Benedikta Terleckiego, zesżlego prowincjała, obrano za archimandrytę wilenskiego ».

Ordine et Ecclesia Ruthena merito conciliavit, totam imposuit ad iura Ordinis defendenda, praesertim ut conamina Administratoris Metropoliae, Gabrielis Kolenda, officium Protoarchimandritae ad vitam obtinendi impediret<sup>49</sup>. Tunc tempore Ordo Basilianorum maturus iam devenit, ut suam independentiam defenderet et ad actum deduceret.

## V. JACOBUS SUSZA

(EPISCOPUS-PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1661-1666)

Natus est a. 1610 Minsci (Bialorussia), e parentibus disunitis, plebeae conditionis. Studia primaria peregit apud Basilianos Minsci, post quae Ordinem Basilianum in monasterio Bytheniensi ingressus est ibique die I Novembris 1626 vestem religiosam induit<sup>50</sup>.

Studia superiora, i. e. syntaxim, rhetoricam et philosophiam peregit Brunsbergae, inter annos 1627-1633<sup>51</sup>; theologiam vero Olomucii ab a. 1633<sup>52</sup>, in qua etiam laureatus est.

Patriam reversus, a. 1636 sacerdos ordinatus est Cholmae ab Episcopo Methodio Terleckyj ibique remansit fere per medium saeculum, sive uti Superior monasterii Cholmensis et Rector gymnasii (fundati a dicto Episcopo)<sup>53</sup>, sive postea, post obitum nempe dicti Episcopi, Administrator eiusdem eparchiae ab a. 1649<sup>54</sup>, sive denique uti eiusdem Episcopus, nominatus 22.II.1652 et consecratus Minsci sub tempus Capituli Basilianorum (1-5.X)<sup>55</sup>.

Post mortem Benedicti Terleckyj, s. d. « Provincialis », a. 1661 in Capitulo Basilianorum Zyrovicensi in Protoarchimandritam electus est; quod tamen officium invitatus acceptavit et quidem ad quatuor annos tantum, ut iura

<sup>49</sup> Videsis vol. II, p. 13.

<sup>50</sup> Ita FMS in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 24, Varsaviae 1867, p. 342; PRASZKO vero o. c. ponit annum 1625, p. 21.

<sup>51</sup> « Basilianus, Ruthenus, Syntacticus, venit in sept. 1627. Absoluto cursu philosophiae ad monasterium a. 1633 in iunio rediit, a suo Superiore revocatus »; G. LÜHR, *Die Matrikel des päpstlichen Seminars zu Braunsberg 1578-1798*, Braunsberg 1925, et transl. in *Analecta OSBM*, Series I, vol. III, fasc. 1-2, p. 247-8 - Matr. S. 82, n. 602.

<sup>52</sup> « Septembri evocati sunt iussu SCPF a Metropolita Russorum: F. Jacobus Susza - Theologus et F. Polycarpus Grekowicz OSBM », i. e. anno 1633; TABULARIUM SEMINARII OLOMUCENSIS, vol. 12, fol. 160.

<sup>53</sup> De eo, uti Rectore gymnasii Cholmensis, cfr. *Akty izdavajuemyje Vilenskoju Kommissijeju dla razbora drevnich aktov*, t. 23: *Akty Cholmskaho hradskaho suda*, Vilnae 1896, p. 180, 187, 222, 234, 238, 242, 244, 260.

<sup>54</sup> De eo, uti Administratore eparchiae Cholmen., ib. p. 262, 263.

<sup>55</sup> Iam Episcopus Cholmensis, factus est Administrator eparchiae Berestensis, 14.V.1655; *IBIDEM*, p. 268-270;

Eidem, uti Episcopo Cholmensi et Belzensi, datum est privilegium (hramota seu diploma) Regis Joannis Casimiri in Archimandriam Zydyčynensem, 12.VI.1658; *Opisanije Dokumentov...*, N. 820.

Ordinis defenderet contra Administratorem Metropoliac, Gabrielem Kolenda, qui ultimus iam antea ab alia fractione monachorum in Protoarchimandritam etiam electus est, in Capitulo Suprasliensi eodem anno celebrato.

Anno 1664 Romam se contulit, ubi imprimis nominationem novi Metropolitae in persona dicti Gabrielis Kolenda curavit, dein vero de canonisatione Beati Josaphat instabat, Ritus Ruthenum defendebat ac de statu Ordinis Basiliani referebat.

Roma reversus pro electione eiusdem Metropolitae etiam in Protoarchimandritam Ordinis stetit in Capitulo Basilianorum Berestensi, coram Nuntio Apostolico Antonio Pignatelli celebrato, a. 1667.

Magna gaudebat auctoritate tam in Ordine Basiliano, quam in tota Ecclesia Ruthena, sed praesertim apud S. Sedem<sup>56</sup>, propter suas virtutes, doctrinam et scripta<sup>57</sup>.

Mortuus est circa a. 1685<sup>58</sup>.

<sup>56</sup> Videsis vol. I, p. 70.

<sup>57</sup> Praecipua eius opera:

a) « *Cursus vitae et certamen martyrii B. Iosaphat Kuncevicii...*, Romae 1665.

b) « *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis sanguine Beati Josaphat transformatus sive Meletius Smotriscius Archiepiscopus Hieropolitanus, Archimandrita Dermanensis Ord. S. Basilii M.*, per Jacobum Susza Episcopum Chelmemsem et Belzensem cum S.R.E. Unitum eiusdem Ord., ex tenebris in lucem prolatus, Romae ex typogr. Paresii MDCLXVI »; ita secundum A. JOCHER, *Obraz bibliograficzno-historyczny...*, t. III, Wilno 1857, N. 9495; alia ed. cura J. Martynov, Bruxellis 1884.

c) « *Phoenix redivivus sive imago longe vetustissima Virginis Matris Chelmenensis* », Zamostiae 1646, Leopoli 1653, Zamostiae 1684, 1689 et polonice Zamostiae 1684.

d) « *De laboribus Unitorum, promotione, propagatione et protectione Divina Unionis ab initio eius usque ad haec tempora* », APF, *Scritt. rif.*, vol. I, f. 86-111; ASV, *Fondo Garampi*, n. 22, A; HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 298-349.

<sup>58</sup> De anno et die eius obitus diversae sunt opiniones:

a) circa a. 1685; ita I. STEBELSKI, « *Dwa wielkie światła* », t. III, p. 251;

b) 4.III.1687; ita FMS, in *Encyklopedya Powszechna*, t. 24, p. 342.

c) 2.III.1687; ita Metr. Leo Kiszka in manuscripto; SKRUTEN, *Analecta OSBM*, Series I, t. IV, p. 232.

d) 2.VIII.1687; ita A. PETRUŠEVYČ, *Kratkoje izvestie o Cholmskoj eparchii i sviatytelach jeja so vremen vvedenija christijanstva do 1866 hoda*, in *Naukovyj Sbornyk izdavajemyj literaturnym Obsčestvom Halycko-Russkoj Matycy*, Leopoli 1866, p. 224.

## VI. GABRIEL KOLENDA

(PROTOARCHIMANDRITA-METROPOLITA, INTER ANNOS 1667-1674)

Natus est circa a. 1606 in Lithuaniae districtu Vilmensi, e parentibus: Joanne, secretario Vilmensi, et Marina nobilibus bielorruthenis, catholicis.

Anno 1625 vel 1626 Ordinem Basilianum ingressus est et, novitiatu in monasterio Bytheniensi peracto, Brunsbergam ad studia syntacticae et rhetorices missus est a. 1627, quibus absolutis ad monasterium revocatus est a. 1630.

Postea, a. 1633, iam sacerdos, ad studia philosophica Vindobonam missus<sup>60</sup>, ibidem studium impendit logicae et physicae. Exinde profectus est Romam ad studia theologica in Collegio Graecorum S. Athanasii (a. 1636), quibus, per triennium, absolutis in patriam rediit<sup>61</sup>.

Hic ad latus Metropolitae Antonii Sielawa «industriae constantiaequae specimen non exiguum dedit»<sup>62</sup> et tandem a dicto Metropolita Coadiutor in Archiepiscopatu Polocensi nominatus est<sup>63</sup>. Metropolita Antonio in partes occidentales Metropoliae profecto, Gabriel Kolenda administrator Metropoliae nominatur (a. 1655)<sup>64</sup>, quam post obitum Antonii per decem annos, vacante Metropolia, in temporalibus tantum administrabat<sup>65</sup>. Anno sequenti 1656 Archiepiscopus Polocensis nominatus est<sup>66</sup>.

Causa retardatae tamen eius nominationis in Metropolitam inter alias erat, sine dubio, eius discordia cum Ordine Basiliano<sup>67</sup>, in quo ipse devenire

<sup>59</sup> «Basilianus, Lithuanus, syntacticus, venit in sept. 1627, rediit ad monasterium anno 1630, aet. 30, cum rhetoricam audisset, revocatus a suo Superiore»; G. LÜHR, o. c., Matr. S. 82, n. 604.

<sup>60</sup> «P. Gabriel Kolenda, OSBM, Ritus Graeci unitus, sacerdos, venit ad Alumnum 28 Martii 1633, auspiciatus est institutiones Logicae»; APF, *Visite dei Collegii*, vol. 12, Coll. Viennense, fol. 20 R.

«1634... Phisicam auspiciatus est»; *ib.*, f. 62; «1635... Phisicam auspiciatus est»; *ib.*, f. 62 r.

<sup>61</sup> «Kolenda Gabriel, OSBM, sacerdos, filius Joannis et Marinae, Lithuaniae Provinciae Vilmensis districtus; admissus 1636, 1. decembr. - aetas 30; stud. Theol. 3, sacerdos; discessit 1639, 24 novembr.; postea Archiepiscopus totius Russiae»; ARCH. COLL. GRAECORUM, *Cronica...*, Vol. I, fol. 14v-15.

<sup>62</sup> TABULARIUM COLLEGII GRAECORUM, Romae, vol. 10: *Historia Collegii Graec. de Urbe*, P. I, fol. 151r.

In testamento Metrop. A. Sielawa, 4. V. 1651, ipse nominatur uti Archimandrita Berezwezcensis; *Opisanije dokumentov...*, N. 795.

<sup>63</sup> Annus nominationis in Coadiutorem Polocensem: 1652 - A. G. WELYKYJ, *Epistolae Metropolitarum*, vol. II, p. 311; 1653 - A. SAPUNOV, o. c., p. 168; *idem* - AS, t. IX, p. 215 et cfr. Litteras circulares Metr. a. Sielawa de electione Gab. Kolenda in Coadiutorem Polocen. 5.III.1654; *Opisanije dokumentov...*, N. 812; PRASZKO, o. c., p. 14, ponit a. 1650.

<sup>64</sup> I. e. 18. I; A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae*, t. III, p. 489, n. 485.

<sup>65</sup> De Conditionibus Ecclesiae Ruthenae unitae tempore illo; videsis PRASZKO, o. c., et A. M. AMMAN, S. J., o. c., p. 271 ss.

<sup>66</sup> AS, t. IX, p. 224; A. SAPUNOV, o. c., p. 168.

<sup>67</sup> Cfr. PRASZKO, o. c., p. 159: «De difficultatibus Gabrielis Kolenda cum Religione Basiliana».

conabatur Protoarchimandrita advitalis. Revera in s. d. anti-Capitulo Suprasliensi a. 1661 ab una tantum fractione monachorum fuit electus Protoarch., ceteris monachis, inter quos erat legitimum hucusque Officium generale cum s. d. Provinciali seu Vicario Generali, eum agnoscere renuentibus, qui ex adverso elegerunt in Protoarchimandritam Episcopum Cholmensem, Jacobum Susza: qui Romam profectus nominationem dicti Gabrielis in Metropolitam efflagitavit a. 1665<sup>68</sup>, nec non novum Capitulum, nullis declaratis praecedentibus<sup>69</sup>, sub praesidentia Nuntii Ap. Varsaviensis, celebrandum impetravit, ad novum Protoarchimandritam eligendum. Contra sententiam Nuntii Ap. novum Capitulum an. 1665 Supraslii celebratum Metropolitam in Protoarchimandritam advitalem unanimiter elegit. Ideo ex decreto eiusdem Romani Pontificis aliud Capitulum, scil. Berestense a. 1667, cui praesidebat dictus Nuntius Ap., celebratum est et dictus Metropolita iterum in Protoarchimandritam advitalem electus. Duobus aliis Capitulis, i. e. Vilnensi eiusdem anni (1667) et Novogrodensi 1671, habitis obiit a. 1674 (18.II) in Archimandria Suprasliensi.

Merita huius Metropolitae, characteris ignei, praesertim in Unione defendenda difficillimis illis temporibus ponenda sunt<sup>70</sup>. Religio tamen Basiliiana sese defendere debuit, ab eius nimia in res monasticas ingerentia, Metropolia praesertim vacante. Uti Metropolita et Protoarchimandrita Archimandriarum detentione<sup>71</sup> novarumque erectione excedebat, regimenque nimis absolutum exercere contendebat.

## VII. PACHOMIUS OHILEWYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1675-1679)

Primus hic futurus Protoarchimandrita, simplex monachus, natus est Minsci (Bielorussia) die 12.VI.1624, uti filius Gregorii, Consulis Minscensis, et Reginae Maslanczanka; puer adhuc Ordinem Basilianum ingressus est in monasterio Bytheniensi, ita ut novitatum per 2 annos ob defectum aetatis peragere debuisset.

<sup>68</sup> Cfr. iuramenta eiusdem in metropoliam et oboedientiam Rom. Pontifici 13.IX.1664; *Opisanije dokumentov...* N. 835.

<sup>69</sup> Fuse de hoc vol. I, p. 150.

<sup>70</sup> Cfr. eius relationem ad SCPP, missam e Suprasl 8.XII.1671; A. G. WELYKYJ, OSBM, *Epistolae Metropolitanarum*, vol. II, p. 302-329.

<sup>71</sup> Uti Metropolita tenebat eodem tempore 4 archimandrias: Suprasliensem, Berezwencensem, (quam obtinuit iam a. 1648, cfr. PRASZKO, o. c., p. 14), Leščynensem (quam obtinuit a. 1652; IBIDEM), et Torokanensem; cfr. ARCHIMANDRIT NIKOLAJ (DALMATOV), *Supraslskij Blagoviščenskij Monastyr*, St. Peterburg 1892, p. 174.

Novogrodeci scholas minores frequentabat, dein vero rhetorices operam navavit, magistro Jacobo Susza, « ubi acumine ingenii, capacitate studiorum, sed, quod longe antistat, sanctitatis ac pietatis specimine multos antecelluit »<sup>72</sup>.

Denique, Romam missus, in Collegio Graecorum S. Athanasii receptus est die 18.XII.1645 (22 aetatis anno), iam diaconus. Absoluta theologia doctor eiusdem renuntiatus est et inde patriam a. 1652 (20.VIII) discessit<sup>73</sup>.

Hic, imprimis, Vilnae erat praedicator et ecclesiastes; dein Bythenii et Supraslii; sed praecipue cum Benedicto Terleckyj professoris munere fungebatur in Seminario Minscensi usque ad Seminarii huius suppressionem (1654)<sup>74</sup>.

« Praesulibus, praecique Metropolitano Sielawa, ab affectibus erat, quem consilio et spirituali in conscientia oppido iuivit »<sup>75</sup>.

Ob suam sanctitatem et ingenium magno in honore in Ordine erat; non ergo mirum, ipsum per totam suam vitam diversa munia obiisse.

In Capitulo Torokanensi a. 1656 Consultor Ordinis advitalis eligitur, dein a Capitulo Zyrovicensi a. 1659 Romam uti Procurator peculiaris Ordinis et Hierarchiae destinatur, quo in munere erat tamquam praecursor missionis posterioris Episcopi Cholmensis, Jacobi Susza, a. 1664.

Erat enim periodus haec Ecclesiae Ruthenae, « Sede vacante metropolitana », ac perturbationibus politicis grassantibus pro Unione periculosa<sup>76</sup>.

Roma reversus, in Cap. Torokanensi a. 1661, uti Consultor Ordinis advitalis, electus est socius P. Provincialis. Cum vero post mortem Provincialis Benedicti Terleckyj, in Cap. Zyrovicensi a. 1661 in Protoarchimandritam Episcopus Cholmensis, Jacobus Susza electus fuit, noster Pachomius Ohilewycz ut Vicarius Generalis seu Provincialis quadriennalis devenit. Eodem modo ter eligitur (ad 4 scil. annos) Vicarius Generalis Protoarchimandritae-Metropolitae Gabrielis Kolenda, in capitulis: Suprasliensi a. 1665, Berestensi 1667 ac Novogrodensi 1671.

Protoarchimandrita-Metropolita Gabriele Kolenda vita functo cum novus Metropolita Cyprianus Zochowskyj ab electione in Protoarchimandritam sponte se ipsum excluderet, tunc in cap. Zyrovicensi a. 1675 electus est in

<sup>72</sup> *E manuscripto Metr. L. Kiszka*; cfr. SKRUTEN, in *Analecta OSBM*, Series I, vol. III, p. 511.

<sup>73</sup> « Ohilewius Pachomius, OSBM, diac.; fil. Gregorii et Reginae Maslanczanka, ex Minsco in Russia Alba. Ingr. 1645, 18 decembr.; natus in Minsk 12.VI.1624; aetas 22, diaconus. Discessit, absoluta theologia et doctoratus laurea accepta, 1652, 20 Augusti. Postea: Generalis sui Ordinis »; COLL. GRAECORUM, *Cronica*, fol. 18v-19.

<sup>74</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. I, p. 246, n. 291; I. PRASZKO, o. c., p. 160, n. 23; p. 35.

<sup>75</sup> *E manuscripto Metr. L. Kiszka*, l. c.; In documentis metropolitanis signatur uti: Notarius Publicus S. Sedis Apostolicae et OSBM; e. g. 19.VIII.1654; *Opisanije dokumentov...*, N. 813.

<sup>76</sup> I. PRASZKO, o. c., p. 169.

Protoarchimandritam, sed quadriennem tantum, primus simplex monachus Pachomius Ohilewycz. Officio hoc summo feliciter expleto, in sequenti Capitulo Zyrovicensi a. 1679 suspensum ad tempus officii protoarchimandritalis officium Proto-Consultoris eo ipso recuperavit in eoque permansit usque ad mortem, quae post Capitulum Novogrodense 1686, sed ante Minscense 1690 ponenda esse videtur<sup>77</sup>.

Antequam in Protoarchimandritam electus fuit, opus suum edidit: «*Ecphonemata liturgii greckiej, albo wykład tego wszystkiego co przy liturgii to jest mszy świętej kapłan, dyjakoń i chór w głos spiewają*», Wilnae 1671; ed. 2 Cracoviae 1685; ed. 3 Poczajoviae 1708.

## VIII. STEPHANUS MARTYSZKIEWYCZ-BUSYNSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1679-1686)

Natus est a. 1630, uti filius Gregorii et Mariae Busynska, atque iuvenis Ordinem Basilianum ingressus est. Inter annos 1650-1653 erat alumnus Collegii Brunsbergensis<sup>78</sup> et ordinatus diaconus Romam missus est atque aetate 23 annorum in Collegium Graecorum S. Athanasii die 5 novembris, a. 1653 fuit admissus<sup>79</sup> ad primum annum theologiae studendae. Anno sequenti, die 25 Decembris, sacerdos ordinatus est et studiis absolutis, die 22 iunii 1657 e Collegio discessit<sup>80</sup>.

Patriam reversus in Capitulo Zyrovicensi a. 1661 partem habuit, in quo Jacobus Susza, Episcopus Cholmensis, in Protoarchimandritam electus est, ut delegatus et Vicarius monasterii Zyrovicensis<sup>81</sup>; dein in Capitulo Suprasliensi a. 1665 in Consultorem Ordinis advitalem electus est, sed acta huius Capituli a Romano Pontifice nulla sunt declarata<sup>82</sup>. Hoc non obstante, Capitulo sequenti Berestensi a. 1667 electus est pro-Consultor ad 4 annos, ad substi-

<sup>77</sup> Participabat etiam in Colloquio Lublinensi a. 1680; cfr. STEBELSKI, o. c., t. II, p. 363.

In cap. Novogrodensi a. 1686 notatur adhuc uti Ordinis Proto-Consultor, sed non amplius in Minscensi a. 1690; in hoc ultimo uti Proto-Consultor signatur Cyprianowycz.

<sup>78</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. I, p. 271, n. 340.

<sup>79</sup> De missione Stephani Romam agebatur iam in cap. Minscensi 1652; AS, t. XII, p. 51.

<sup>80</sup> «*Martischevius Stephanus, OSBM. diac.; filius Gregorii et Mariae Busynski, Polonus; natus a. 1630; Ingr. 1653, 5 novembr.; aetas 23; Stud. theolog. primo anno; diaconus; Ordinatus presb. 25 decembr. 1654; Discessit 22 iunii 1657, absolutis studiis*»; ARCH. COLL. GRAECORUM, *Chronic.*, fol. 22v-23.

Difficulus tamen admitti possit, quo pacto Stephanus esset etiam in tyrocinio Cholmensi, tempore belli Cosacorum erecto, uti apud PRASZKO, o. c., p. 39.

<sup>81</sup> AS, t. XII, p. 64.

<sup>82</sup> Cfr. vol. II, p. 14.

tuendum Pachomium Ohilewycz, qui, uti Consultor advitalis, in Vicarium Generalem electus est. Sed eodem adhuc anno in Capitulo ordinario Vilnensi Stephanus in verum Consultorem advitalem electus est, vita nempe functo Consultore Sebastiano Kaczynskij<sup>83</sup>. Simul etiam Hegumenus monasterii Vilmensis erat<sup>84</sup>, dein Superior Bytheniensis<sup>85</sup> ac iterum Vilmensis<sup>86</sup>.

Denique in capitulo Zyrovicensi a. 1679 electus est Stephanus, in Protoarchimandritam quadriennalem ut simplex monachus<sup>87</sup>. Officio hoc supremo rite functo, Metropolita Cyprianus Zochovskij Capitulum unius fractionis Religiosorum convocavit et se in Protoarchimandritam eligi procuravit (1683, 1684)<sup>88</sup>. Immo in secundo anti-Capitulo, Novogrodensi a. 1684, Metropolita Cyprianus omnes Ordinis advitales tum Consultores, tum Secretarium, et inter illos etiam Stephanum, deposuit eorumque officium ex advitali in quadriennale mutavit; sed SCPF omnes has depositiones et mutationes nullas declaravit<sup>89</sup>.

Propter hanc controversiam cum Metropolita et confusionem generalem Stephanus in munere Protoarchimandritae, saltem pro una parte Religiosorum persistebat, et ut talis etiam a SCPF agnoscebatur<sup>90</sup> usque ad novum Capitulum iussu Sedis Apostolicae a Nuntio Ap. convocatum, Novogrodense a. 1686, quo «*Nexus*» Ordinis cum Metropolita conclusus est<sup>91</sup>.

Ab a. 1682 ipse simul Archimandrita Polocensis erat, sed huic Archimandriae abdicavit a. 1693, retento tamen semper Consultoratu Ordinis advitali. Post renuntiationem Archimandriae Superior Bytheniensis fuit nominatus, ubi et mortuus est die II.VI.1697<sup>92</sup>.

Ipse ex numero erat Basilianorum, qui, studiis Romae absolutis, iura Ordinis strenue defendebant, et praesertim ad independentiam Ordinis ab Hierarchia vel immo ad plenam ab ea exemptionem contendebant.

<sup>83</sup> AS, t. XII, p. 93.

<sup>84</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Epistolae Metropolitanarum*, vol. II, p. 306, qui a. 1667, Oct., concionem tenebat in transferendis lipsanis B. Josaphat.

<sup>85</sup> Cap. Novogroden. 1671.

<sup>86</sup> Cap. Vilnen. 1675.

<sup>87</sup> Videsis vol. II, p. 17; Uti Protoarchimandrita participabat in *Colloquio Lublinski* a. 1680 atque iuramenta Unionis Ep. Leopoliensis J. Szumlanskyj et Ep. Peremyslien. I. Vynnyckyj 21.III.1681 subscripsit; *Opisanije dokumentov*, N. 1046.

<sup>88</sup> Videsis vol. I, p. 151.

<sup>89</sup> A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, vol. I, p. 69.

<sup>90</sup> Cfr. IBIDEM, p. 70, 72 etc. e. g. in CP, 17.VII.1684: «*comparvero più lettere del Generale, e Consultorio*»; p. 70.

<sup>91</sup> Videsis vol. I, p. 170.

<sup>92</sup> A. G. WELYKYJ, *vol. c.*, p. 80, nota 92.



## IX. CYPRIANUS ZOCHOWSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA-METROPOLITA, INTER ANNOS 1683-1686)

Natus est ca. a. 1635 a parentibus nobilibus Alexandro et Anna Mohyl-nycka, in palatinatu Polocensi (Bielorussia)<sup>93</sup>, Ritus Latini. Iuvenis ingressus est Ordinem Basilianum et brevi Romam missus (1658) ad studia philosophiae et theologiae et in utraque laureatus est. Ibidem etiam sacerdos ordinatus est die 22.IV.1663 et anno sequenti in patriam rediit<sup>94</sup>.

Mox ad latus Metropolitae Gabrielis Kolenda<sup>95</sup> uti nobilis genere et insignis orator saepe sermones tenebat in Comitibus Nobilium polonorum et Senatu Varsaviensi, ad defendenda iura Ecclesiae unitae<sup>96</sup>.

Ideoque iam a. 1668 vidimus eum notatum in actis publicis tamquam Archimandritam Leščynensem et auditorem Curiae metropolitanae<sup>97</sup>, anno 1670 Archimandritam Dermanensem et coadiutorem Metropolitae in Archiepiscopatu Polocensi<sup>98</sup> nec non nominatum Episcopum Vitebscensem et Mscislaviensem et Coadiutorem Polocensem<sup>99</sup>; denique a. 1671 (I.VI) nominatum in Coadiutorem Metropoliae cum iure successionis<sup>100</sup>; die 15.III.1671 Zochovskyj fuit consecratus in Episcopum Vitebscensem et Mscislaviensem a Metropolita G. Kolenda<sup>101</sup>, cui denique anno 1674, die 11 Februarii, in Metropolia successit.

Anno sequenti in Capitulo Basilianorum Zyrovicensi ipse cum ceteris Episcopis omni praetensione ad officium Protoarchimandritae sponte renuntiavit, illud omnino simplicibus monachis relinquendo, quod tamen ex adventu in quadriennale capitulariter mutatum est. Revera, electus est Protoarchimandrita pro primo quadriennio simplex monachus Pachomius Ohilewycz et Capitulo sequenti, item Zyrovicensi a. 1679, Stephanus Martyszkiewycz-Busynskyj. Elapso turno huius Protoarchimandritae Metropolita cum fractione quorundam Basilianorum Capitulum Minsci a. 1683 congregavit et se

<sup>93</sup> JULIAN BARTOSZEWSKI, in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 28, Varsaviae 1868, p. 999, signat eius stemma familiare: «Brodzic» et nomen: «Zochowski na Wielkich i Malych Zochach».

<sup>94</sup> TABULLARIUM COLL. GRAECORUM, *Historia Coll.*, P. I, fol. 155 ss.

<sup>95</sup> Cfr. Relationem Metropolitae G. Kolenda ad SCPF missam e Suprasl die 8.XII.1671; A. G. WELYKYJ, *Epistolae Metropolitanarum*, vol. II, p. 302-329.

<sup>96</sup> IBIDEM, praecipue p. 310.

<sup>97</sup> *Opisanije dokumentov...*, N. 848.

<sup>98</sup> IBIDEM, N. 855. 7) IBIDEM, N. 862.

<sup>99</sup> Bulla Coadiutoriae; A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum Romanorum*, t. I, Romae 1953, p. 616.

<sup>100</sup> Cfr. Relationem supra citatam, p. 318, et EIUSDEM, *Litterae SCPF*, vol. II, Romae 1955, p. 50.

<sup>101</sup> IBIDEM, p. 95.

Protoarchimandritam advitalem eligere procuravit, quo autem a Romano Pontifice annullato, iterum idem repetivit in cap. Novogrodensi a. 1684, quod iterum a SCPF annullatum est<sup>102</sup>.

Tunc denique, ad instantiam SCPF, novo Capitulo Novogrodensi a. 1686 a Nuntio Ap. convocato, tota controversia communi « *Nexu* » Ordinem inter et Metropolitam soluta est, vi cuius officium Protoarchimandritae simplicibus Religiosis reservatum est determinatque sunt casus, in quibus Ordo a Metropolita dependere debuit<sup>103</sup>.

Quid de validitate electionis huius Metropolitae in Protoarchimandritam censeretur, ipse de facto ultimus erat Protoarchimandrita in dignitate episcopali constitutus.

Postposita autem hac eius cum Ordine controversia, ipse erat unus e Metropolitanis maxime industriis set laboriosis. Sicut enim sub suo Praedecessore ut Archimandrita et Episcopus, ita etiam uti Metropolita Unionem strenue coram potestate civili contra fratrum dissidentium infensa conamina defendebat, immo ad compositionem cum eis devenire conabatur, praesertim in s. d. *Colloquio Lublinensi* a. 1680<sup>104</sup>. Item in campo liturgico uniformitatem procurare studebat editione « *Liturgiconis* »<sup>105</sup>; immo eius cum Ordine compositio momentum summum habuit pro tota fere ulteriore Ordinis evolutione, nam « *Nexus* » Zochovskianus exemplo erat pro ulterioribus compositionibus Ordinis et Metropolitanarum<sup>106</sup> et in genere codificatio constitutionum Basilianorum, tunc tempore revisa, perduravit usque ad finem periodi primae, seu ad Benedictum XIV<sup>107</sup>.

Mortuus est Metropolita Zochowskyj in monasterio Torokanensi die 2.X.1693.

<sup>102</sup> Videsis vol. I, p. 151 et vol. II, p. 17.

<sup>103</sup> Videsis vol. I, p. 170.

<sup>104</sup> *Colloquium Lubelskie między zgodą y niezgodą Bracią Narodu Ruskiego Vigore Constitucyey Warszawskiej na dzień 24 Stycznia, An. 1680 złożone*, w Druk. Coll. S. J. Leopoli.

Przypis. Krolowi Janowi III, datow. w Dermaniu kwietnia 10.r.1680. (cfr. A. JOCHER, o. c., n. 9496).

*Acta Colloquii a Praesulibus Ruthenis, S. Sedi Apostolicae Romanae Unitis, cum iis qui ab Unione dissident, A. MDCLXXX, die XXIV. Januarii in Civitate Lublinensi instituti*, Vilnae 1732, typ. Acad.

Te nowe wydanie zrobione było staraniem Józefa Zagielskiego (IBIDEM).

<sup>105</sup> PRASZKO, o. c., p. 277; A. RAES, S. J., *Le liturgicon ruthène depuis l'Union de Brest*, in OCP. vol. III (1942), p. 100ss.

<sup>106</sup> Ita nova Congregatio post Synodum Zamostianam constituta, Protectionis B. B. Mariae seu Ruthena, eundem *Nexum* in relatione ad Metropolitam applicavit; cfr. vol. I, p. 70; immo idem *Nexus* exemplum erat pro simili *Nexu* initio secundae periodi composito; cfr. vol. I, p. 86.

<sup>107</sup> Compositae sunt nempe s. d. *Constitutiones Recognitae et Observanda* circa electionem Protoarchimandritae ipsumque Capitulum eiusdem generale electivum. Item circa Capitulum generale ordinarum; cfr. vol. I, p. 71; AS, t. XII, p. 171-182.

## X. JOSEPHUS PIETKEWYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1686-1690)

De eius iuventute pauca tantummodo scimus; eum natum fuisse a. 1646 et iam Basilianum studia superiora Brunsbergae peregrisse<sup>108</sup>.

Postea vidimus eum diversis officiis et actibus in Ordine Basiliano occupatum. Itaque Capitulo Zyrovicensi a. 1661 participabat, uti Vicarius monasterii Vilmensis<sup>109</sup>. Dein officio Procuratoris Basiliani in Urbe<sup>110</sup> inter annos 1665-1669ungebatur. In Capitulo autem Zyrovicensi 1671 electus est confessorius capitularis tamquam concionator Zyrovicensis<sup>111</sup>. In Capitulo Zyrovicensi a. 1675 ingreditur Curiam generalem tamquam Secretarius advitalis qui simul ab. a. 1674 erat Superior Bytheniensis; ut talis participabat in Capitulo Zyrovicensi a. 1679 ed in *Colloquio Lublinensi* a. 1680.

Tamquam Secretarius Ordinis opponabatur strenue conaminibus Metropolitanæ Cypriani Zochowskyj, a quo etiam cum ceteris Officialibus Ordinis depositus fuit in anti-Capitulo Novogrodensi a. 1684, sed brevi decreto SCPF a. 1685 restitutus<sup>112</sup>.

Post concordiam vero cum dicto Metropolita in Capitulo Novogrodensi a. 1686 initam, Josephus electus est in Protoarchimandritam quadriennem, quam dignitatem, officio rite fucto, in novo Capitulo a se convocato, secundum normas in « *Nexu* » a. 1686 stabilitas<sup>113</sup>, deposuit, qui in capitulo Minscensi a. 1690 electus est Consultor Ordinis advitalis, retinendo superioratum Bytheniensem, quem a. 1698 in Zyrovicensem commutavit usque ad a. 1703, quo iterum factus est Superior Bytheniensis, ut Proto-Consultor totius Ordinis. Obiit die 3.IV.1708.

Inter merita eius, praeter Officia Ordinis rite functa, id signatur, quod tamquam Superior Bytheniensis ecclesiam huius monasterii muratam aedificavit<sup>114</sup>.

Scripsit etiam meditationes super Evangeliiis omnium dierum dominicarum et festorum sollemnium totius anni<sup>115</sup>.

<sup>108</sup> Cfr. LÜHR, o. c., Matr. S. 96, n. 742.

<sup>109</sup> AS, t. XII, p. 64.

<sup>110</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. II, p. 10; *Litterae SCPF*, vol. I, p. 295; BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 189.

<sup>111</sup> AS, t. XII, p. 103.

<sup>112</sup> Videsis vol. I, p. 151.

<sup>113</sup> Videsis vol. II, p. 50.

<sup>114</sup> STEBELSKI, o. c., t. II, p. 364.

<sup>115</sup> « *Medytacye albo Rozmyslania na Evangelie przypadające na wszystkie Niedziele, Dni i Święta uroczyste całego Roku* » (cfr. STEBELSKI, o. c., t. II, p. 364).

Tamquam vero Jacobi Susza, Episcopi Cholmensis, amicissimus, cum quo inter alia iter Romam a. 1664 peregit<sup>116</sup>, eiusdem elogium pro S. Congregatione de P. F.<sup>117</sup> composuit.

## XI. SIMEON OHURCEWYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA DUPLICI VICE: INTER ANNOS 1690-1694 ET 1694-1698)

Natus est Vilnae die 20 Augusti 1654, uti filius Joannis et Mariae Mikuliechowna Skuminowna. Juvenis Ordinem Basilianum ingressus est, nam iam a. 1677 ad studia philosophica et theologica Romam missus, Collegium Graecorum S. Athanasii tamquam sacerdos in aetate 23 annorum ingressus est die 21 Novembris. Hic, studiis absolutis, doctor factus est in philosophia et theologia die 12 Augusti 1682 et post duos dies in patriam Roma discessit, « cum optima fama ingenii et indolis »<sup>118</sup>.

Postea vidimus eum varia munia in Ordine obeuntem; in Cap. Novogrodensi a. 1686 electus est pro-Secretarius Ordinis ad 4 annos, substituendo hoc in officio verum Secretarium advitalem Josephum Pietkiewicz, qui eodem in Capitulo in Protoarchimandritam quadriennem electus fuit<sup>119</sup>.

In sequenti autem Capitulo, i. e. Minscensi a. 1690, Symeon imprimis electus est in Consultorem Ordinis advitalem, post mortem nempe Pachomii Ohilewycz; sed in eodem Capitulo electus est etiam, prima vice, in Protoarchimandritam<sup>120</sup>; primo quadriennio expleto in sequenti Capitulo Zyrovicensi a. 1694 secunda vice in Protoarchimandritam est electus<sup>121</sup>.

<sup>116</sup> Cfr. PRASZKO, o. c., p. 187.

<sup>117</sup> « Elogium Jacobi Susza secundum, auctore Josepho Pietkiewicz, latine concinnatum »; ASV, Fondo Garampi, n. 20, D, f. 33 (cfr. PRASZKO, o. c., p. 22, nota 55).

<sup>118</sup> « Ohurcewicz Symeon, OSBM, sacerdos, fil. Joannis et Mariae Mikuliechowna Skuminowna, Vilmensis. Ingr. die 21 novembris 1677; natus 20 augusti 1654; aetas 23. Stud. Philosophiae et Theologiae, quod ingeniose absolvit duobus annis; sacerdos. Factus est Doctor in Collegio in Philosophia et Theologia 12 augusti 1682. Discessit 14 augusti 1682 cum optima fama ingenii et indolis. Postea fuit Generalis, seu Protoarchimandrita Ordinis »; ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. 14, f. 36v-37.

<sup>119</sup> AS, t. XII, p. 126.

<sup>120</sup> IBIDEM, p. ... Ex hoc tempore mentio eius fit in litteris SCPF uti Protoarchimandritae, ex a. 1690, 19.XII, item ex a. 1691, 24.IX; cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. II, p. 167, 180.

<sup>121</sup> Uti Protoarchimandrita testabat de liquidatione debiti contracti a Metr. C. Zochowskyj in monasterio Supraslien. per traditionem 500 Missalium, 9.IX.1694; AS, t. IX, p. 309; in alio tamen loco sub a. 1697 vocatur « provincialis »; IBIDEM, t. X, p. 81.

Ab a. 1692, post mortem fratris sui germani, Josaphat, item monachi Basiliani, Symeon Protoarchimandrita accepit etiam Archimandritiam Grodnensem et per sex annos eam retinuit, i. e. usque ad mortem suam. Vita functus est a. 1698<sup>122</sup>.

## XII. JOACHIM KUSZELYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1698-1703)

Natus est in Magno Ducatu Lithuaniae (Bielorussia) a. 1659, e parentibus schismaticis. Postquam ingressus est in Ordinem Basilianum, philosophiae studuit in Collegio Vilnensi inter annos 1670-1673, in qua etiam die 21 Novembris 1672 baccalaureatum, die vero 18 iunii 1673 magisterium (licentiatum) obtinuit<sup>123</sup>.

Ex actis autem capitularibus constat ipsum etiam doctorem in theologia fuisse<sup>124</sup>. In Ordine diversa munia obiisse. In Capitulo Minscensi a. 1690 ipse uti Legatus Zyrovicensis participabat<sup>125</sup>, statim vero Capitulo sequenti Zyrovicensi a. 1694 tamquam Superior Lyscoviensis electus est in pro-Consultorem Ordinis ad quadriennium, ad substituendum Consultorem advitalem Simeonem Ohurcewycz, qui in eodem Capitulo electus est Protoarchimandrita quadriennalis<sup>126</sup>. Sequenti Capitulo, Bytheniensi a. 1698, Kuszelycz electus fuit imprimis Consultor Ordinis advitalis<sup>127</sup>, tamquam Superior Vitebscensis, et paulo post, in eodem Capitulo electus est etiam in Protoarchimandritam quadriennem<sup>128</sup>. Uti Protoarchimandrita convocavit etiam

<sup>122</sup> De hoc anno eius mortis attestatur:

a) in actis Capituli Bytheniensis a. 1698; AS, t. XII, p. 136;

b) in AS, t. IX, p. 445, ubi, facta mentione dictae eius Archimandritiae, eius mors ita describitur: « postea vero a. Domini 1698 cum esset in via ad Subotniki, stabat in diversorio pro equorum cibatione nubemque repentinam animadvertens et tonitrum audiens in genua provolutus est ad orationem, qua perdurante, fulmine tactus, obiit in Domino. Vir ex omni parte doctus, pius et exemplaris ».

Romae tamen mortem eius diu ignotam remansisse, cum adhuc a. 1701 ipse destinatur inter alios candidatos ad adiuvandum Episcopum Leopoliensem: « Il P. Simeone Ohurcewicz, Monaco ruteno, nativo di Vilna in età di 47 anni; dimorò in Collegio Greco intorno a 5 anni e ne partì con fama di buon'indole, et ingegno, doppo haver preso la laurea dottorale in Filosofia e Teologia »; A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. II, p. 178.

<sup>123</sup> « Logicus, Lithuanus an. 21, 5.IX.1670. Ex schism. parent.; Lat. Pol. 2. Joachim Kuszelin, SS. d. N. Al., 21 novembr. 1672 B. ph.; 18 iunii 1673 Mgr. ph. »; ARCH. COLL. VILNEN., 1672-1673; *Analecta OSBM*, Ser. I, vol. IV, p. 212.

<sup>124</sup> Cap. Minscen. a. 1690; AS, t. XII, p. 129.

<sup>125</sup> *IBIDEM*.

<sup>126</sup> *IBIDEM*, p. 136.

<sup>127</sup> *IBIDEM*, p. 139.

<sup>128</sup> *IB.*, p. 142. Durante protoarchimandritatu causam quandam habuit cum Leone Kiszka, OSBM, quam Nuntius Varsaviensis ad Metropolitam Leonem Zalenskyj iudicandam remisit; cfr. BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 100.

sequens Capitulum Novogrodense a. 1703, officioque deposito remansit Consultor Ordinis et Superior Vilnensis <sup>129</sup>.

Mortuus est ante a. 1709, seu ante Capitulum Bilense.

### XIII. LEO KISZKA

(PROTOARCHIMANDRITA, DUPLICI VICE: INTER ANNOS 1703-1709; 1709-1713)

Natus est a. 1668 in Kowel (diocesis Cholmensis) in Volhynia <sup>130</sup>, uti filius Georgii et Cristinae item Kiszka.

Postquam Ordinem Basilianum ingressus est Romam ad studia superiora missus in Collegium de Propaganda Fide est ingressus, die 6 Decembris a. 1687, iam sacerdos ordinatus, aetate 24 annorum. E Collegio discessit a. 1691, cum optima fama et spe <sup>131</sup>.

In patria, secundum morem tunc in Ordine Basiliano receptum, post studia laborabat uti concionator in monasteriis Zyrovicensi (saltem ab a. 1696) et Vilnensi (ab a. 1697), ubi erat etiam Vicarius monasterii <sup>132</sup>. Dein, anno sequenti, i. e. 1698, durante Capitulo Bytheniensi, cui participabat, erat iam Superior Vilnensis <sup>133</sup> et ab eodem Capitulo electus est Secretarius Ordinis aditalis <sup>134</sup>. Postea designatus fuit Superior Polocensis, quia initio sequentis Capituli, seu Novogrodensis a. 1703, vidimus eum non solum ut Secretarium Ordinis, sed etiam Superiorem Polocensem. In eodem vero Capitulo electus est prima vice in Protoarchimandritam et eo ipso devenit etiam Superior Berezwezcensis <sup>135</sup>. Ante finem primi turni, i. e. a. 1708 (10.XI), electus est a communitate monasterii et nominatus Archimandrita Suprasliensis, ubi typographiam renovavit <sup>136</sup>.

<sup>129</sup> AS, t. XII, p. 143 et 156.

<sup>130</sup> Cfr. *Analecta OSBM*, Ser. I, t. I, p. 115, nota 1.

<sup>131</sup> « D. Leonzio (puta Leo in baptismate et Lucas in Ordine) Kiszka, figlio di Giorgio e Cristina Kiszka della diocesi di Kelma in Volinia; entrò in Collegio il dì 6 Dicembre 1687; è monaco ruteno unito, è già sacerdote in età di anni 24. Sa la lingua rutena, polacca e latina. E' partito dal Collegio il dì ... 1691; è sacerdote di ottimi costumi, di gran capacità per quello riguarda le scienze nelle quali si è approfittato in alto et in somma ha sempre dato sodisfazione alli Superiori, e Maestri et buon esempio alli compagni; onde se ne puole sperare ogni bene. Ha avuto sc. 50 per il viatico, sc. 15 per il vestiario et sc. 5 per cose di divozione »; REGISTRO COLL. DI PROP. FIDE, vol. I, p. 171.

<sup>132</sup> AS, t. IX, p. 310.

<sup>133</sup> AS, t. XII, p. 137. De hoc superioratu ita refertur in actis Capituli Bilnensis a. 1709: « Aby dawno już zniesiona archimandrya Wilenska nie byla perpetuis temporibus wzniecana, ad quem effectum zakazano, aby o tym klasztor Wilnenski nigdy punktow nie pisal, tamquam de re iudicata, decisa et stabilita »; AS, t. XII, p. 160.

<sup>134</sup> Ib. p. 139.

<sup>135</sup> Ib. p. 149 et 156.

<sup>136</sup> ARCHIMANDRIT NIKOLAJ (DALMATOV), « Supraslskij Blahoviščenskij Monastyr », St. Peterburg, 1892, p. 218.

Tunc, sequenti Capitulo, i. e. Bilensi a. 1709, electus fuit secunda vice in Protoarchimandritam<sup>137</sup>, retinendo hoc officium usque ad finem turni, etiam si iam anno 1710 nominatus<sup>138</sup> et a. 1711 consecratus<sup>139</sup> est Episcopus Volodymyriensis.

Expleto hoc secundo turno officii protoarchimandritalis<sup>140</sup> electus est post mortem Metropolitanæ Georgii Wynnyckyj imprimis Administrator Metropolitanæ et Episcopatus Peremysliensis<sup>141</sup> ac denique etiam Metropolita Kioviensis et Haliciensis<sup>142</sup> (a. 1714).

Tamquam Metropolita imprimis famosam Synodum Zamostianam celebravit a. 1720<sup>143</sup>, dein Capitulum Dubnense, ad normam prædictæ Synodi, convocavit ad erigendam novam Congregationem religiosorum<sup>144</sup> (a. 1727), etsi sine intento effectu.

In genere vero, sive uti Religiosus, sive uti Episcopus et Metropolita erat maxime laboriosus pluraque monumenta aere perennia posteritati reliquit, quorum præclarissimum est Synodus prædicta. Sive in Ordine Basiliano sive in Sede metropolitana eximius erat orator, organisator et scriptor. Quod Metropolita Iosephus Velamin Rutskyj anhelabat, id ipse perfecit. Sicut ille, ita etiam hic ab organisatione totius monachatus Ecclesiæ Ruthenæ per constitutionem synodalem incoepit (etsi hæc nonnisi post eius mortem in effectum plene deducta est); dein de Seminario cleri saecularis curam habebat<sup>145</sup>; in Ordine Basiliano plures collectiones paravit, sed quod maxime eximium est, totam disciplinam Ritus Rutheni codificavit, quæ non solum aliis Ecclesiis exemplo erat<sup>146</sup>, verum etiam usque hodie fundamentum disciplinae Ritus Rutheni constituit<sup>147</sup>, i. e. in Synodo Zamostiana.

Inter eius opera, quorum quaedam iam ab ipso, quaedam postea edita sunt, alia denique adhuc sunt edenda, hæc notantur:

<sup>137</sup> AS, t. XII, p. 169.

<sup>138</sup> Cfr. litteras SCPF 22.XII.1710; AG. WELYKYJ, *Litt. SCPF.*, vol. III, p. 34.

<sup>139</sup> Quod hoc anno iam erat consecratus cfr. e. g. litteras SCPF 12.IX.1711: « Avendo Monsignor Leone Kiska, Vescovo Ruteno unito d'Vladimiria... »; *IBIDEM*, p. 45. Quod autem erat etiam Protoarchimandrita, cfr. e. g. litteras SCPF, 4.VII.1712; *IB.* p. 61 et litteras SCPF 6.II.1713; *IB.* p. 71, et notam 81; *Acta SCPF*, III, p. 65.

<sup>140</sup> I. e. anno 1713, quo Capitulum Vlnense ad novum Protoarchimandritam eligendum celebratum est (19.VIII. v. s.); *Videsis* vol. II, p. 21.

<sup>141</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Cong. Part.*, vol. I, p. 140.

<sup>142</sup> Breve Ap. 18.IX.1714: « *Romani Pontificis* »; *IDEM*, *Documenta Pontificum Romanorum*, vol. II, p. 31.

<sup>143</sup> *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae A. D. 1720*, Romæ 1724, 1883; *Coll. Lacensis*, vol. II, col. 1-74.

<sup>144</sup> *Videsis* vol. I, p. 78.

<sup>145</sup> Cfr. e. g. A. G. WELYKYJ, *l. c.*, et *Litterae SCPF*, vol. III, p. 106, 225, 251.

<sup>146</sup> Cfr. e. g. *Synodus Montis Libani* a. 1736; *Coll. Lacensis*, vol. II, col. 75-411.

<sup>147</sup> Cfr. citationes Synodi Zamostianæ in diversis partibus novi codicis pro Ecclesiis Orientalibus; et A. BARAN, *Obligatio Synodi Zamostianæ in Ucraina Carpatica saec. XVIII*, in *Analecta OSBM*, Ser. II, Sec. II, vol. II, fasc. 3-4, p. 525.

- 1) *De Sacramentis* (ucrainice-ruthenice), Polock 1697.
- 2) *Morze łask, o cudach Najświętszej Panny Boruńskiej r. 1714 swiatu ogłoszone* (polonice).
- 3) Ipse edidit *Sermones Metrop. Hypatii Potij* sub titulo: « *Kazania i Homelie Męża Bożego niesmiertelnej sławy i pamięci Hipacyjusza Pocięja metropolity Kijowskiego...*, Suprasliae 1714; reeditum ibidem a. 1768 sub titulo: « *Obrońca wiary Sw. katolickiej* »<sup>148</sup>.
- 4) « *Instructio pro Parochis et Catechismus pro Populo* », Suprasliae 1722<sup>149</sup>.
- 5) « *Capitulorum volumen polonicum*. Post praefationem ac bullas pontificias cum decreto S. Congregationis de propaganda fide praemissas, continet: Imo: Ipsa Capitula desinentia anno 1709; 2-do: Latinas constitutiones monachorum capitulares saepe memoratas; 3-tio: Observanda circa electionem Protoarchimandritae et circa Capitula; 4-to: Descriptionem status, quo res monasticae sub pluribus metropolitanis olim fuerunt; 5-to: Anticapitula duo; 6-to: Regulas episcoporum a Velamino collectas et indicem »<sup>150</sup>.
- 6) Eidem adscribitur: « *Manuscriptum continens varias historicas notitias* » et quidem a) Annales Nestoris eiusque eiusque continuatorum versione polonica; b) Historica data ex documentis et actis officialibus excerpta de Ecclesiastica Hierarchia totius Russiae meridionalis; c) Vitas illustrium virorum Ordinis S. Basilii M.; d) Historiam politicam Europae, imprimis Poloniae saec. XVI-XVII — s. XVII-XVIII, in folio, Pars I, 28 fol.; Pars II, 779 fol. »<sup>151</sup>.

Mortuus est hic Metropolitae in Kupečiv ad Volodymyriam (a. 1728), sed de die et mense eius mortis discordant auctores<sup>152</sup>.

<sup>148</sup> F. M. S., in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 14, Varsaviae 1863, pg. 715.

<sup>149</sup> « Un libro in lingua slavonica, stampato nel Monastero Supraslense, concernente una istruzione per i Parochi Ruteni, nella quale veniva inserito un Catechismo per il Popolo nella stessa lingua, che forma il XVI Capitolo del medesimo libro »; A. G. WELYKYJ, *Congreg. Part.*, vol. I, p. 232.

« Catechismi de quo agitur, committatur revisio alicui ex Lectoribus Collegii Urbani. Quovero ad instructionem exaratam a Metropolitae Russiae pro Parochis Ruthenis, D. Nuntius transmittat ad S. Congregationem eius instructionis exemplar typis editum lingua vernacula ruthena, eiusdemque versionem latinam sedulo curet ab ipso Metropolitae perfici, pariterque ad Congregationem transmitti »; *IBIDEM*, p. 230.

<sup>150</sup> AS, t. XII, Vilnae 1900, inscriptio.

<sup>151</sup> J. SKRUTEN, OSBM, *Vitae Basilianorum*, in *Analecta OSBM*, Ser. I, t. I, p. 105. Particulariter vero de « *Annalibus* », quos voluit dedicare Petro Magno I Tsar Rossiaco, videsis A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. III, p. 116.

<sup>152</sup> a) 9.IX, vel 9.X. vel 9.XI, a. 1728; cfr. *Analecta OSBM*, Ser. I, t. I, p. 116;

b) 19.XI.1728; STEBELSKI, o. c., t. III, p. 220;

c) Sept. 1728; ARCHIMANDRIT NIKOLAJ, o. c., p. 229.



## XIV. BASILIUS PROCEWYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1713-1717)

Natus est Vilnae a. 1673, uti filius Christophori et Barbarae, catholicorum baptisatusque est Ritu Latino.

Post suum ingressum in Ordinem Basilianum, peracto novitiatu, studium impendit rhetoricae et postea, Romam missus, Collegium de Propaganda Fide intravit die 23 novembris 1693, e quo discessit die 8 maii 1699, i. e. post tres annos philosophiae et tres theologiae, de quibus etiam, speciali gratia SCPF, laurea eidem collata est<sup>153</sup>.

In patria vidimus eum imprimis in Capitulo Novogrodensi a. 1703, ubi privilegio sibi collato in Archimandriam Liščynensem abdicare coactus est<sup>154</sup>; In capitulo Bilensi a. 1709 participabat iam tamquam Superior Chomscensis et anno sequenti devenit Superior Vilmensis<sup>155</sup>.

In Capitulo Vilmensi a. 1713 Bisilius noster electus est in Protoarchimandritam quadriennemem<sup>156</sup>, quo in officio frequentes habebat relationes epistolares cum SCPF, praesertim in causa subiectionis novae Congregationis monachorum Eparchiae Leopoliensis (a. 1711) sub regimen unius Protoarchimandritae « totius Russiae », quam urgebat Congregatio SS. Trinitatis (Lithuana) ed decretum PP. Urbani VIII revocando<sup>157</sup>.

Alia causa, tempore eius officii protoarchimandritalis agitata, erat perpetuitas Consultorum Ordinis, quam una pars Religiosorum in officium quadriennale mutare desiderabat<sup>158</sup>.

Expleto officio protoarchimandritali P. Basilius electus est in Consulto-

<sup>153</sup> « D. Basilio Procevic del g. Cristoforo, e Barbara coniugi e Cattolici di Vilna della Lithuania in età di anni 20. Fu battezzato al Rito Latino, ma essendo passato alla Religione de Basiliani Ruteni doveva passare al Rito Greco; non ha nessun ordine ecclesiastico; ha studiata la rettorica; dice esser venuto a Roma mandato dal Vescovo di Chelma dal quale ha portato lettere; è entrato in Collegio questo dì 23 Novembre 1693; ha fatta la professione nella Religione; è partito dal Collegio li 8 Maggio 1699, dopo aver studiato tre anni di filosofia, altrettanti di teologia; per gratia speciale della S. Congregazione gli è stata conferita la laurea, ed ha havuti scudi cinquanta per il suo viatico; è di mediocre capacità, di maniere un poco rozze, e nel tempo che ha dimorato in Collegio ha data poca soddisfazione ». (terza mano): « Morì a dì 5 Maggio 1726 »; *Registro dei nomi... Coll. di Propag. Fide*, vol. I, p. 193; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, val. II, p. 147, nota 150.

<sup>154</sup> AS, t. XII, p. 145.

<sup>155</sup> *IBIDEM*, p. 166, et O. W. SČERBYTSKIJ, *Vilenskij Sviato-Troitskij Monastyr*, Vilnae 1885, p. 181.

<sup>156</sup> Vol. II, p. 21.

<sup>157</sup> *Videsis* vol. I, p. 76.

<sup>158</sup> Cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. III, p. 102 ss; 134, 148.

rem Ordinis advitalem, cui officio adiungebatur superioritas in diversis monasteriis <sup>159</sup>.

Mortuus est die 5 Maii, a. 1726.

## XV. MAXIMIANUS WITRYNSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA: ELECTUS 1717; DEPOSITUS 1719;  
REINTEGRATUS INTER ANNOS 1723-1724)

Primam eius mentionem invenimus in actis Capituli Bilensis a. 1709, uti concionatoris Minscensis <sup>160</sup>. In aliis autem actis, praesertim in processibus romanis, notatur eum ante electionem in Protoarchimandritam diversa munia in Ordine obiisse, uti concionatoris et praesertim Auditoris Curiae metropolitanae <sup>161</sup>, quod ultimum maxime vota capitularium eidem conciliasse videtur. Anno nempe 1717, in Capitulo Novogrodensi sub praesidentia Metropolitanae Leonis Kiszka electus est Maximianus in Protoarchimandritam quadriennale <sup>162</sup>. Cum tamen, uti e processu contra eum confecto constat, pessime vixisset et bona Ordinis delapidasset, dictus Metropolitae, convocato Capitulo (Cholmensi a. 1719, 6.VI) imprimis ab officio Protoarchimandritae eum suspendit inquisitionemque instituendam ordinavit, qua peracta novum Capitulum convocavit (Novogrodense a. 1719, 19-23, IX), ubi eum officio Protoarchimandritae privavit, excommunicavit et ad alia officia inhabilem declaravit <sup>163</sup>.

Tunc M. Witrynskyj simul cum Firmiano Wolk, Consultore Ordinis, item ab officio suo destituto, fugam arripuit et Romam se contulit, ubi mense Februario a. 1720 comparuit, sed illico incarceratus et per duos annos in monasterio Basilianorum Italicorum et dein in hospitio Polonorum detentus fuit, expectans sententiam tribunalis SCPF, ad quam a sententia Metropolitanae appellavit <sup>164</sup>. SCPF, instituto processu, decretum edidit die I Martii 1723, vi cuius ambo appellantes in suis officiis reintegrandi erant ad interim, donec novus processus a Nuntio Ap. Varsaviensi institueretur <sup>165</sup>. Revera, saltem

<sup>159</sup> In synodo Zamostiana a. 1720 erat uti Consultor Ordinis et Sup. Cholmensis; *Coll. Lacen.*, II, p. 16.

<sup>160</sup> *As.*, t. XII, p. 159, s. 4, n. 3 et p. 160, s. 5, n. 2.

<sup>161</sup> A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, vol. I, p. 127.

<sup>162</sup> *Cfr.* vol. II, p. 21.

<sup>163</sup> *IBIDEM* p. 147, et A. G. WELYKYJ, *l. c.*, *Acta SCPF*, vol. III, p. 188.

<sup>164</sup> A. G. WELYKYJ, *l. c.*, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 131, 132; *Acta SCPF*, vol. III, p. 188.

<sup>165</sup> A. G. WELYKYJ, *Congregationes Particulares*, vol. I, p. 186; BLAZEJOWSKYJ putat, processum a Metropolitana non secundum omnes exigentias iuridicas peractum fuisse, ideoque novum instituendum ordinatum fuisse; *o. c.*, p. 100.

mense Octobri a. 1723<sup>166</sup>, post eorum reditum in patriam, illi in suis officiis a Nuntio Ap. Varsaviensi reintegrati sunt, cum pessimo tamen effectum. Nam in Protoarchimandritam restitutus, cum vidisset processum a Nuntio Ap. institutum minus sibi favorabilem iri, vindictam de suis adversariis parabat<sup>167</sup>, thesauros monasteriorum ecclesiarumque colligebat, ita ut a Nuntio Ap. denuo suspendi debuisset<sup>168</sup>. Antonius Zawadzkyj, qui iam antea, post depositionem Witrynskyj, in Protoarchimandritam a Capitulo electus est<sup>169</sup>, sed post reintegrationem huius ad officio cessavit, nunc a Nuntio Ap. Administrator provisionalibus Ordinibus deputatus est<sup>170</sup>.

Tunc M. Witrynskyj, mense Novembri a. 1724, ablatiis rebus collectis fugam petiit et imprimis Prussiam<sup>171</sup>, dein Vratislaviam<sup>172</sup> ac denique Bernam in Helvetia se contulit, ubi publice calvinismum professus est, immo Calvinistarum superintendens ibi devenit<sup>173</sup>, de quo facto Nuntius Ap. Varsav. alium processum, nempe super apostasia a fide<sup>174</sup> instituere debuit.

Cumque Witrynskyj, uti filius prodigus, qui «dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose... coepit egere» (Luc. 15, 13-15) in miseriam abiit<sup>175</sup>, tunc Nuntio Ap. in Altorff (Helvetia) cooperante et superatis difficultatibus ex parte protestantium<sup>176</sup>, conversus est a 1729<sup>177</sup> et, poenitentiam agens, directus fuit a SCPF ad Nuntium Ap. Varsaviensem pro pacificatione cum Ordine Basiliano<sup>178</sup>.

## XVI. ANTONIUS ZAWADZKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1719-1726, CUM INTERRUPTIONE ANNO 1723-1724)

Natus est e parentibus schismaticis in Pidhirja<sup>179</sup>. Post suum ingressum in Ordinem Basilianum philosophiae studuit in Academia Vilmensi, ubi die 23.XI.1691 Baccalaureus et die 3.VII.1693 Magister in philosophia est declaratus<sup>180</sup>.

<sup>166</sup> A. G. WELYKYJ, *ibidem*, p. 204.

<sup>167</sup> A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 237, 238, 260.

<sup>168</sup> Id SCPF confirmavit; *IBIDEM*, p. 254.

<sup>169</sup> Cfr. vol. II, p. 22.

<sup>170</sup> A. G. WELYKYJ, *l. c.*, p. 254.

<sup>171</sup> *IBIDEM*, p. 260.

<sup>172</sup> *IBIDEM*, p. 292, et *Congr. Part.* vol. I, p. 225.

<sup>173</sup> *IBIDEM*, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 282 et 260.

<sup>174</sup> *IBIDEM*, p. 280, et *Congr. Part.* vol. I, p. 240.

<sup>175</sup> *IDEM*, *Congr. Part.*, vol. I, p. 240.

<sup>176</sup> *IDEM*, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 324.

<sup>177</sup> *IBIDEM*, p. 326.

<sup>178</sup> *IBIDEM*, p. 327.

<sup>179</sup> « Vitam ei dedit Podguria, Podlachia fidem sanam »; *Manuscriptum Metropol. L. Kiszka*, apud J. SKRUTEN, in *Analecta OSBM*, Ser. I, t. I, p. 128.

<sup>180</sup> « 11. Antonius Zawadzki SS. D. N. Al. 23 novembr. 1691 B. ph.; 3 iulii 1693 Mgr. ph. » (Laureae Acad. Vilm.); cfr. *Analecta OSBM*, Ser. I, t. IV, p. 212.

Studiis peractis in Ordine varia munia obibat. Imprimis officio Vicarii monasterii Bytheniensis, dein Superioris Vitebscensis fungebatur et uti talis electus est in capitulo Bilensi a. 1709 in Consultorem advitalem Ordinis<sup>181</sup>. Dein etiam Superiorem Vilensem agebat<sup>182</sup>. Anno 1717 Protoarchimandrita M. Witrynskyj sibi eum in Secretarium proprium assumpsit<sup>183</sup>.

In Capitulo Cholmensi a. 1719, mense Junio celebrato, ad iudicandum Protoarchimandritam M. Witrynskyj, A. Zawadzkyj eligitur Vicarius Generalis tempore suspensionis M. Witrynskyj<sup>184</sup>; mox in Capitulo Novogrodensi, eiusdem anni mense Septembri, deposito M. Witrynskyj A. Zawadzkyj electus est in Protoarchimandritam quadriennem Ordinis<sup>185</sup> et Synodo Zamostianae participabat<sup>186</sup>. At a. 1723, mense Octobri, reintegrato M. Witrynskyj in officio Protoarchimandritae, A. Zawadzkyj ab officio cessavit<sup>187</sup>. Iterum M. Witrynskyj suspenso, Zawadzkyj deputatur a Nuntio Ap. in Administratorem temporalem Ordinis (a. 1724, mense Augusto)<sup>188</sup>. Secunda depositione et apostasia M. Witrynskyj sequuta agnoscitur iterum uti Protoarchimandrita, saltem ab a. 1725<sup>189</sup>. Anno 1726 Capitulum Bytheniense convocavit in quo alius in Protoarchimandritam electus est<sup>190</sup>. A. Zawadzkyj usque ad suam mortem Consultor Ordinis remansit vixitque in monasterio Bytheniensi, uti monasterii Superior<sup>191</sup>.

Anno 1730 coronationi imaginis thaumaturgicae B.V. Mariae Zyrovicensis, uti Proto-Consultor Ordinis, interfuit<sup>192</sup>. Hoc eodem anno collata est ei etiam administratio Archieparchiae Smolescensis et qua talis e commissu Metropolitae Athanasii Szeptyckyj inquisitionem peragebat in Archimandria Suprasliensi de amotione Archimandritae Lebeckyj<sup>193</sup>.

Anno 1733 commissa est ei etiam administratio Archimandriae Onuphriensis et Pustynensis, prope Mscislaviam, sed ob ingravescentem aetatem

<sup>181</sup> AS, t. XII, p. 142 et 159.

<sup>182</sup> IBIDEM, p. 170.

<sup>183</sup> A. G. WELYKYJ, *Congr. Part.*, vol. I, p. 194.

<sup>184</sup> Cfr. vol. II, p. 22.

<sup>185</sup> IBIDEM.

<sup>186</sup> *Coll. Lacensis*, t. II, col. 12, 16.

<sup>187</sup> A. G. WELYKYJ, *Congr. Part.*, vol. I, p. 204.

<sup>188</sup> IDEM, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 254; in *Congr. Part.*, vol. I, p. 226 vocatur « Oeconomus a Tribunali Nuntiaturae deputatus ».

<sup>189</sup> Adhuc enim a. 1725, 3.III, peracto processu in Nuntiatura Ap. Vars. super causa Witrynskyj, Antonius Zawadzkyj instabat apud SCPF pro electione Protoarchimandritae (IDEM, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 264), sed 14.IV, Zawadzkyj citatur iam uti Protoarchimandrita (IBIDEM, p. 266).

<sup>190</sup> Cfr. vol. II, p. 22.

<sup>191</sup> F.M.S., in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 28 Varsaviae 1868, p. 368.

<sup>192</sup> I. STEBELSKI, « Dwa wielkie światła », t. I, n. LXXII (Zawadzki).

<sup>193</sup> ARCHIMANDRIT NIKOLAJ, « Supraslskij Blagoviščenskij Monastyr », St. Peterburg, 1892, p. 231.

in Archimandritam benedici minime curavit, Superioratu contentus Bytheniensi<sup>194</sup>.

Mortuus est A. Zawadzkyj in monasterio Cholmensi, die 15.III.1737<sup>195</sup>.

Posteritati egregium exemplum reliquit virtutis amatoris<sup>196</sup>. Conscripsit etiam « *Sobornik albo pominnik cerkwi byteńskiej* », seu « *Dyptycha ecclesiae Bytheniensis* », quae iam a. 1610 a Paisio Sachowskyj coepta et ab a. 1620 per Silvestrum Kotlubaj continuata a nostro P. Antonio usque ad a. 1702 fuerunt perducta<sup>197</sup>.

## XVII. CORNELIUS STOLPOWYCKYJ-LEBECKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1726-1730)

Natus a. 1689, 17.III, filius Petri et Annae Lebecka, in Bielarussia; post suum ingressum in Ordinem Basilianum missus est Romam studiorum theologiarum causa ibique Collegium Graecorum S. Athanasii est ingressus die 3.XII.1716, sacerdotio initiatus<sup>198</sup>.

Patriam reversus, munere Rectoris Collegii Pontificii Volodymyriensis fungebatur et brevi etiam in Consultorem Ordinis advitalem est electus atque qua talis electus est in Protoarchimandritam Ordinis quadriennemem, in Capitulo Bytheniensi a. 1726<sup>199</sup>.

Anno 1729, die 15.II, iam Protoarchimandrita et Archimandrita Dermanensis (?) electus est in Archimandritam Suprasliensem, quam electionem accipere noluit ob discordantiam suffragiorum et condiciones appositae; scrutinio die 28.II iterato, unanimem electionem obtinuit sine ulla conditione, sed neque hac vice suum electioni praeiit consensum<sup>200</sup>.

Hoc eodem anno nominatus et consecratus fuit in Episcopum Volodymyriensem<sup>201</sup>, retento officio Protoarchimandritae; quo tamen nondum expleto,

<sup>194</sup> A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 42.

<sup>195</sup> *Manuscriptum Metr. L. Kiszka*, apud J. SKRUTEN, *l. c.*, p. 119.

<sup>196</sup> *IBIDEM*.

<sup>197</sup> *IBIDEM* et STEBELSKI, *o. c.*, et *Encyklopedyja Powszechna*, *l. c.*

<sup>198</sup> « Lebiski Cornelius, OSBM, sacerdos, (hoc anno convictor factus, postea Alumnus - ita conventum est), fil. Petri et Annae Lebiski, Lithuanus, Monachus S. Basilii, Ruthenus. Ingr. 3. decembr. 1716. Natus 17 martii 1689, an. 27. Stud. 4-o anno theologiae, diaconus, sacerdos; postea: Episcopus Vladimiriensis, Protoarchimandrita Ordinis (1729) »; ARCH. COLL. GRAECORUM, vol. 14, fol. 51v-52.

<sup>199</sup> *Cfr.* vol. II, p. 22; A. G. WELYKYJ, *Congregationes Part.*, vol. I, p. 240.

<sup>200</sup> ARCHIMANDRIT NIKOLAJ, *o. c.*, p. 230.

<sup>201</sup> Secundum STEBELSKI, *o. c.*, t. III, p. 220, consecratus est in Episcopum die 42 ante suam mortem, i. e. iam 11.XII.1729; sed in litteris SCPF ad Nuntium Ap. Vars., die 17.XII.1729, consideratur adhuc uti Nominatus tantum: « acciò si obblighi il P. Protoarchimandrita de Monaci Basiliani, *nominato Vescovo* di Vladimiria »; A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. III, p. 334.

die 22.I.1730, i. e. 42 die post suam consecrationem episcopalem, obiit <sup>202</sup>.  
Morte praeventus est in monasterio Latinorum Jatvicensi <sup>203</sup>.

XVIII. ANTONIUS (ANTONINUS) <sup>204</sup> TOMYLOWYCZ-LEBECKYJ <sup>205</sup>  
(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1730-1736)

Natus est a. 1675, uti filius Andreae et Catherinae, in Luck (Luceoria) in Ucraina. Iam uti Basilianus, sed nondum sacerdos ordinatus, missus est Brunsbergam studiis philosophicis et theologicis peragendis causa, quibus absolutis inter annos 1704-1711 patriam reversus, ibique sacerdos ordinatus, in diversis locis laborabat (Minsci, Pinski, Chelmae et Vilnae) sive uti professor, sive etiam uti magister novitiorum <sup>206</sup>.

Anno 1720, sub tempus Synodi Zamostianae, cui participabat, erat iam Secretarius Ordinis advitalis et Superior Bytheniensis <sup>207</sup>. Dein electus est imprimis Consultor Ordinis advitalis devenitque Superior Vilmensis <sup>208</sup> et qua talis electus est in Capitulo Novogrodensi a. 1730 Protoarchimandrita quadriennalis <sup>209</sup>, officium tamen suum protraxit ultra 4 annos usque ad a. 1736, uti videtur, propter bellum de successione polonica <sup>210</sup>.

Anno 1736, expleto officio protoarchimandritali, nominatus et consecratus est a Metropolita Athanasio Szeptyckyj Archiepiscopus Smolescensis <sup>211</sup>.  
Mortuus est die 23.IV.1745 <sup>212</sup>.

<sup>202</sup> STEBELSKI, l. c.

<sup>203</sup> ARCHIMANDRIT NIKOLAJ, l. c.

<sup>204</sup> In documentis vocatur aliquando Antonius (cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 20, 43. 65), aliquando vero Antoninus (cfr. *IBIDEM*, p. 50).

<sup>205</sup> Item hoc secundum nomen familiare aliquando ei additur (cfr. *IBIDEM*, *Acta SCPF*, vol. IV, p. 31).

<sup>206</sup> « Ordinis S. Basilii M. Andreae et Catherinae filius, Roxolanus, annorum 29, venit 23.IX.1704. jur. 25.III.1705. Provincialis, postea Archiepiscopus Smolescen., mortuus 1745.

Nota: Non presb. abivit ad suos, expeditus 3.III.1711. Laborat in Religione sua magister novitiorum.

Szept.: Ucrainus, natus in Luck, erat post absoluta Brusbergae studia professor, dein Protoarchimandrita Ordinis. In Sept. 1736 consecratus est a Metrop. At. Szeptycki in Archiep. Smolescen. (1736-1745).

« Hipler Frans... nennt Minsk, Pinsk, Chelm und Wilna als Orte seiner Wirksamkeit »; LÜHR, *Matr.*, S. 125, nr. 1051.

<sup>207</sup> Synodus Zamost., *Coll. Lacensis*, II, col. 12.; JULIAN BARTOSZEWSKI, in *Encykl. Powszechna*, t. 25, Varsaviae 1867, p. 358.

<sup>208</sup> Tamquam Superior Vilnen. construxit cupolam ecclesiae monasterii SS. Trinitatis; cfr. SČERBYTSKIJ, *Vilenskiij Sviato-Troitskiij Monastyr*, Vilnae 1885, p. 181.

<sup>209</sup> Cfr. vol. II, p. 23.

<sup>210</sup> BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 187, nota 17.

<sup>211</sup> A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 65.

<sup>212</sup> STEBELSKI, o. c., t. III, p. 241.

XIX. BASILIUS POLATYLO <sup>213</sup>

(PROTOARCHIMANDRITA, INTER ANNOS 1736-1743)

Natus est a. 1692 in Saklicze (dioecesis Vilmensis) e parentibus catholicis, Casimiro et Sophia etiam Polatylo. In Ordine Basiliano, novitiatu absoluto, studuit rhetoricae et ordinatus est diaconus. Postea missus Romam ad studia philosophica et theologica in Collegio Urbaniano de Propaganda Fide prosequenda ingressus 28.XII.1714, vestitus 27.I.1715 et solitum iuramentum praestitit die 30.XI.1715. Anno 1720 (I.IV) ordinatus est sacerdos et post 8 studiorum annos lauream in philosophia et theologia obtinuit (10.IV.1723) <sup>214</sup>.

Patriam reversus, post 13 annos laboris in Ordine, electus est in Capitulo Bytheniensi a. 1736 in Protoarchimandritam quadriennemem, hucusque uti Superior Polocensis <sup>215</sup>.

Anno 1739 in Cap. Leopoliensi alterius Congregationis Basilianae seu Protectionis B.V.M., in hoc Capitulo noviter erectae, Polatylo praesens erat uti Protoarchimandrita Congregationis SS. Trinitatis cum toto suo consultorio, ibique in fundamento decreti PP. Urbani VIII de uno tantum Protoarchimandrita in Ecclesia Ruthena constituendo seu « totius Russiae » protestabat contra electionem alterius Protoarchimandritae dictae novae Cong.nis <sup>216</sup>.

Erecta huiusmodi nova Congregatione Basiliana, hic Protoarchimandrita totum se dedit <sup>217</sup> ad uniendas ambas Congregationes in unam, quod et obtinuit <sup>218</sup>, etiamsi realisationem decreti pontificii hanc unionem praecipientis

<sup>213</sup> In documentis eius nomen diversimode redditur: Polatylo (A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 65, 90); Politylo (ib., 97, 98, 100); Politilo (ib., 111); Poletilo (ib., *Acta SCPF*, vol. III, p. 177); Politillo (ib., p. 208); Pollitylo (ib., p. 295).

<sup>214</sup> « Basilio Politilo figlio di Casimiro e Sofia Coniugi Poletilo Cattolici di Saclicio Diocesi di Vilna, nella Lithuania; Monaco Basiliano di anni 22; entrò in Collegio li 28 dicembre 1714 è ordinato diacono in rito greco, ha studiato rettorica; fu vestito li 27 Genaro 1715. Prestò il solito giuramento li 30 Nov. 1715.

Fu ordinato sacerdote il primo Aprile 1720, e celebrò la prima messa nella Chiesa de suoi Monaci Basiliani, detta de SS. Sergio e Bacco; Ricevette la laurea dottorale in filosofia, e teologia li 10 Aprile 1723 et havuti dalla Sac. Congr. scudi 70 per il viatico, vestiario, e cose di divozione partì dal Collegio a di 4 Maggio 1723, e da suoi Superiori fu fatto trattenere qualche tempo nella Chiesa del suo Ordine, detta SS. Sergio e Bacco, per esser assai attivo nel regolare le brighe di una sagrestia, e d'una chiesa; è stato per altro di tenue talento, facile a sussurrare, ma pronto; come timido a ritirarsi; facile ancora a mormorare; et è in oltre più volte stato corretto per i difetti di sensualità etc »; ARCHIVUM COLL. PROPAGANDA FIDE. *Registro dei nomi*, ecc., vol. I, p. 258.

<sup>215</sup> Cfr. vol. II, p. 23; Stebelski et Petrov ponunt Basilium Polatylo uti Protoarchimandritam ab. a. 1739, sed idem Stebelski in *Ostatnie prace*, p. 352 eiusdem electionem indicavit in capitulo Bytheniensi a. 1736.

<sup>216</sup> Cfr. vol. I, p. 79.

<sup>217</sup> Cfr. vol. I, p. 81.

<sup>218</sup> Decretum SCPF coram SS. Benedicto XIV die 1 Maii 1742; ib., p. 82; A. G. WELYKYJ, *Congregationes Part.*, vol. II, p. 75.

non vidit, nam paucis mensibus ante Capitulum Dubnense, die 6 Maii 1743, quo unio ista fuit peracta, ipse ex hac vita migravit<sup>219</sup>.

Hanc etiam ob causam, ut nempe unio ista perficeretur, SCPF Capitulum ad novum Protoarchimandritam eligendum, etiamsi tempus illius iam protractum est, convocare non permittebat<sup>220</sup>.

THEODOSIUS KONIACZEWSKYJ  
(*Vicarius Generalis a. 1743*)

Hic tamquam Proto-Consultor Congregationis SS. Trinitatis seu Lithuaniae eo ipso successit vita functo Protoarchimandritae, uti Vicarius Generalis, omniaque praeparavit ad famosissimum Capitulum Ordinis Basiliani saec. XVIII, in quo nempe duae Congregationes in unum Ordinem unitae sunt, seu Dubnense a. 1743, in eoque ipse repraesentabat Congregationem SS. Trinitatis (Lithuanam), *Nexum* Ordinis cum Metropolitano et Resolutiones unionem Congregationum concludentes subscripsit<sup>221</sup>.

Cumque in eodem Capitulo alius Protoarchimandrita electus est, Koniaczewskyj in contemporaneo Capitulo provinciali provinciae Lithuaniae in eiusdem Provincialem electus est<sup>222</sup>.

In fine, a. 1751, in Capitulo generali Berestensi electus est in Proto-Consultorem totius Ordinis ex provincia Lithuana ad octennium<sup>223</sup>.

XX. PATRICIUS ZYRAWSKYJ

(UNICUS PROTOARCHIMANDRITA CONGREGATIONIS PROTECTIONIS B.V.M.,  
SEU RUTHENAE, ELECTUS A. 1739; RENUNTIAVIT A. 1741)

Ipse pertinebat ad Congregationem SS. Trinitatis seu Lithuanam.

Anno 1720 in Synodo Zamostiana participabat qua Secretarius Protoarchimandritae Antonii Zawadzkyj<sup>224</sup> (diversus a Secretario Ordinis adventali, qui tunc erat Antonius Tomyłowycz) eratque etiam Superior Polonicensis<sup>225</sup>.

<sup>219</sup> Videtur mense Februario; cfr. litteras SCPF ad Nuntium Ap. Dresdae, 9.III.1743: « Attesa la notizia avutasi della morte del Proto Archimandrita di cotesti Monaci Basiliani Ruteni della Congregazione della SS.ma Trinità »; A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 145.

<sup>220</sup> Cfr. litteras SCPF 25.III.1741 ad Prot. Polatylo; (IB., p. 112); 19.VIII.1741 ad Nuntium Ap. Dresdae (IB., p. 114).

<sup>221</sup> Cfr. vol. I, p. 85, 86.

<sup>222</sup> Cfr. vol. II, p. 32.

<sup>223</sup> APF, *CP.*, 1750-52, vol. 114, f. 307.

<sup>224</sup> *Collectio Lacensis*, II, col. 12, 16, et STEBELSKI, o. c., III, p. 434.

<sup>225</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. III, p. 225.



Inter annos 1726-1729 officio Procuratoris generalis in Urbe fungebatur, missus ab Officio generali, ut substitueret Benedictum Trulewycz, cui negligentia in defendendis iuribus Ordinis obiiciebatur, quia admisit, ut M. Wityrskyj cum tanto damno Ordinis in officio Protoarchimandritae reintegratus sit<sup>226</sup>. Sua procuratura durante sanctuarium ecclesiae SS. Sergii et Bacchi renovavit, ubi collocata fuit imago thaumaturgica Romano-Zyrovicensis<sup>227</sup>.

Expleto hoc officio reversus est in patriam et in Capitulo Novogrodensi a. 1730 electus est Secretarius Ordinis advitalis atque Superior Vilnensis designatus, nam qua talis participabat in coronatione imaginis thaumaturgicae Zyrovicensis, statim post Capitulum hoc peracta<sup>228</sup>. Dein, in Capitulo Bythnensi a. 1736, electus est Consultor Ordinis advitalis, conservando Superioratum Vilnensem; dum eligebatur Protoarchimandrita in hisce duabus erat officiis. Erecta enim nova Congregatione Basiliana, seu Protectionis B.V.M. in Capitulo Leopoliensi a. 1739, cui Zyrawskyj participabat in characterе Consultoris generalis alterius Congregationis insimul cum tota Curia generali, rogatus est a nova Congregatione, ut assumeret in ea Officium primi Protoarchimandritae, qui accepta licentia a propria Congregatione munus hoc acceptavit, ad quadriennium tantum. Sed propterea, quod transeundo ad novam Congregationem amisit suum consultoratum advitalem, nova haec Congregatio, etiamsi in suis constitutionibus non permittebat Consultores advitales, sed quadriennales tantum, hoc non obstante agnovit suo primo Protoarchimandritae, post expletum hoc officium, etiam consultoratum advitalem. Attamen Zyrawskyj, officio non expleto, nam tempore illo tum ex parte Congregationis Lithuanæ<sup>229</sup>, tum ipsius S. Sedis<sup>230</sup> omnia conamina tentabantur, ut ex duabus Congregationibus una constitueretur, officio Protoarchimandritae renuntiavit 12.I.1741<sup>231</sup>.

Ipsi adscribitur compositio pro Congregatione Protectionis B.V.M. Summarii Regularum S. Basilii M., Poczajoviae typis editi a. 1740: « *Ustawy Sw. Oyca naszego Bazylego W. wkrótce zebrane, w konwencie Poczajowskim Zakonu tegoż* »<sup>232</sup>.

<sup>226</sup> **IBIDEM.**

<sup>227</sup> **IBIDEM**, p. 264.

<sup>228</sup> **STEBELSKI**, l. c.

<sup>229</sup> **Cfr.** vol. I, p. 81.

<sup>230</sup> Quod S. Sedes iam tunc de unione Congregationum deliberabat, id maxime ex eo patet, quod SCPF, iam ab anno expirato termino officii protoarchimandritalis in Congregatione SS. Trinitatis, eidem Capitulum convocare non permittebat; cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 112.

<sup>231</sup> **BLAZEIOWSKYJ**, o. c., p. 102 et 187, nota 19.

<sup>232</sup> **KRAČKOWSKIJ N.**, « Očerki uniatskoj Tserkvy », in « Čtenija v Imperators-

## INNOCENTIUS LYPNYCKYJ

(*Vicarius Generalis Congregationis Protectionis B.V.M.  
inter annos 1741-1743*)

In capitulo Leopoliensi a. 1739, quo Zyrawskyj electus fuit Protoarchimandrita, ipse electus est Proto-Consultor Ordinis ad quadriennium; hucusque J. Lypnyckyj erat Auditor Curiae metropolitanae<sup>233</sup>.

Anno 1741 nominatus est in Archimandritam Dorohobuscensem, sed ob litem inter Congregationem SS. Trinitatis et Metropolitam de hac nominatione non fuit benedictus<sup>234</sup>.

Cum vero eodem anno P. Zyrawskyj officio Protoarchimandritae renuntiaverit, Lypnyckyj ipso facto, tamquam Proto-Consultor, devenit Vicarius Generalis rexitque Congregationem Ruthenam usque ad Capitulum Dubnense a. 1743 celebratum. Interim tamen nominatus et installatus est Archimandrita Ovrucensis, qua de causa nullum officium neque Ordinis neque provinciae in Capitulo illo obtinuit, ratione dignitatis abbatialis. Subscripsit tamen, uti Vicarius Generalis, et *Nexum* Ordinis cum Metropolita et Resolutiones unionem Congregationum concudentes, nec non acta capitularia, sed sola ratione dignitatis archimandritalis<sup>235</sup>.

Mortuus est a. 1748, nam acta diei 23.V.1748 loquuntur de eius spolio<sup>236</sup>.

## XXI. POLYCARPUS MYHUNEWYCZ

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA LITHUANA, INTER ANNOS 1743-1747)

Natus est a. 1679 in dioecesi Vilnensi, uti filius Basili et Annae. Post ingressum in Ordinem Basilianum, ab a. 1700 superiora studia Brunsbergae peragebat<sup>237</sup>.

kom Obsčestvi istoriji i drevnostej Rossijskich pry Moskovskom universyteti », Mosquae 1876, liber III, p. 297.

Postea typis editum est aliud summarium: « *Summariusz reguł Sw. Oyca naszego Bazylego W. z reguł obszerniejszych i krótszych, z konstytucij mniskich i nauk jego zakonnych wkrótce zebrany*, wydrukowany cum permissu Superiorum w Typografij Ko. M. Poczałowskiej 1741 r. »; *IBIDEM*, p. 298.

<sup>233</sup> Cfr. Acta capituli; APF, CP, 1742, vol. 91, f. 283 ss.

<sup>234</sup> BLAZEJOWSKYJ, o. c., p. 126; A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, IV, 114, 116.

<sup>235</sup> Cfr. Acta capituli; APF, CP, 1744, vol. 92, ff. 302ss.

<sup>236</sup> WOLYNIAK, *Bazylianie w Owruczu*, in *Przewodnik Naukowy i Literacki*, rocznik 38 (1910), p. 1022.

<sup>237</sup> « Fr. Polycarpus Mihuniewicz fil. Basili et Annae, Lithuanus, dioec. Vilnen., annorum 21, venit 1700, 18.VII, jur. 18.I.1701; 1740 Generalis primus Ordinis »; LÜHR, *Matrk.*, S. 121/2, nr. 1022.

Postea, in Synodo Zamostiana a. 1720 participabat uti Superior Zyrovicensis<sup>238</sup>; in coronatione vero imaginis thaumaturgae Zyrovicensis a. 1730 iam uti Proto-Consultor Ordinis advitalis et Superior Novogrodensis appareret<sup>239</sup>. Anno 1739 in Capitulo Leopoliensi praesens erat cum Curia generali Congregationis SS. Trinitatis, uti Proto-Consultor Ordinis, Superior Novogrodensis et etiam Lavryšoviensis<sup>240</sup>.

Denique a. 1743 in Capitulo generali Dubnensi, quo unio duarum Congregationum peracta est, ipse praesens erat qua Proto-Consultor Congregationis Lithuanae et simul Superior Bilensis (Albae Ducalis) eratque in illo imprimis confessarius capitularis electus et postea primus Protoarchimandrita Ordinis e provincia Lithuana ad quadriennium. Officio hoc rite functus est, convocando sequens Capitulum generale Berestense a. 1747<sup>241</sup>.

Eodem autem anno nominatus est a rege Poloniae Federico Augusto in Archiepiscopum Smollescensem, sed, probabiiter, ut Nominatus obiit<sup>242</sup>.

## XXI. HYPATIUS BILYNSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA RUTHENA, DUPLICI VICE; INTER ANNOS: 1747-1751 ET 1759-1771)

Natus est die 23.IV.1704 in terra Peremysliensi, uti filius Petri et Catharinae Paszkowska. Ordinem Basilianum ingressus est in monasterio Zydyczyński 21.XI.1729. Studia philosophica in Seminario Leopoliensi, a PP. Theatinis directo, peregit et die 24.VI.1736 sacerdos ordinatus est. Postea, per 2 annos circa, erat concionator et assistens Metropolitae Athanasii Szeptyckyj atque ab a. 1738 Hegumenus monasterii S.ti Georgii Leopoli et Officialis Leopoliensis<sup>243</sup>.

In Capitulo Leopoliensi a. 1739, in quo nova Congregatio Basiliana Protectionis B.V.M., seu Ruthena erecta fuit, electus est Consultor eiusdem, et qua talis participabat in Capitulo generali Dubnensi a. 1743, ibique *Nexum* cum Metropolita et Resolutiones Congregationum unionem concludentes subscrip-

<sup>238</sup> *Coll. Lacen.*, II, p. 12, 16.

<sup>239</sup> STEBELSKI, o. c., t. III, p. 434.

<sup>240</sup> WOLYNIAK, « Z przeszłości Zakonu Bazylińskiego na Litwie i Rusi », in *Przewodnik Naukowy i Literacki*, a. 32 (1904), p. 264.

<sup>241</sup> Cfr. *Acta capitulorum*; APF, CP, a. 1744, v. 92, ff. 302 ss.; CP, a. 1750, v. 114, f. 396; vol. II, p. 24.

<sup>242</sup> STEBELSKI, o. c., t. III, p. 241, et J. PELESZ, *Geschichte der Union*, Bd. II, Wien 1880.

<sup>243</sup> J. SKRUTEN, *Biliński Jerzy Hipacy*, in *Polski Słownik biograficzny*, t. II, 1, Kraków 1936, p. 96.

sit. In Capitulo provinciali contemporaneo electus est Provincialis provinciae Ruthenae<sup>244</sup>.

Sequenti Capitulo generali Berestensi a. 1747 electus est in Protoarchimandritam Ordinis, primus e provincia Ruthena, ad annos quatuor<sup>245</sup>. Expleto hoc turno officii protoarchimandritalis convocavit novum Capitulum generale Berestense a. 1751, in quo electus est Consultor generalis ad octennium, quo tamen non expleto, in Capitulo provinciali Poczajoviensi a. 1755 electus est secunda iam vice Provincialis provinciae Ruthenae<sup>246</sup>. Officio hoc rite functo in sequenti Capitulo generali Berestensi a. 1759 electus est secunda iam vice in Protoarchimandritam ad octennium<sup>247</sup>. Interim, a. 1763, praesidebat auctoritate protoarchimandritali Capitulis provincialibus Ordinis<sup>248</sup>. Anno 1768 nominatus est etiam Archimandrita Lavroviensis (benedictus in Zabcze a Metropolita Volodkowycz). Anno 1770 adhuc curabat de coronatione imaginis thaumaturgae B.V.M. Poczajoviensis<sup>249</sup>.

Mortuus est die 8.IV.1771, i. e. in officio Protoarchimandritae, cuius tempus ob temporum circumstantias politicas protractum fuit; ideo usque ad novum Capitulum generale convocandum turnum eius explevit Vicarius Generalis ex eadem provincia Ruthena electus<sup>250</sup>.

## JOACHIMUS SPENDOWSKYJ

(*Vicarius Generalis, e provincia Ruthena, anno 1771-1772*)

In capitulo Berestensi a. 1759, quod ingressus est uti Superior Luceorien-sis, e provincia Ruthena, electus est Secretarius Ordinis generalis<sup>251</sup>. Interim nominatus fuit Archimandrita Kanioviensis, post Athanasium Szeptyckyj, qui a. 1762 promotus est in Episcopum Peremysliensem<sup>252</sup>. Tunc, iam Archimandrita, in Capitulo provinciali Bilostocensi a. 1763, ob electionem Proto-Consultoris generalis, Josaphat Sidleckyj, in Provinciale, J. Spendowskyj nominatus fuit a Consultorio generali in Proto-Consultorem generalem<sup>253</sup>.

Hinc anno 1771 Hypatio Bilynskyj, Protoarchimandrita e provincia Ruthena vita functo, Spendowskyj ipso facto eum successit uti Vicarius Gene-

<sup>244</sup> APF, CP, 1742, vol. 91, f. 288; CP. 1744, vol. 92, ff. 302ss., et vol. II, p. 32.

<sup>245</sup> Vol. II, p. 25.

<sup>246</sup> IBIDEM, p. 35.

<sup>247</sup> IBIDEM, p. 26.

<sup>248</sup> IBIDEM, p. 36.

<sup>249</sup> J. SKRUTEN, o. c.

<sup>250</sup> IBIDEM, et cfr. vol. II, p. 26; BŁAŻEJOWSKYJ, o. c., p. 188, nota 21.

<sup>251</sup> Cfr. Acta capituli, sessio I; APF, Scr. CG., 1763, v. 800, ff. 173 ss.

<sup>252</sup> A. G. WELYKYJ, Acta SCPF, vol. V, p. 10.

<sup>253</sup> IBIDEM, et cfr. vol. II, p. 36.

ralis usque ad Capitulum generale Berestense a. 1772, convocatum a Nuntio Ap. Varsaviensi Angelo Durini<sup>254</sup>. In hoc tamen Capitulo Spendowskyj nullum officium neque generale neque provinciale obtinuit, ut videtur, ob eius dignitatem archimandritalem, qua de causa Archimandritae coram Romano Pontifice iniuste conquerebantur, ac si contra decretalem « *Super Familiam* » hac in parte negligenterentur. SCPF libertati Electorum praeiudicare tamen noluit<sup>255</sup>.

Mortus est Spendowskyj ante annum 1780, quia tunc Archimandriam Kanioviensem obtinebat Innocentius Matkowskyj<sup>256</sup>.

### XXIII. HERACLIUS LYSANSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA LITHUANA, INTER ANNOS 1751-1759)

Natus est in districtu Kamenec Podilskyj, in Ucraina occidentali, a. 1702. Studia peregit in Ordine Basiliano usque ad philosophiam inclusive; ideo Romam ad Collegium Urbanum de Propaganda Fide missus (intravit 4.XII.; vestitus 16.XII.1725; iuramentum praestitit 10.XI.1726), illico, praevio examine e philosophia praemisso, destinatur theologiae studendae. Anno 1727 SS. Ordines accepit usque ad sacerdotium. Denique, a. 1729 (2.IV), laureatus in philosophia et theologia in Septembri in patriam remeavit<sup>257</sup>.

Anno iam sequenti, in Capitulo Novogrodensi, Protoarchimandrita Tomylowycz eum in privatum Secretarium sibi adsumpsit<sup>258</sup>. Anno 1736, in Capitulo Bytheniensi, electus fuit Secretarius Ordinis advalitalis et Superior Polonicensis designatus, et qua talis participabat in Cap. Leopoliensi a. 1739.

<sup>254</sup> Vol. II, p. 26.

<sup>255</sup> A. G. WELYKYJ, l. c.

<sup>256</sup> Cfr. Acta capituli provincialis Torokanensis a. 1780 provinciae Polonae; item cfr. vol. II, p. 37.

<sup>257</sup> « Eraclio Lisanski del distretto Caminecense nel Palatinato di Podolia; Religioso dell'Ordine di S. Basilio Magno d'anni 22 incirca; entrò in Collegio a di 4 dicembre 1725 d'ordine della Sacra Congregazione. Ha studiato quasi tutta la filosofia; sa la lingua latina e polacca, onde è stato mandato alla scuola di Theologia, essendosi riconosciuto d'un esame fattogli da due Lettori di Theologia, che ha studiato la predetta filosofia con molto profitto. Fu vestito la mattina delli 16 dicembre 1726, e mostra essere assai studioso, e morigerato. A di 10 Novembre 1726 prestò li giuramenti. A di 20 Aprile 1727, essendo la Domenica in Albis, celebrò la prima Messa nella nostra Chiesa. Fu dottorato in filosofia e theologia li 2 Aprile 1729. A di primo Settembre 1729, compiti lodevolmente e con profitto li studi, partì di ritorno alla Patria, avendo avuti sc. 70 per il viatico, vestiario e robbe di devozione, essendo vissuto da buono Religioso et Alunno»; COLL. URBANUM, *Registro degli Alunni*, vol. I, p. 290; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. III, p. 238.

<sup>258</sup> Quia qua talis iam erat in coronatione imaginis thaumaturgicae Zyrovicen. et cfr. A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, vol. IV, p. 34.

Anno 1742 <sup>259</sup>, vel 1743 fit Consultor Ordinis, qua cum dignitate ingressus est Capitulum Dubnense a. 1743 <sup>260</sup>. In comtemporaneo Capitulo provinciali eligitur in Proto-Consultorem provinciae Lithuanae <sup>261</sup>.

Tempore Capituli generalis Berestensis a. 1747 iterum eligitur in Provincialem Lithuanae <sup>262</sup> et in Capitulo generali Berestensi a. 1751 in Protoarchimandritam Ordinis ad octennium <sup>263</sup>, obtento mox privilegio, sibi suisque Successoribus insigniis archimandritilibus seu pontificalibus uti <sup>264</sup>.

Secundum constitutiones an. 1755 capitulis provincialibus intermediis praesidebat <sup>265</sup>

Dein a. 1756 decretalem Benedicti PP. XIV: « *Super Familiam* » <sup>266</sup> obtinuit, qua disciplina Archimandritarum in Ordine Basiliano ordinata fuit.

Expleto officio protoarchimandritali (a. 1759) iterum eligitur in Provincialem provinciae Lithuanae <sup>267</sup>, sed a. 1762 nominatur Archiepiscopus Smolenscensis et Archimandrita Onuphriensis. In Archimandritam benedictus et installatus est die 10.X.1762, in Archiepiscopum vero consecratus in Volodymyr die 27.IX.1763. Anno 1765 (15.IX) imaginem thaumaturgicam Cholmensem coronavit <sup>268</sup>.

Anno 1767 adsumpsit sibi Coadiutorem Josephum Lepkowskyj, qui postea ei in Archiepiscopatu successit <sup>269</sup>. Ut Archiepiscopus Smolenscensis curam habuit de omnibus Catholicis in Imperio Rossiaco. Obiit die 14.V.1771 <sup>270</sup>.

Natura ingenio donatus, laurea duplicis doctoris ornatus, caractere assiduus et pius pertinebat ad illam Basilianorum classim, quae saec. 18 eximia servitia tum Ecclesiae Ruthenae tum nationi Ucrainae et Bielorusssae reddidit.

<sup>259</sup> APF, CP, 1742, v. 91, ff. 283 ss., et A. G. WELYKYJ, *Litterae SCPF*, v. IV, p. 119.

<sup>260</sup> APF, CP, 1744, v. 92, ff. 302 ss.

<sup>261</sup> Cfr. vol. II, p. 32.

<sup>262</sup> IBIDEM, p. 33.

<sup>263</sup> IB., p. 25.

<sup>264</sup> A. G. WELYKYJ, *Documenta Rom. Pont.*, v. II, p. 126.

<sup>265</sup> Cfr. vol. II, p. 35.

<sup>266</sup> A. G. WELYKYJ, *ibidem*, p. 161.

<sup>267</sup> Cfr. vol. II, p. 36.

<sup>268</sup> De hisce omnibus cfr. JULIAN BARTOSZEWSKI in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 17, Varsaviae 1864, p. 132 ss.

<sup>269</sup> (1771-1778); PELESZ, o. c., vol. II, p. 714.

<sup>270</sup> Ita J. BARTOSZEWSKI, ut supra; STEBELSKI vero, o. c., t. III, p. 241, mensem Martium indicat, i. e. 14.III.1771.

## XXIV. PORPHYRIUS SKARBEK-WAZYNSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA LITHUANA, DUPLICI VICE, INTER ANNOS:  
1772-1780 ET 1788-1789)

Natus est die 5 Augusti 1732 in Bielorussia, uti filius Casimiri et Victoriae. In Ordine Basiliano studiis incumberebat usque ad theologiam et, diaconus ordinatus, missus fuit Romam theologiae studendae causa; Collegium Graecorum S. Athanasii ingressus est die 26 Octobris 1754. E Collegio discessit, studiis absolutis, die 27 Martii 1758<sup>271</sup>.

In patria, fuit imprimis Professor philosophiae in Polock<sup>272</sup>, dein Rector scholarum in Buczacz, denique Rector Collegii Pontificii Volodymyriensis (ad a. 1772)<sup>273</sup>. Anno 1772 ingressus est Capitulum generale Berestense uti vocalis Volodymyriensis atque in eo electus est in Protoarchimandritam ad octennium<sup>274</sup>. Post primam divisionem Poloniae (1772), in qua provincia Ruthena cessit Austriae, Wazynskyj defensionem procurabat monasteriorum Galiciae (a. 1774), ne supprimerentur a Gubernio Austriaco Mariae Theresiae (suppressa sunt 26 monasteria et remanserunt 22)<sup>275</sup>. Anno 1772 facultatem obtinuit Basilianos ad lauream doctoralem promovendi<sup>276</sup>.

Expleto primo turno officii, privilegium personale obtinuit uti insignis archimandritalis et titulo Ex-Generalis (a Pio XI, 10.XII.1780)<sup>277</sup>. Brevi tamen in Coadiutorem Archimandritae Zydzczynensis Ignatii Wolodzko promotus<sup>278</sup> eam iure Coadiutoriae mox obtinuit, et a. 1784 in Capitulo provinciali Torokanensi electus est in Provinciale Lithuaniae<sup>279</sup>.

Denique a. 1788, in Capitulo Zydzczynensi, electus est altera vice in Protoarchimandritam ad aliud octennium<sup>280</sup>, sed hac vice turnum suum non ex-

<sup>271</sup> « Wazynski Porphyrius, OSBM, fil. Casimiri et Victoriae ex Lithuania; ing. 26 Octobr. 1754; nat. an. 1732, die I Aug.; stud. theologiae; ordin. diaconus; discessit die 27 Martii 1758, absolutis studiis; postea: Episcopus Chelmensis »; COLL. GRAECORUM, vol. 13, fol. 10v-11. JULIAN BARTOSZEWSKI, in *Encyklopedyja Powszechna*, t. 26, Varsaviae 1867, p. 602 ss., notat, eum studia peregrisse etiam in aliis academiis italicis.

<sup>272</sup> « Kazanie na uroczystość B. Jozafata Kuncewicza Arcybisk. Połockiego Biskupa Witebskiego... », miane w Katedrze Połockiey R. MDCCLXII, przez X. Porfirego Wazynskiego Z. S. Bazylego W. Filozofii na ten czas Professora, w Wilnie w Druk. XX. Bazylianów »; ADAM JOCHER, o. c., t. II, p. 430.

<sup>273</sup> J. BARTOSZEWSKI, o. et l. c.

<sup>274</sup> APF, Scr. CG. 1775, v. 842, f. 417 ss. et cfr. vol. II, p. 27.

<sup>275</sup> CHOTKOWSKI W., *Redukcje monasterów Bazyliańskich w Galicji*, in *Polska Akademię Umiejętności*. Wydz. Historyczno-Filozoficzny, *Rozprawy*, Ser. II, t. 38 (63), Kraków 1922, p. 6-8. Illo tempore edidit suum opus: PORPHYRIUS WAZYNSKI, OSBM, *Orationum seu exercitationum oratoriarum pars 2-da*, Vilnae 1773.

<sup>276</sup> Cfr. supra, p. 59.

<sup>277</sup> Supra, p. 77.

<sup>278</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 124.

<sup>279</sup> Cfr. vol. II, p. 38.

<sup>280</sup> IBIDEM, p. 28.

plevit, quia iam in Decembri 1789 nominatus est Episcopus Cholmensis <sup>281</sup>. Post tertiam divisionem Poloniae haec eparchia Austriae cessit et tunc omnes tres Episcopi ucraini in Imperio Austriaco (Skorodynskyj, Leopoliensis, et Anhelowycz, Peremysliensis), etiamsi agnoscebant Metropolitam Rostockyj, qui Petropoli degere fuit constrictus, attamen, ob rerum adiuncta, restaurationem Metropoliae Haliciensis a sede Apostolica postulabant vel saltem pro P. Wazynskyj Coadiutoriam Kioviensem supplicabant <sup>282</sup>.

Ut Episcopus Cholmensis novam rationem regiminis Basilianorum in Austria accepit et ex parte sua approbavit <sup>283</sup>.

Obiit die 9 Martii 1804.

Elogia, quae sibi iure meruit, saepe in relationibus SCPF repetuntur, immo in ipsis litteris Romanorum Pontificum. Ut alia omittamus, duo tamen hic afferre utile putamus: « la elezione del Protoarchimandrita... in persona del Padre Porfirio Skarbek-Wazynski, uomo molto rispettabile per i natali, per le sue virtù, per l'attaccamento alla Cattolica Religione, e per l'osservanza delle monastiche Costituzioni » <sup>284</sup>; vel Pii PP. VI: « Antequam ad Nos pervenerunt litterae tuae, die 15 Novembris datae, iam Nobis innotuerant praeclara merita tua, quae, quoties occasio tulerat, dilectus filius Stephanus Borgia, nostrae de Propaganda Fide Congregationis a Secretis, pro suo munere Nobis referebat » <sup>285</sup>.

## XXI. JOSEPHUS MORGULEC

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA RUTHENA, INTER ANNOS 1790-1786)

Natus est die 6.I.1733, in Villa Miloslaw, in palatinatu Volhyniae, e parentibus Theodoro et Marianna. Scholas frequentavit Patrum S. J. in Ostroh (Ucraina occidentalis). Ordinem Basilianum ingressus est in monasterio Hoscensi a. 1750, professionem autem emisit a 1751. Studuit rhetoricae in monasterio Hoscensi a. 1754 et theologiae Leopoli in monasterio Sti Georgii, a. 1755; postea ad studia theologica continuanda missus est Brunsbergam, unde rediit I.VII.1758 ad monasterium Zahoroviense et in cathedra Volodymyriensi ordinatus est sacerdos ab Episcopo Cholmensi, Feliciano Wolodkowycz, die 6.IX.1758. Deinde in variis occupatus fuit monasteriis: Ovrucz,

<sup>281</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 178.

<sup>282</sup> J. BARTOSZEWSKYJ, l. c.

<sup>283</sup> Cfr. vol. I, p. 118.

<sup>284</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 57.

<sup>285</sup> IDEM, *Documenta Pontificum Romanorum...*, II, p. 285, et cfr. etiam Clementis PP. XIV; IBIDEM, p. 225.



Lavriw, Pidhirci. Anno 1764 tradebat theologiam scholasticam Basilianis in monasterio Leopolitano. Fuit Superior in Szczeploty et Zamostia <sup>286</sup>.

Anno 1763, cum Joachim Spendowskyj electus fuit in Secretarium Ordinis in cap. Berest. a. 1759 et postea, P. Sidleckyj ad officium Provincialis promotus, electus a Consultorio Generali in Proto-Consultorem Ordinis, P. Morgulec ei in officio Secretarii generalis successit <sup>287</sup>.

Sub tempus Capituli generalis Berestensis a. 1772 P. Morgulec electus fuit in Proto-Consultorem provinciae Ruthenae <sup>288</sup>, in Capitulo provinciali Unioviensi (1776) electus est in Provincialem eiusdem provinciae <sup>289</sup>. Anno 1779, Archimandriam Mielecensem post mortem Leonis Szeptykyj Metropolitanæ Kioviensis et Ep. Leopoliensis obtinuit <sup>290</sup>. Ac denique in Capitulo generali Torokanensi a. 1780, quo Ordo in quatuor provincias divisus est, electus est in Protoarchimandritam ad octennium <sup>291</sup>, sed turno non expleto, morte praeventus est a. 1786 <sup>292</sup>.

## HIEROTHEUS KORCZYNSKYJ

(*Vicarius Generalis, e provincia Ruthena, inter annos 1786-1788*)

Proveniebat e dioecesi Peremysliensi (filius Stephani). Post ingressum suum in Ordinem Basilianum in provincia Ruthena, missus est ad studia superiora peragenda Romam; in Collegium Urbanum de Prop. Fide acceptus die 6.VI.1760 solitum iuramentum praestitit <sup>293</sup>.

Post suum reditum in patriam erat Superior monasterii S.ti Georgii, Leopoli. Electus in Capitulo generali Berestensi a. 1772 Procurator generalis in

<sup>286</sup> « V. F. Josephus Morgulec Ord. D. Basili - par. Theodorus et Marianna, Ruthenus, natus 1733; venit 25.IX.1755, jur. 26.III.1756; seit lat. pol. slav. - Generalis totius Ordinis, Abbas Mielecensis.

Nota: Exp. in suam Prov. 29.VI.1758»; LÜHR, *Die Matrikel des Päpstl. Seminars zu Braunsberg*, p. 157, nr. 1403; cfr. A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 121, nota 85.

<sup>287</sup> Cfr. vol. II, p. 36; ideoque in capitulo Beresten. a. 1772 de eo dicitur: «lectae sunt (scil. litterae convocatoriæ) per V.A.R.P. Josephum Morgulec, *Secretarium Ordinis*» (sessio 1).

<sup>288</sup> Cfr. vol. II, p. 37.

<sup>289</sup> IBIDEM.

<sup>290</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta*, vol. V, p. 122, nota 85; PETROV-SULŻYNSKYJ, *Kratkija izviestija o položeniji Baziljanskaho Ordena...*, in TKDA, 1868, t. III, p. 150.

<sup>291</sup> Cfr. vol. II, p. 27.

<sup>292</sup> PETROV-SULŻYNSKYJ, *art. et l. c.*, p. 152.

<sup>293</sup> « Ieroteo Korizinski. Nel libro 2-do dei Giuramenti, p. 380 si legge come segue: Anno 1760 die 6 Aprilis Hierotheus Korczynski Ordinis Sancti Basili Magni Provinciae Polonae sub tit. Prot. Beat.mae Virg. Mariae professus, filius Stephani Korczynski, Dioecesis Praemysliensis etc. per cui viene a rileversi che nel giorno 6 di Aprile 1760 prestò li soliti giuramenti, e era Monaco Ruteno»; ARCH. COLL. DE PROP. FIDE, vol. I, p. 444 nova.

Urbe, obtinuit sibi suisque Successoribus privilegium concionibus in Palatio Ap. assistendi <sup>294</sup>. Expleto hoc officio electus est in Capitulo gen. Torokanensi a. 1780 Proto-Consultor Ordinis. Josepho Morgulec morte praematura correpto (a. 1786), ille qua Vicarius Generalis turnum provinciae Ruthenae terminavit.

Ideo etiam sequens Capitulum gen. Zydzyczynense a. 1788 convocavit, et in eo relationem de residentia Romana reddidit <sup>295</sup>. Sui Vicariatus tempore negotia Ordinis in Comitibus Reipublicae Polonae defendebat, ideo a Pio PP. VI Regi Poloniae et Archiepiscopo Gnesnensi commendabatur <sup>296</sup>. Item negotium Coadiutorum Archimandritarum ab eo promotum, dein in Capitulo Zydzyczynensi a. 1788 definitive solutum per insertionem decretorum S. Sedis inter constitutiones <sup>297</sup>. Idem Capitulum, consideratis eius meritis tam uti Procuratoris in Urbe, quam uti Vicarii Generalis, agnovit eum pro Emerito Ordinis, unde monasteria omnia pro eius vitae commoditatibus subministrare ei debebant <sup>298</sup>.

## XXVI. MAXIMILIANUS WILCZYNSKYJ

(VICARIUS GENERALIS CUM TITULO PROTOACHIMANDRITAE,  
E PROVINCIA LITHUANA, INTER ANNOS 1789-1793)

Natus est a. 1741 in Volhynia, Ucraina, uti filius Josephi et Constantiae. In Ordine Basiliano novitiatum et studia peregit usque ad philosophiam inclusive et ad studia theologica missus est Romam in Collegium Graecorum Sti Athanasii, ubi ingressus est die 29 Septembris 1766 et post quatuor studiorum annos laurea doctoris in theologia insignitus est in Collegio Romano a. 1770 <sup>299</sup>.

In patria, post 10 annos laboris, electus est a. 1780 in Capitulo provinciali in Secretarium provinciae Lithuanae <sup>300</sup> et postea (a. 1784) in capitulo provinciali Torokanensi in Proto-Consultorem eiusdem provinciae <sup>301</sup>, tum denique in Capitulo generali Zydzyczynensi (a. 1788) in Proto-Consultorem Ordinis,

<sup>294</sup> Cfr. supra, in textu operis.

<sup>295</sup> Cfr. Acta capituli; APF, *Scr. CG*, 1775, v. 842, f. 417 ss.

<sup>296</sup> A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum Rom.*, t. II, p. 277, 278, 281, 282, 283.

<sup>297</sup> Cfr. vol. I, p. 104; A. G. WELYKY, *Acta SCPF*, vol. V, p. 174.

<sup>298</sup> Cfr. Acta capituli; APF, *Scr. CG*, 1790, v. 885, f. 280 ss. (sessio ultima); A. G. WELYKYJ, *l. c.*, p. 177.

<sup>299</sup> « Wilczynski Maximilianus fil. Josephi et Constantiae, ex Volhynia, ingressus 29 Septembr. 1766; ann. 25; stud Theologiae anno primo; sacerdos; laurea doctor. in Theol. insignitus in Coll. Rom.; discessit 10 apr. 1770, anno 4-o Theol. Optime se gessit, multum in studiis et pietate profecit. Commoratus est aliquot dies apud P. Procur. Generalem »; ARCH. COLL. GRAECORUM..., vol. 13, fol. 15v.-16.

<sup>300</sup> Cfr. vol. II, p. 38.

<sup>301</sup> *IBIDEM*.

cum nempe Porph. Wazynskyj alia vice electus est in Protoarchimandritam <sup>302</sup>. Ideoque, cum hic a. 1789 (December) ascensus est episcopatum Cholmensem, P. Maximilianus uti Proto-Consultor Ordinis ei successit ut Vicarius Generalis et propterea quod fere per 6 adhuc annos Ordinem regere necessum erat, S. Sedes non tantum ius Protoarchimandritarum personale seu pontificalibus uti, verum etiam ipsum titulum Protoarchimandritae eidem conferre dignata est <sup>303</sup>.

Qua talis a. 1792 Capitulis provincialibus praesidebat, sed in duabus tantum provinciis (Ruthena et Lithuana), quae post divisionem Regni Poloniae praeter Rossiam et Austriam permanserunt <sup>304</sup>. Cum anno sequenti, post secundam nempe divisionem Poloniae, intra limites Imperii Rossiasi etiam haec pars in dominium Rossiae venit, iuramentum fidelitatis Gubernio Rossiaco praestare debuit <sup>305</sup>, sed eodemque anno (18.VII) in monasterio Vilnensi vita functus est <sup>306</sup>.

## XXVII. ATHANASIUS FALKOWSKYJ

(VICARIUS GENERALIS, CUM TITULO PROTOARCHIMANDRITAE,  
E PROVINCIA LITHUANA, INTER ANNOS 1793-1802)

Proveniebat e dioecesi Luceoriensi (filius Stanislai). Ordinem Basilianum intravit in provincia Lithuana. Ad studia theologica terminanda missus est Romam in Collegium Urbanum de Prop. Fide, ubi receptus die 21 Septembris 1772 solitum praestitit iuramentum <sup>307</sup> ibique ordinatus est a. 1773 <sup>308</sup>.

In patria a. 1788 sub Capitulum generale Zydyczynense electus est Provincialis Lithuanus <sup>309</sup>.

<sup>302</sup> Cfr. *Acta capituli*, l. c.

<sup>300</sup> « Rimanendo per tanto, secondo le Costituzioni, il Supremo Governo dell'Ordine al primo Consultore, cioè al P. Massimiliano Wilczynski, col titolo di Vicario Generale, il detto Proto-Archimandrita (Wazynskyj), e suoi Consultori, poichè troppo gran tempo doveva passare prima della celebrazione di un altro Capitolo fecero istanza, che al detto Vicario si accordasse dalla S. Sede oltre all'uso de Pontificali, anche il titolo di Proto Archimandrita, il che dalla Santità di Nostro Signore fu benignamente concessuto nell'Udienza avuta dall'Em.mo Prefetto il di 23 Luglio 1789 »; A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 178.

<sup>304</sup> Cfr. vol. II, p. 40.

<sup>305</sup> Ita PETROV-SULŻYNSKYJ, *art. et l. c.*, p. 154.

<sup>306</sup> *IBIDEM*, p. 155.

<sup>307</sup> « Falkowski Athanasius Ordinis D. Basilii Provinciae Lithuanae sub titulo SS.mae Trinitatis, Monachus Professus. Filius Stanislai, Dioecesis Luceoriensis praestitit iuramentum die 21 Septembris Anno D.mi 1772 »; *COLL. URBANUM DE PROP FIDE, Registro...*, vol. II, p. 11.

<sup>308</sup> A. G. WELYKYJ, *Acta SCPF*, vol. V, p. 35.

<sup>309</sup> Cfr. vol. II, p. 40.

Postea cum Protoarchimandrita P. Wazynskyj eparchiam Cholmensensem ascensus est (a. 1789) et eius successor, Vicarius Generalis cum titulo Protoarchimandritae, Maximilianus Wilczynskyj, item praemature, i. e. ante Capitulum generale vita functus est (a. 1793), tunc, secundum constitutiones Capituli Beresten. a. 1772, iam non Proto-Consultor Ordinis successit seu succedere ipso facto potuit, sed alius Vicarius Generalis eligendus erat ab Officio generali remanente et omnibus Officiis seu Curiis provincialibus. Itaque die 18.VII.1793 electus est Torokaniis P. Athanasius Falkowskyj, qui statim Sedem Ap. de hoc certiore reddidit<sup>310</sup>. Postea eidem ex eadem ratione ac eius praedecessori etiam titulus Protoarchimandritae collatus est<sup>311</sup>.

Hic tamen in peculiaribus conditionibus Ordinem Basilianum rexit<sup>312</sup>. Cum ipse in Imperio Rossiaco resideret, eius regimen vi maiore seu decretis imperialibus interruptum est, praesertim ab a. 1795, quo monachi, sicut et tota Ecclesia Unita in Imperio Russiaco, unico Episcopo seu Archiepiscopo Polocensi, Heraclio Lisowskyj subiecti sunt, exclusis Superioribus nedum generali, verum etiam provincialibus.

Conditio haec paulum alleviata est sub Imperatore Paulo I, ita ut A. Falkowskyj a. 1801 regimen Basilianorum denuo assumere potuerit, a « Collegio Iustitiae » ad hoc auctorisatus<sup>313</sup>. Ideo etiam Capitulum generale ad novum Protoarchimandritam eligendum a. 1802 convocavit<sup>314</sup>.

## XXVIII. JUSTUS HUSAKOWSKYJ

(PROTOARCHIMANDRITA, E PROVINCIA RUTHENA, INTER ANNOS 1802-1804)

Proveniens e provincia Ruthena, a. 1784 in capitulo provinciali Zahoroviensi electus est Secretarius eiusdem provinciae<sup>315</sup> et qua talis ingressus est Capitulum generale Zydzczynense a. 1788, ubi electus est Proto-Consultor eiusdem provinciae<sup>316</sup>. Postea, in sequenti Capitulo eiusdem provinciae Poczajoviensi a. 1792 electus est Provincialis eiusdem<sup>317</sup>. Anno 1793 emi-

<sup>310</sup> A. G. WELYKYJ, *Documenta Pontificum Rom.*, t. II, p. 291; PETROV-SULŽYNSKYJ, *art. et l. c.*, p. 155.

<sup>311</sup> Cfr. BLAZEJOWSKYJ, *o. c.*, p. 188, nota 24.

<sup>312</sup> Cfr. vol. I, p. 110-116.

<sup>313</sup> Cfr. vol. I, p. 114.

<sup>314</sup> A. 1800, II.XII editum est « Ukas » de rehabilitatione Falkowskyj in eius officio; cfr. PETROV-SULŽYNSKYJ, *art. c.*, in TKDA, 1868, t. IV, p. 121; A. 1801, 13.XI, « Ukas », vi cuius Falkowskyj convocavit Torokaniis (15 Aug.) Consultorium generale ad decidendum de convocatione Capituli generalis Torokaniis a. 1802; cfr. *IBIDEM*, p. 122.

<sup>315</sup> PETROV-SULŽYNSKYJ, *art. c.*, TKDA 1868, t. III, p. 152.

<sup>316</sup> Cfr. vol. II, p. 40.

<sup>317</sup> *IBIDEM*.

sit iuramentum fidelitatis Imperio Rossiaco<sup>318</sup>, quo non obstante in suo officio remansit solum ad a. 1795, quo vi decretorum imperialium omnia officia centralia Religiosorum fuerunt suspensa et monasteria Basilianorum Archiepiscopo Polocensi directe subiecta sunt<sup>319</sup>.

Cum vero a. 1800 s. d. *Puncta* Senatus Rossiaci Imperatori Alexandro I praesentata omnia officia Religiosorum repristinarent, tunc J. Husakowskyj, uti Provincialis provinciae Ruthenae Petropolim se contulit, ubi etiam Nuntius Ap. (Litta) residebat, ad negotia suae provinciae promovenda<sup>320</sup>. Post plus quam duo annos Capitulum generale Torokanense a. 1802 (die 8.IX) convocatum fuit, a quo in ultimum Protoarchimandritam electus est<sup>321</sup>. Sed in hoc officio solum per duo annos permansit, nam approbationem electionis a Gubernio obtinere non est ei datum, imo novo decreto (I.III.1804) officium Protoarchimandritae in Imperio Russiaco suppressum fuit<sup>322</sup>.

Post hanc civilem depositionem ex officio Protoarchimandritae Husakowskyj in officio Provincialis repristinatus est. Obiit die 14.IX.1806<sup>323</sup>.

---

<sup>318</sup> PETROV-SULŻYNSKYJ, *l. c.*, p. 154.

<sup>319</sup> Cfr. vol. I, p. 111.

<sup>320</sup> PETROV-SULŻYNSKYJ, *l. c.*, t. IV, p. 124.

<sup>321</sup> Vol. II, p. 41.

<sup>322</sup> Vol. I, p. 116.

<sup>323</sup> PETROV-SULŻYNSKYJ, *l. c.*, t. IV, p. 263.

## II.

### ELENCHUS PROTOARCHIMANDRITARUM

(*seundum eorum turnos*)

#### I. Congregatio SS. Trinitatis (Lithuana)

1. Iosepus Velamin Rutskyj - Metropolita . . . . .	1617-1626
2. Raphaël Korsak, simplex monachus, Ep. Pinscen., Metropolita	1626-1640
3. Antonius Sielawa - Metropolita . . . . .	1642-1655
4. Benedictus Terleckyj . . . . .	1656-1658
5. Benedictus Terleckyj . . . . .	1658-1661
6. Benedictus Terleckyj . . . . .	1661-
7. Gabriel Kolenda - Administrator metropoliae . . . . .	1661-1666
8. Jacobus Susza - Episcopus Cholmensis . . . . .	1661-1666
9. Gabriel Kolenda - Metropolita . . . . .	1667-1674
10. Pachomius Ohilewycz . . . . .	1675-1679
11. Stephanus Martyszkiewicz-Busynskyj . . . . .	1679-1686
12. Cyprianus Zochowskyj - Metropolita . . . . .	1683-1686
13. Iosephus Pietkiewicz . . . . .	1686-1690
14. Simeon Ohurcewycz . . . . .	1690-1694
15. Simeon Ohurcewycz . . . . .	1694-1698
16. Joachim Kuszelycz . . . . .	1698-1703
17. Leo Kiszka . . . . .	1703-1709
18. Leo Kiszka, simplex monachus, Ep. Volodymyriensis . . . . .	1709-1713
19. Basilius Procewycz . . . . .	1713-1717
20. Maximianus Witrynskyj . . . . .	1717-1719
21. Antonius Zawadzkyj . . . . .	1719-1723
22. Maximianus Witrynskyj . . . . .	1723-1724
23. Antonius Zawadzkyj . . . . .	1724-1726
24. Cornelius Stolpowyckyj-Lebeckyj, simpl. mon., Ep. Volodymyr	1726-1730
25. Antonius Tomyłowycz-Lebeckyj . . . . .	1730-1736
26. Basilius Polatyło . . . . .	1736-1743
Theodosius Koniaczewskyj, Vicarius Generalis . . . . .	1743-

**II. Congregatio Protectionis B. V. Mariae (Ruthena)**

- |   |           |
|---|-----------|
| 27. Patricius Zyrawskij . . . . .                   | 1739-1741 |
| Innocentius Lypnyckyj, Vicarius Generalis . . . . . | 1741-1743 |

**III. Ordo S. Basilii M. (post unionem Congregationum)**

- |  |           |
|--|-----------|
| 28. Polycarpus Myhunewycz . . . . .                              | 1743-1747 |
| 29. Hypatius Bilynskij . . . . .                                 | 1747-1751 |
| 30. Heraclius Lysanskyj . . . . .                                | 1751-1759 |
| 31. Hypatius Bilynskij . . . . .                                 | 1759-1771 |
| Joachim Spendowskyj, Vicarius Generalis . . . . .                | 1771-1772 |
| 32. Porphyrius Ważynskij . . . . .                               | 1772-1780 |
| 33. Josephus Morgulec . . . . .                                  | 1780-1786 |
| Hierotheus Korczynskij, Vicarius Generalis . . . . .             | 1786-1788 |
| 34. Porphyrius Ważynskij . . . . .                               | 1788-1789 |
| 35. Maximilianus Wileczynskij, Vicarius Gen., Protoarchimandrita | 1789-1793 |
| 36. Athanasius Falkowskyj, Vicarius Gen., Protoarchimandrita .   | 1793-1802 |
| 37. Justus Husakowskyj . . . . .                                 | 1802-1804 |

p. Joanikij OSBM  
Roma, 23.02.2021

## ERRATA ET OMISSIONES

SCRIPTUM :	CORRICATUR :
<p>pag. 3, nota 1: A. VERMEERSCH, S.J., <i>Jus decretalium</i> ...</p>	<p>WERNZ F.X.S.J., <i>Jus decretalium</i>... VERMEERSCH A.S.J., <i>De religiosis institutis et personis</i>, Brugis, t. I, 1902, t. II, 1904.</p>
<p>pag. 10, lin. 18 de supra: 1714</p>	<p>1713</p>
<p>pag. 12, lin. 15 de supra: 1787</p>	<p>1786</p>
<p>....., lin. 23 de supra: 1790</p>	<p>1789</p>
<p>pag. 25, lin. 2 de supra: Superioris Generalis</p>	<p>Superior Generalis</p>
<p>pag. 140, lin. 4 ab infra: b) eiusdem depositio;</p>	<p>b) eiusdem depositio vel suspensio.</p>
<p>pag. 141, Ad b) Periodo prima...</p>	<p>Ad b) Periodo prima, Protoarchimandrita ab officio suo suspenso, dabatur ratio Vicarii Generalis; post Capitulum vero Protoarchimandritam deponens constitutiones immediatam electionem novi Protoarchimandritae requirebant: « In eadem vero congregatione in locum eius alius eligetur » (Cap. Novogrod, 1617, s. 3, nr. 14; -AS, t. XII, p. 11; cfr. vol. II, p. 146), neque appellationem ad S. Sedem in suspensivo admittebant, sed in devolutivo tantum, uti in casu alibi allato factum est (cfr. vol. II, p. 22).</p>
<p>pag. 143, lin. 3 de supra: vel, si vivente Proto-Vicarius (?) Generalis electus...</p>	<p>aut, si vivente Proto-Archimandrita Vicarius Generalis electus...</p>





